

Digitized by the Internet Archive
in 2019 with funding from
Wellcome Library

<https://archive.org/details/s1id13206770>

ACTA
ERUDITORUM

ANNO
M DCC VIII

publicata,

*Cum S. Cæsareæ Majestatis & Regis
atque Elect. Sax. Privilegiis.*

L I P S I Æ,

Prostant apud JOH. GROSSII Hæredes,
JOH. FRID. GLEDITSCH,
&
FRID. GROSCHUE.

Typis VIDUÆ CHRISTIANI GÖTZII,
A. M DCC VIII.

A T O A

BERBODIOM

A N A

M D C C V I I I

95640

Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page.



Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

Handwritten text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Januarii, Anno MDCCVIII.

NOVUM TESTAMENTUM CUM LECTIO-
bus Variantibus, Locis Parallelis & Prolegomenis,
studio JOANNIS MILLII,
S. Theol. D.

Oxonii, e Theatro Sheldoniano, 1707, fol.
 Alfab. 10 plagulæ 17.

Dudum expectatum summis orbis Christiani studiis opus jam demum, Sereniss. Britannorum Regina, nequicquam obstantibus belli & pacis curis, quibus Insulæ suæ, imo orbis Europæi fortunas librat, urgente, in lucem prodit, Auctore quidem paucis post illud publicatum diebus mortalibus rebus erepto: nimirum vanos hominum plausus vel non admittendos ei, qui mentem tamdiu in divinis istis defixam habuisset, vel longe eosdem labore, Herculeæ constantia per XXX annos heic exanclato, impares esse, ostendentibus fatis. Stat interea immortalis gloria operis, & ut fas est ominari, a Verbo vitæ vitam trahet atque immortalitatem. Rectissime autem nos quidem, quibus historia ejus texenda jam est, facturos existimamus, si ab ipsis eam Prolegomenis exordiamur, quibus tria complectitur, primo singulorum N. T. librorum natales & divinam auctoritatem assertam, ipsiusque Canonis constituti historiam: tum porro Sacri textus fata per omnes Ecclesiæ ætates: postremo vero hujus editionis consilium, & eorum, quæ præstita in ea sint, non indiligentem narrationem.

Ad primum argumentum quod attinet, id ita tractat, ut

de cujusvis libri tempore & autoritate distincte agat. Neque de Apostolicis scriptis hodie superstitis tantum, sed & de iis tractet, quæ olim eorum nomine circumlata passim allegantur. Ejus nonnulla ut delibemus, in ea sententia est, iis quas hodie tenemus priorem ad Corinthios epistolam scriptam omnino aliquam esse, quod ex verbis 1 Corinth. V, 9 collatis cum v. II omnino sit colligendum: manifestum enim esse, eos præceptum, priore epistola comprehensum, de vitandis cum hominibus impuris commerciis, quam par erat latius extendisse, eis proinde locis ex instituto explicatum. Ebraicum Matthæi Evangelium genuinum Hieronymum haut habuisse probat ex locis Hieronymianis, in quibus ex eo dubitationibus, quibus distinebatur ipse, in promptu erat remedium parare, patrum optimo interea meras conjecturas proferente. Quod vero ille citat *κατὰ Ἑβραίων εὐαγγέλιον* non esse Matthæi, quandoquidem a Græco textu sit ita diversum, ut ea licentia nullus potuerit uti interpres: idque firmatur eis, quæ ad Matthæi XXIII ex eo Hieronymus allegavit, aliisque multis fragmentis ejus. Ipsum præterea Hieronymum & Epiphanium solos esse ex Patribus, duo ista qui confundant evangelia, turba reliqua reclamante. Evangelii secundum Ægyptios autores Essenos credit, qui Alexandriæ a Marco conversi fuere, ut apud Eusebium est, id enim firmare *μυσικώτερα* in eo plurima, eis enim Essenos delectatos Philonem testari, taliaque esse, quæ apud Clementem Rom. Ep. II. §. 12 & apud Theodotum in calce operum Clem. Alex. p. 799 legantur. Eosdem nuptias odisse, eoque spectare, quod in eo Evangelio est, Christum venisse *καταλύσαι τὰ ἔργα τῆς θηλείας* apud Clem. Alex. Strom. III p. 345. In horum Evangeliorum censum Matthæi quoque *παραδόσεις* habendas ait, ex ore ejus, in Judæa prædicantis, exceptas, quibusdam etiam male acceptis *ἀδιηγητῆ* atque ab Hæreticis in deteriorem sensum detortis. Atque istas *διηγῆσεις* esse putat, non Matthæi Evangelium, quas sub initium Evangelii sui D. Lucas respiciat. Epistolam, quam ad Ephesios missam a Paulo, vulgatæ *ἐπιγραφαὶ* loquuntur, mul-

tis ar-

tis argumentis Laodicensibus vindicat. Nihil ad Ephesios nempe pertinere verba cap. I v. 15 quippe quos triennio coram viderit, ut sit Acton. XX, 20. XXVII, 31. Non convenire quæ cap. III, 2. 4. habentur, eandem ob causam. Convenire autem Laodicenis, quos juxta cum Colossensibus non viderit, ut est Coloss. II, 1: quamobrem ad utrosque per eundem nuntium, Tychicum, una hasce epistolas miserit, recente memoria adhuc tenens Laodicenis scripta, & a Colossensibus prælegi cupiens, Coloss. II, 18, simile scilicet argumentum tractantia, ut sunt plane gemina quæ epistola ad Ephesios, ut nos vocamus, continet, iis quæ occurrant in litteris ad Colossenses, nisi quod plenius omnia in illis tradantur, ut illustrandis ad Colossenses scriptis valeant inservire. Quemadmodum epistola ad Colossenses, brevior licet, vicissim quædam contineat Laodicenis legenda, de cultu angelorum maxime, & salutationes Laodicenorum magis speciales, post obsignatam epistolam ad eos datam huic subnexas. Hinc esse, quod in hujus epistolæ c. I v. 1 verba ἐν ἐφέσω omiserint codices Basilii & Hieronymi, lacunam librariis relinquere malentibus, quam *Ephesi* nomen retinere, ad quam referri non patiantur epistolam istam, quæ obvia in ea sunt. Marcionem igitur, Sinope degentem, in vicinia Laodiceæ, a popularibus suis forte accepisse Epistolam, quæ Ephesiis hodie inferibitur, ad Laodicenos pertinere, vel exemplaria ita suadentia inspexisse. A Tychico tamen apographo hujus epistolæ ad Ephesios suos perlato, factum esse, ut eorum nomen substitueretur, ipsius Pauli forte autoritate, quod ad eos æque ac ad Laodicenos generalis epistolæ ejus doctrina pertineret. Epistolam ad Hebræos multis novis & luculentis argumentis & Paulo vindicat, & Hebraice primum scriptam esse negat. De Marci Evangelio hæc ejus sententia est: Marcum, D. Petri comitem, particulas quasvis historiæ Evangelicæ, prout eas accepisset, chartis demandasse, de methodo & ordine, quo componerentur, parum sollicitum, hasque secum servasse novisque identidem accessionibus ampliasse. Postquam vero ad manus ejus Evangelium Matthæi venisset, ad methodum istius Evangelii sua plerumque disposuisse, ipsis

verbis etiam ejus servatis, insertis tamen passim, quæ ad majorem lucem & integritatem ejus historiæ pertinerent, quibusdam novis circumstantiis item, imo & totis historiis a Matthæo prætermiſſis, ex notulis suis adjectis. Ceterum Græca lingua opus concinnatum fuisse ex ipso contextu eleganter probat. Simili modo de Lucæ Evangelio, multa ex Matthæo & Marco ad verbum exprimente, reliqua ex relationibus Apostolorum addente, argutatur. Taceo de aliis scriptis N. T. observata. De quibus omnibus ubi simili ratione institutam disputationem absolvit, Canonis sacri N. T. constitutionem ita explicat, ut quemvis librum vel epistolam, quæ Apostoli alicujus opera prodiret, statim pro divino habitam dicat, & in γραφαῖς censitam, præeuntibus ipsis ceteris Apostolis, quemadmodum Petrus posterioris epistolæ c. III Paulina in γραφαῖς collocat. Tum unum Apostolorum scriptis suis ex alterius scriptis prioribus sententias inseruisse, hoc modo & eorum firmantes auctoritatem, & suis fidem conciliantes. Tum ea omnia Scripta, cum ætas Apostolica in Joanne desisset, in unum corpus redigi cœpisse, ne persecutionis æstu perirent, vel hæreticorum dolis paterent. Judiciumque de iis quæ in has Pandectes Sacras referri mererentur, vel ex manu in ἀπολογραῖς adhuc superstitionibus, vel certa traditione, vel aliis indiciis latum esse. Primam autem fuisse Evangeliorum collectionem, in qua ipse Joannes Apostolus operam Ecclesiæ navaverit, qui reliquis tribus approbatis suum adjecerit in vicem supplementi, quæ proinde statim post fata ejus uno volumine Asiæ Episcopi junxerint: unde ab ipso Irenæo, Asiatico, jam celebretur IV Evangeliorum canon, & suum Evangelium in IV tomos secuerint Amoniani, sola vero Evangelia in Sacris conventibus juxta cum Scriptis prophetis lectitata dicat Justinus Apol. II. p. 77. Paucis post annis simili modo πραξάποστολæ & epistolarum collectionem factam esse, illi subjunctarum, ut Historia cognita & ipsæ rectius intelligerentur. Ab Ecclesia Romana autem primum factam esse variis argumentis probabilibus inductus suspicatur, ante annum CXXVI, ut quo Marcion, imitatione Canonis Ecclesiæ, ipse quoque

quoque *εὐαγγέλιον & ἀποστολικὸν* suum sectatoribus suis obtrufit. Imo ex loco Ignatii in Epist. ad Philadelphienfes, fuggere clariffimo Grabio, obfervat, ejus Martyris ætate, adeoque ante annum C. 114 jamjam Apoftolicarum epiftolarum collectionem extitiffe. Locus eft: *προσφυγὼν τῷ ΕΥΑΓΓΕΛΙΩΙ ὡς σαρκὶ τῷ Ἰησοῦ, καὶ τοῖς ΑΠΟΣΤΟΛΟΙΣ ὡς πρεσβυτερίῳ ἐκκλησίας καὶ τῶν ΠΡΟΦΗΤΑΣ δὲ αγαπῶμεν.* Fuiſſe autem in hoc Apoftolico XIII Pauli epiftolas, unamque Petri & Joannis, quas ſolas propterea citet Polycarpus; ſolas indubitatas dicat Eufebius. Tum vero, ubi ad varias Eccleſias collectio illa delata eſſet, eas, quæ apud ipſas præterea aſſervarentur, adjeciſſe epiftolas, Hieroſolymitanam v. g. ad Hebræos, Jacobi item & Judæ litteras; Aſiaticas Petri poſtერიοrem, Joannis duas & Apocalypſin. Quarum fides cum ſtatim explorata non eſſet remotioribus Eccleſiis, eas ab iis in dubium eſſe vocatas, atque hoc ipſo argumento Canonis Apoftolici LXXXV *νοθείαν* revinci. Hinc jam ſpeciatim ſingularum iſtarum, de quibus dubitatum, epiftolarum, & ſtabilitæ ſenſim ſenſimque autoritatis earum hiftoriam percenſet, ipſiſque pari quibus ceteris jure canonicam deberi fidem demonſtrat.

Sed ad ſecundam partem jam vocamur horum Prolegomenorum, qua de ſtatu Sacri textus N. T. per omnia Eccleſiæ ſecula agitur. Exemplaria igitur Sacrorum iſtorum librorum ex autographis ab Apoftolicis viris, & quorum explorata Præfulibus Eccleſiarum fides eſſet, deſcripta paſſim Eccleſiis ſumma fide oblata ait, ipſis Apoftolis ex parte vivis, quod de Evangeliiſ maxime certum ſit. Grotii igitur confutatur commentum de ultimo capite Evangelio Joannis ab Eccleſia Ephesine ad textum, ut & ſententia eorum, qui hiftoriam adulteræ in illud ex Evangelio ſecundum Ebræos irrepiſſe putant, eo quod in aliis codicibus eam inveniant *ὠβελισμένην*, in aliis plane omiſſam; quod non jure ſed fallaci conjectura non neminis factum clariff. Autor putat, qui eandem hiftoriam, a Joanne tamen *ἀντίοπιη* aliter in haut paucis relatam, in Evangelio ſecundum Ebræos inveniffet. Laciniam vero Lucæ VI, 5 de homine die Sabbati la-

borante quibusdam exemplaribus a Nazaræo potius, Legis studio, quam Marcionita, ejusdem hoste, assutam agnoscit. Agnoscit & sublestam fidem ejus, quæ Matth. XX, 28 in Leonis M. Juvenci & Cantabrigensi codice deprehensa est, ut & Matth. VI, 33 in Cod. Origenis & Clementis Alex. Ceterum, Hæreticos statim post Apostolicam ætatem novis scripturis spuris procudendis operam dedisse potius, quam Apostolicis corrumpendis & adulterandis: quod Simonianorum, Basilidianorum, Valentinianorum exemplis pateat. Ebionæis tamen exceptis, qui Ebraicum Matthæi Evangelium interpolare cœperint, eoque cum aliis de novo compositis sublestæ fidei scriptis uti. Scholia vero seculo secundo privatorum hominum codicibus, non æque publicis Ecclesiarum, adscripta fuisse ex Clemente Alex. ostenditur, apud quem Strom. IV. p. 490 eorum nonnulla commemorantur, eaque successu temporis nonnunquam in ipsum textum fuisse scribarum culpa admissa. Evangelii Lucæ ac Scriptorum Pauli codicem, quo Marcion usus sit adhuc Catholicus, genuinam plerumque Scripturam, etiam ubi ab hodiernis dissentiunt, præ se ferre, nisi quod in pauculis quibusdam ex scholiis, & studiosorum emendationibus vis illata sit Sacro textui: id quod ostenditur ex fragmentis exemplarium quorum ἐδάφει in suo canone conficiendo postea usus est Marcion, apud Epiphanium, Tertullianum, alios obviis: ut pateat, ex industria nihil in eo depravatum fuisse, quod & auctoris nostri de Heracleonis & Ptolemæi Codicibus judicium est. Primum Cerdonem, & post eum Marcionem, postquam in hæresin esset prolapsus, grande ausum fuisse nefas in Lucæ Evangelio Paulique epistolis, ex quibus novum Canonem ex suo ingenio reformatum constituerint, cujus indoles accuratissime, collectis studiose ex veteribus omnibus illis corruptelis, quibus vel Marcion, vel Marcionitæ, sacros illos libros polluissent, ob oculos ponitur, atque ab iis Lektionen quædam pro Marcioniticis perperam annotatæ curiose distinguuntur. Simili modo de Valentini, Luciani, Apellis inquinamenti, Sacris codicibus adpersis agitur. Contra codicibus, quibus Justinus Martyr usus sit, integritatem suam constitisse,

speciminibus ex ipsius scriptis allegatis ostenditur. Tatianus inde quid harmonia sua, quid κεφαλαίαις, majoribus constitutis, eorumque titulis, quid metaphrasi textui sacro præstiterit, recensetur. Ex Irenæo item, qui fuerit status codicum, quorum ipsi usus fuit, demonstratur, & prolixissime, quales versio Itala secuta sit codices, quæ indoles ejus extiterit, quæ interpolationes, indagatur, quarum postremas ex Irenæi fere translatione & Tertulliano, quem Itala usum non dubitat Cl. Auctor, sed corruptissima, venatur. Clementis Alexandrini inde lectiones examinat, integras & genuinas, sed ex notulis marginalibus nonnihil quandoque interpolatas. Asclepiodoti vero Hermophili & Apollonii corruptelas generatim tantum memorat, cum nulla eorum hodie specimna extent. Hippolyti codices, si quidem vere ejus sit tractatus de Anti-Christo, genuinam passim in Apocalypsi præferre scripturam, interpolationes tamen etiam passos hinc inde. Ammonii operi, quod Diatessaron vocat, quæ facies fuerit, diligenter investigat, tum vero ex homiliis Clementinis discrepantias quasdam annotat, maxime vero copiose Origenianas lectiones examinat, atque eum non tantum ex diversis & variantibus codicibus, sed & interpolatis quandoque sua allegasse docet. Simili opera quæ ex λειψάνοις Cypriani & Novatiani, Dionysii Alex. Manichæorum, Pierii & Pamphili, Luciani & Hesyhii, Methodii, Dialogo contra Marcionem, scriptis item Eustathii Antiocheni, Petri Alexandrini, Eusebii Cæsareensis, Athanasii, de variis textus sacri mutationibus colligi possunt, lastrat. Photini item Anomœi in eum improbas manus memorat, ex Cyrillo inde, Juvenco, Hilario Pictaviensi, Lucifero Calaritano de eodem argumento agens. Ex Victorino item Afro, Optato & Paciano, Hilario Diacono, Ephræmo Syro, Basilio M. Gregoriis, Amphilochio, Didymo Alexandrino, Macario, Ambrosio, Philastrio, Tichonio, Rufino, Paulino, Augustino, Hieronymo, Chrysostomo: cujus fere temporibus Actus & epistolæ Apostolicæ in κεφαλαία distinctæ doctissimo Autori creduntur, simulque de iis agitur. Inde ad Nonnum, Isidorum Pelus. Cyrillum, Nestorium, Theodoretum, Cassianum, Eucherium, Salvianum pergitur. De
 editione

editione inde Epistolarum Pauli, Actuum item & Epistolarum catholicarum Euthaliana, & usurpatis in ea primum *συχολις* & subnotationibus adjectis prolixè differitur, ejusque lectiones a nostris diversæ studiose excerpuntur. Hinc similia ex Eugenio, Vigilio Tapsensi, Andrea Cæsareensi, interpolatis Ignatii & Pseudo-Clementinis, Fulgentio, Facundo, Areta, Liberato, Victore, Gregorio, Hesychio Hieros. Chronico Alexandrino, Maximo, Beda, Joanne Damasceno & Georgio Syncello, Carolo M. & Alcuino, observationum mensis. De stichis inde per totum corpus Bibliorum invec̄tis, & Stichometria Nicephori. Ex Hincmaro Rhemensi porro, Photio, autore operis imperfecti in Matthæum, Oecumenio, Fulberto, Macario, Theophane Cerameo, Lanfranco, Theophylacto, Euthymio Zigabeno, eadem variationum historia continuatur. Tum de Hardingi & Nicolai Cardinalis in restituenda versione Hieronymi, & *Biblia*, quæ ea ætate vocabant, *correctoriis*, Rogeri Baconi item de ea restitutione consiliis, Laurentii Vallæ conatibus satis infelicibus, emendatione Card. Ximenis, operaque tam in Græco textu N. T. quam versione Latina posita. Græcum textum maximam partem ex Codice a Leone X transmissio esse expressum ait, eique plane geminum in Anglia inter Laudianos inveniri. Hinc puriorem natam esse Complutensem editionem, maxime in Evangeliiis, quam Frobenianas, Aldinam & Colinæi: minus puram in Actibus & Epistolis Apostolicis; cujus rei specimina allegantur. In iis tamen etiam non nimis inquinatam esse, ut ad eam merito sequentes editiones magis magisque compositæ fuerint. Quamvis vel sic tamen ultra CCC lectiones germanas hujus editionis sint observatæ Cl. Viro, in reliquis vulgatis præteritæ, quas optat ille omnes juxta Ximenianum istud exemplar adornatas fuisse. Primæ Erasmi editionis anni 1516 adjumentis, & codicibus, quibus usus fuerat, quorum lectiones maximam partem ad manus Cl. Viri pervenere, recensitis, observat, quot locis ab iis cum ratione, quot perperam item recesserit, atque menda ejus præter typographica numerat D, genuinas vero lectiones, pro quibus in sequentibus editionibus depravatæ successerint,

plus

plus C. Aldinam editionem anni 1518 ad Erasmicam expressam esse non dubitat, ipsos etiam ejus errores retinentem. In secunda Erasmi editione, meliore haut dubie, & a CCCXXX depravationibus prioris editionis repurgata, ægre fert vulgatam versionem iniquius ab eo tractatam esse, cujus indolem satis perspectam non habuerit: monet tamen etiam ultra LXX errores in eam admissos esse (C paulo ante numerabat) feliciter in priori sublatis. Hagenoensem editionem anni 1521 ex Erasmi secunda expressam esse, relictis tamen in ea, nescio quo fato, quibusdam prioris & Aldinæ vitiis. Editionem Erasmi III anni 1522 nonnisi CXIIX locis a secunda discedere, quarum XXXVI ad fidem textus Aldini, reliquæ ex MSS. sint reformatæ, quarum lectiones nonnullæ in margine quoque exhibeantur. Wolffii editionem A. 1524 ad Hagenoensem excusam esse, a qua nonnisi XI locis discedat, quorum VII sint in Erasmi prima & Aldina: tres in Aldina sola. Erasmi editione IV, Anni 1578, reformatam esse tertiam ejus editionem locis CVI, ad fidem editionis Complutensis. Argentinensem Bebelii 1531 ad Erasmi tertiam expressam esse, quibusdam tamen editionis primæ & secundæ lectionibus retentis. Colinæi editionem 1534 ex variis editionibus & codicibus esse contextam: CL ejus esse lectiones, quibus ab huc usque editis omnibus discedat: quarum sint nonnullæ, sed paucae, huc usque in MSS. etiam inventæ minus, adeoque suspectæ, ad vulgatam tamen, quod Colomesius putaverat, minime textum esse reformatum. Sequentes inde editiones ut varie ex istis confarcinatae fuerint, diligenter Vir Reverendus ostendit. Prolixe vero de impensis a Rob. Stephano in hanc rem curis agere instituit, cumque ipse Codicum suorum indolem, ut decet, non delineaverit, eaque re vario errori suppeditaverit occasionem, singulis, ex lectionibus ab eo exhibitis, delineatis, defectus ille suppletur. Tacemus quæ de insequentibus editionibus; Versione Æthiopica, cura Petri Æthiopsis edita, Hebraici item Matthæi Evangelii editione Tiliiana, & versione Syriaca a Widmanstadio primum procurata, eaque occasione de altera, cujus partem tantum editam a Pocokio primum habemus, differit. De Bezæ in N. T. curis agens ejus

Codices, maxime celebrem illum, quem Cantabrigienses hodie servant, diligenter delineat, ut & alterum Claromontanum, quos, utut foedissime a Latinis deformatos, multas tamen optimas lectiones suppeditare ostendit, & cur minus hic illo impurus sit, rationes reddit. Sed ut ne nimis diu hæc nos morentur, titulos rerum, quæ supersunt, tantum indicabimus. De notationibus igitur porro Lucæ Brugensis agit, Arabica Evangeliorum versione anno 1611 edita, Bibliis Wechelians, Lucæ Brugensis notis in V. L. evangeliorum, Scaligeri & Casauboni conjecturis, editione N. T. Elzeviriana, Boissii collatione, Variis Lectionibus Velefianis, collectione V. L. Caryophili, Morini exercitationibus Biblicis, Codice Alexandrino, Notis Grotianis, Evangeliorum versionibus Persicis, collectione V. L. Waltoniana, Evangelii Gothicis, Saxonis, Bibliis Armenis. Sauberti nostri annotationibus in Matthæum, quem, sibi non visum, ex Simonii Gallicis in Salbertum mutat; versione Coptica, editione demum N. T. Oxoniensi cum variis Lectionibus. En tibi, Lector, Historiam litterariam Scriptorum N. T. satis exactam.

Sed ad ipsam operam Venerandi Autoris transeundum, qua, quid in nova sua hacce editione præstiterit, parte ultima horum Prolegomenorum ipse exponit. Non expectabitur autem, ut collatorum Codicum MSS, editionum, Patrum, Versionum recensionem hic instituamus accuratiorē, quæ tædio non carere non posset. Ipsam dispositionem operis paucis delineasse suffecerit. Textus ad editionem R. Stephani A. 1550 conformatus est, *Κεφάλαια* vetera, ut & Euthaliana in Actis & epistolis Apostolicis, Aretæ item ad Apocalypsin, sectiones Ammonianæ textus Evangelici, & Eusebii canon in margine interiore collocantur. Lectionum farrago omnis textui, littera ad Stephanicam forma proxime accedente, expresso, minore typo subjungitur, eique observationum Rev. Autoris de iis lectionibus varia seges passim inspergitur, prolixiorum quandoque, prout argumenti indoles id postulasset. Tales sunt ad Genealogiam Christi apud Lucam & de Cainane in primis, quem explicatis aliorum ea de re sententiis, apud LXX Interpretes in historia Mosis in omnibus Codicibus, in Paralipomenis in omnibus

bus excepto Vaticano exhiberi, a Veteribus quibusdam doctoribus sine codicum autoritate, vel Ebraicum sc. textum, vel rationes suas sequentibus omitti, ideoque a Luca, LXX viralem semper exprimente, retineri, nullamque adeo Codicis Bezae eam omittentis autoritatem esse debere, observat. Tales, quas ad Joh. VI. vers. ult. ad defendendam historiam feminæ adulteræ habet. Tales, ut infinitas alias præteream, de celebri illo loco de testibus in cœlo tribus i Joh. V, 7: Quem qui omittant Codices, qui non legant patres, quæ versiones ad annum usque Christi DCC, & paulo ultra exponit. Inde qui Codices & editiones Patresque agnoscant, recenset, atque Simonio nonnulla eorum testimonia cavillanti respondet. Exempli loco sint, quæ Cypriani testimonio eludendo ille ex Facundo observaverat, cui dictum, Cyprianum non VII sed VIII comma mystice explicatum respexisse. Namque, inquit Noster, qui Facundus CCC annis Cypriano junior rectius mentem ejus perspexerit, quam Fulgentius ei coævus, qui contrarium dixit? Unde constat Latinis ævo Cypriani v. 7 notam fuisse interpretationem mysticam, qua *Spiritus aqua sanguis*, Patrem filium Spiritum S. notet, quam primus Augustinus Lib. 3. contra Maximinum c. 22 e Latinis adoptavit, sequentibus eum aliis, qui versus 7, in codicibus suis omitti, sensum, quem in aliis Patribus invenerant, mystica interpretatione commatis 8 niti temere crederent, quod & Facundo contigisse sit verosimile? Qui porro credamus Cyprianum, minime diffluentem mysticis interpretationibus, tam lubricæ interpretationi commatis 8 calculum addere potuisse? Non vult tamen Clariss. Autor locum illum autoritate præfationis Hieronymi, quam nullam esse fatetur, eamque fuse explodit, tueri. Ceterum ipse omnino genuinam hanc Pericopen esse defendit, Tertulliani imprimis, qui ad authentica provocet, h. e. vel archetypa Apostolorum, vel codices iisdem conformes, autoritate, ut & Cypriani. E Græcis vero exemplaribus bene multis disparere hanc pericopam cœpisse non longe post scriptam epistolam, ante Irenæi (nam illum versum 7 non agnovisse constat) tempora, non hæreticorum fraude, qui ut supra dictum, corrumpendis Apostolorum Scriptis

nondum adeo operam dederint, sed librariorum negligentia, repetitione verborum *οἱ μαρτυρεῖντες* vers. 6 & 7 deceptorum. Quod vitium temporibus difficilibus, libris, simulatque descripti essent, avide statim arreptis ac distractis, observatum primo non fuerit: inde in apographa transierit: quibus paulisper multiplicatis, veritas lectionis ex *ἀπολογίᾳ* in Parthia vel Asia latente, discerni non potuerit, maxime cum persecutionis æstus sub Trajano recensio MSS Christianos vacare haut pateretur. Talia ergo exemplaria sparsa ad externos etiam esse, fuisseque ex eo genere, quo vulgatus interpres Romæ, in Gallia Iræneus, in Ægypto Clemens Alex. sint usi. Veram lectionem Athanasium, ad quem provocet Autor Disputationis in Concilio Niceno habitæ, in integros Codices, hinc inde in Asia latentes, incidentem revocasse: quorum etiam antea nonnulli in Africam transmissi, & Tertulliano ac Cypriano inspecti sint. Ex talibus etiam descriptos esse Codices quosdam nobis superstites annorum 800 vel 900, qui eam Pericopen exhibeant. Falsissimum vero esse Simonium, qui ex Pseudo-Athanasii loco colligat verba *καὶ οἱ τρεῖς ἐν εἰσιν* versus 8 ab Athanasio ad Trinitatem accommodata, occasionem Græcis Scholiastis dedisse, explicationem illam in margine ponendi, quæ in contextum post irreperit: nam 1 verba illa non esse versus 8 sed *εἰς τὸ ἐν εἰσιν* in omnibus MSS. 2 Interpretationem istam mysticam, Græcis inauditam, esse Latinorum. 3 Scholia, quæ Simonius ex Codd. Gr. ut ex iis versum hunc conflatum ostendat, allegat, ejusmodi esse, ut non potuerint admitti in textum, neque pericopen illam repræsentare. Sed taceo cetera, nam abrumpendum hoc filum. Locorum parallelorum, tam ad res quam *ῥᾶσιν* pertinentium, cum intertextis veteribus Scholiis & Patrum notulis textualibus, quæ intertextum & notas medium locum obtinent, magna cura collectorum, mentio non prætereunda, neque Appendicis, in quo ex novis subsidiis, sed paulo tardius allatis, multa firmanur, nova annotantur, quædam & emendantur, quod in Præfatione quoque Rev. Virum, publici potius commodi quam vanæ gloriolæ studiosum, passim facere non dispuduit.

L'HISTOIRE ET LA RELIGION
des Juifs.

h. e.

HISTORIA ET RELIGIO JUDÆORUM ETC.
Auctore JACOBO BASNAGIO &c.

PAUCIS absolvemus notitiam utilissimi operis, cujus prioribus duobus Tomis aliquot paginas superioris anni mense Octobri jam impendimus. Tomus tertius Librum complectitur IV & V. Et quarto quidem Libro fides Judæorum explicatur, variæque, quas eas ea inde a templi excidio usque ad nostra tempora subiit, mutationes. Confessionis igitur fidei Judaicæ Articulis ex Maiemonide repræsentatis, eorum de Dei essentia atque natura spirituali doctrina explicatur, atque expressiones nonnullæ audaciores, quales sunt, quando Deum plorare, vel rugitu suo Principem populumque Romanum terrere dicunt, excusantur. Tum fides mysterii Trinitatis in ecclesia Judaica examinatur, atque primo quidem R. Cudworthi ea de re sententia expenditur, quam triplici hypothese falsa aut incertaniti Vir Cl. judicat. Prima est, quod antiquos Judæos ex antiqua traditione hoc mysterium dicat tenuisse, cujus tamen traditionis nec volam nec vestigium proferre queat. Secundo, quod a Judæis acceptum hoc mysterium gentiles ad Platonem usque propagasse statuât, cum tamen in eorum, quibus plurima cum Judæis commercia intercessere, Ægyptiorum & Persarum theologia, nullum luculentum indicium ejus mysterii compareat. Tertio quod supponat Platonem de S. Trinitate orthodoxe statuisse, eamque adeo doctrinam ex illa traditione Judæorum accepisse, quem tamen alia omnia quam Christianam Trinitatem spectasse demonstrari queat, quemadmodum & ipse prolixius demonstrat. Neque multo præclarior Rev. Autor judicat de Judæorum, Christi ætati propiorum, circa hoc mysterium fide, quam minus firmis argumentis adstruxisse Cl. Allixium censet in Judicio Ecclesiæ Judaicæ contra Unitarios. Equidem veritatis illius semina in V. T. spar-

C. I.
II.

III. IV.

V.

- fa se non ait negare, cum tamen ita cum eis comparatum sit, ut clarissima luce Novi Testamenti qui gaudeamus, vix ea in Vetere possimus invenire, non facile fuisse Judæis illorum temporum putat, eadem exinde colligere, maxime cum Messiam, tot clarioribus oraculis delineatum, affatim tamen ex illis cognoscere haut cœperint. Philonis testimonia quæ allegentur, obscurissima esse, & si propius considerentur, nihil minus quam Trinitatis mysterium loqui, id quod exemplis ostenditur. Simile est judicium de Chaldæis paraphrasibus, & de Cabbalistarum suffragiis, variaque dubia imprimis circa Spiritum S. moventur in illa, quæ ex Judaicis, scriptis elicitur, Trinitate. Hinc
- C. VI. VII. II. X. Judæorum de creatione theologia illustratur, quatuorque de ea sententiis Judæorum propositis, quarum prima Mosen exacte sequitur, secunda alium mundum ante hunc nostrum conditum & a Deo destructum statuit, tertia unicam substantiam rerum omnium agnoscit, quarta omnia per emanationem ex divina essentia educta existimat; gentilibus suis Spinosam debere quicquid de unica in universo substantia, cujus modi sint res, quas nos putamus, omnes, ostenditur; eam enim doctrinam Cabbalistas quosdam ante Spinosam exsculpisse, a quibus veræ Spinosismi origines meliori jure quam a Gentilibus Philosophis deducantur. Succedit eorum de Angelis fides, quos ab iis non adorari, contra Viros quosdam eruditos Bartoloccium, Simonium & reliquos defenditur. De Dæmonibus tres eorum sententiæ referuntur: eorum qui a Deo ita conditos, qui ab Adamo cum Lalith genitos, & qui ex apostasia a Deo ortos existimant: aliæ item superstitiones circa eos narrantur, a libri Enochiani fabulis non abludentes, cujus autor
- XII. Judæus esse docetur. De animi humani, Adamique adeo & Evæ creatione, rebusque Paradisi notissimæ Judæorum fabulæ percensentur. De providentia inde, peccato & remediis peccati actum. Præcepta Noachica Judæorum inventum esse ostenditur, qui miris elogiis ornatum Noam, turpissimorum tamen facinorum reum proscribant. De Mose inde & rebus ab eo gestis fabulæ colliguntur; & corruptelæ legis, quibus morum depravationi fræna laxarunt, recensentur; qua occasione,
- dum

dum legis de imaginibus mentio fit, de nummis Ebræis, in quibus variæ imagines, nonnulla observantur. Judæorum de prophetis doctrinam, Spinosa ex parte erroribus ostenditur occasionem dedisse, nam & ipsos naturales facultates agnoscere prophetiæ necessarias. Eos item parum præclare de quibusdam prophetarum sentire, Ezechiele imprimis, Davide, Salomone, Daniele, de quibus absurdissima eorum commenta allegantur. Inprimis vero, quæ primaria facile hujus libri tractatio est, eorum de Messia fides expenditur. Et primo quidem vera Messia lineamenta & characteres ex Patriarcharum & Prophetarum descriptione ducuntur: maxime urgetur *temporis* character, & contra Judaicas exceptiones stabilitur. Inprimis diligenter vaticinium Jacobi excutitur, in quo שׁבשׁ de peculiari privilegio tribus Judæ præ reliquis accipitur, ob quam שׁבשׁ ei tribui possit, ut legumlatio Ps. LXIIX, 8, 9, quam positam Clar. Autor 1 in numeri excellentia, 2 in præservatione integritatis ejus sine confusione cum reliquis, & 3 in eo, quod domicilium præbuerit Ecclesiæ, existimat; idque privilegium triplex cessasse inde a tempore ostendit Christi, qui sit שׁילה h. e. autoritate clarissimorum Judæorum, paraphrastarum, Thalmudistarum, Rabbinorum Messias, quæcunque cetera nominis illius sit ratio. Sed & de Danielis hebdomadibus agitur operose, obiterque Charroni de iis systema, Regum Medorum annos pro annis Regum Persarum male computantis, fusiusque etiam Harduini explicatio exploditur, cujus inventor Marshamus esse una ostenditur, novusque tantum ornatus ejus Harduino relinquitur. Ipse autor facit cum iis, qui initium LXX hebdomadam anno Artaxerxis XX ponunt, versus finem LXXXI Olymp. LXXmam hebdomadam commemorari putat, quod eam ingressus sit Messias; desolationem templi intra eam factam non debere intelligi, quæ omnia fuse & magna perspicuitate illustrantur. Tacemus quæ de reliquis characteribus Messia ex prophetis scriptis disputantur, at conciliationem tacere non possumus, qua Micheæ vaticinium de loco nativitatis, cum allegatione Matthæi cap. II. componit. Nempe in Micheæ loco genus loquendi concisum esse putat & ellipticum, quod

ita

.XVIII.

XIX.

XX.XXI.

XXII.

XXIII.

C. XXIV.

ita sit explicandum, Tu *Bethlehem Ephrata parva es* לְהַיּוֹרָה לְהַיּוֹרָה *ut sis quæ es*, h. e. parva es, si faciem tuam intueamur externam, ut ejus sis dignitatis, cujus es, nam ex te veniet Princeps. Qua ratione parva quæ sit, si fortunas ejus inspicias, Bethlehem magna esse declarabitur, ob natales Messiaë, quæ ipsa est Evangelistæ Matthæi sententia. Hæc jam excipit Judæorum, qui Christi ætate vixerunt, de Messia spes & opinio, diligentius indagata. Eum vel immortalem vel saltem longævum illos credidisse colligitur ex Joan. XII, 34. Divinam autem eos Messiaë tribuisse naturam, utcunque probabilibus argumentis a Petro Allixio l. c. ex Sapiencia Salomonis & Siracidiæ, Chaldæis item paraphrasibus, Philone, Josepho &c. colligatur, minus probabile fieri historiam Sacram N. T. consulentibus. Certe ipsum Christum offensæ vitandæ causa parce & sensim eam veritatem proposuisse, eam propositam scandalo Pharisæis fuisse, tum quoque cum Davidis Dominum eum appellantis autoritate probaretur: peccata remittentem blasphemum visum esse, ut qui divinam auctoritatem usurparet, summum Sacerdotem, cui *Verbum* ex Targumim notum esse debebat, vestes lacerasse Christo Deum se fatente: Discipulos Christi Mosen vel Eliam eum credidisse, Petro revelatione divina opus fuisse, ut filium Dei eum agnosceret, primævos doctores, e Judæis ortos, ad receptam illam de *Verbo* Targumim & Philonis doctrinam non provocasse, cui ultimo argumento quæ opponi poterant, non improbabiler diluuntur. Subsidiariorum interea Judæis satis fuisse ad agnoscendum Messiam ex oraculis & typis, quorum applicationem plane singularem ex methodo tum recepta fecerint, ex ipsa denique versione septuagintavirali. Præcipuum Messiaë characterem eos credidisse regnum gloriosum in hoc mundo, quem Autor confutat, pariter ac præjudicium ex lege Mosis abolita, ex Synedrîi item Judaici auctoritate contempta, & gentilibus admisis. Inde imaginem Messiaë delineat, qualem Thalmudistæ & Rabbini sibi finxere. Ubi primo docet varie sibi eos in tempore adventus ejus, prosperitate regni ipsius, modo manifestationis, aliisque circumstantiis contradicere, unde multas stolidissimas

XXV.

XXVI.

dissimas fabulas de eodem texere, quas hic repetere nihil attinet. Ad quartum conceptum progrediendum, quem moderni sibi Judæi formare maxime ex *Toledos Jeshu* ostenduntur, qui liber diligenter, & breviter exploditur. Simul quintus Judæorum conceptus attingitur, qui vulgi est, vagus valde, neque Prophetarum neque Rabbiorum traditionibus, ut quemvis creduli Messiaë nomen modo jactantem facile sequantur. Finis denique huic systemati doctrinaë Judaicæ, expositis iis, quæ de Ecclesia sua, de morientibus, animorum post mortem revolutione, inferis (de quibus ex Græcorum scholis nihil hausisse, sed potius ab iis in multis hac parte dissensisse docentur,) purgatorio denique atque paradiso, sive genuina, sive nugis suis contaminata, tenere passim leguntur. Doctrinam ritus excipiunt, qui libro V absolvuntur. Initium fit a Synedrui Magni historia, quod temporibus demum Maccabæorum, a Jonathane, ut probabilissimum sit, institutum esse Cl. Autor docet. Argumenta ejus rei, postquam præcedentibus temporibus nullum ejus vestigium extare ostendisset, ex I Macc. IX, 28. X, 46. XII, 6 petit. Inde de forma ejusdem, autoritate, & in varia loca commigratione agit. Similiterque de domibus Judicii & Synagogis, rituque orandi & legendi scripturas in iis tractat. Itemque de Academiis, earumque origine, doctorumque in iis ordinatione & autoritate. De Profelytis porro, quorum conditionem per sex diversas temporum periodos persequitur, sub Mose nempe, sub Davide & Salomone, post captivitatem, sub initium Christianismi, post templi evastationem, & in eo, quod expectant, Messiaë regno: discrimen porro inter profelytos domus & justitiæ exponit, indeque circumcissionis origines contra Marshamum, ejusdemque ritus explicat. De Paschatos festo diligentissime agit, eaque occasione rationes temporum apud Judæos rimatur, de ultimo item Christi paschate agit, quod male Harduinum ex regula 173 defendere contendit, quæ & recentior sit, & alii fini, quam Harduinus velit, destinata. Ipse die ex lege præscripta, qua & Judæi agnum comederint, Christum eam comedisse censet, & παρασκευην ἑορτῆς dici sequentem diem sextam, quod ea præpara-

C. XXVII.
sq.XXIX.
XXXII.


Lib. V. C. I.

II.
III. IV.
V.
VI.VII.
VIII.
IX. X.

- C. XI. XII. tioni inferviret ad subsequens Sabbatum, quod *εορτή* dicatur,
 XIII. XIV. quoniam fuerit dies azymorum. Hinc sequuntur, quæ ad Sab-
 XV. batum spectant & reliqua Judæorum festa. Tum de precibus
 XVI. agitur, eaque occasione de Tephillim, de jejniis item, elee-
 XVII. mosynis & anachoretis modernisque Chasidæis inter Judæos,
 XVIII. votis porro & juramentis, in quibus *Amen* Christo toties usur-
 XIX. patum censetur. Excommunicatio hæc excipit, sub Macca-
 XX. bæis demum, judice Autore, una cum synedrio stabilita. Post
 XXI. de polygamia, matrimonialibus & nuptialibus ritibus sermo in-
 XXII. XXIII. stituitur, de aquis amaris item, & divortio, ubi insidiæ Christo
 adducta adultera structæ explicantur, cui scilicet vel in legem
 esset offendendum, poenam capitalem adulteræ statuentem, vel
 in Romanos, quorum tum esset talia supplicia exequi. Post
 hæc purgationes variæque lotiones exponuntur. Tum de mo-
 rientibus, pompa funebri, luctu & sepultura agitur, eaque oc-
 casione cæmeterium a Bozio Romæ in Janiculo detectum Judæ-
 orum non esse, quod in Vaticano esse quærendum ex loco Lam-
 pridii demonstratur, aliaque ejus generis observantur. Deni-
 que præcautiones contra impuritatem ex mortuis, leprosis, &
 idololatriis contrahendam explicantur.

- XXIV. Festinandum ad Tomum IV, sentimus enim sub manu
 ultra, quam par erat, istam nobis excrescere narrationem. Is
 Lib. VI. unico libro eoque VI absolvitur, quo dispersionis omnium tri-
 buum Israelis ad seculum usque a C. N. VIII historia texitur.
 C. I. Hic exaggerata primum gentis illius post captivitatem secun-
 dam miseria, Autoris constitutionum Apostolicarum & Chry-
 sostomi tangitur error, qui, prava interpretatione LXX viro-
 rum loci Amos IV, 5 inducti, crediderunt in harum miseriarum
 censum venire quod Judæis legem extra Terram Sanctam legere
 non liceat. Causæ item harum miseriarum investigantur,
 quibus variis ex Josepho & putidis Rabbiorum lacunis allega-
 tis, jungitur odium, quod ex religionis discrepantia Judæos in-
 ter & Christianos intercedit. Inde ipsius historiæ dispersionis
 II. initium fit a decem tribubus; de quibus Cyrilli, Theodoriti &
 reliquorum Patrum, qui restitutas eas patriæ putant una cum
 Judæis ex Babylonia redeuntibus, sententia explosa, Pseudo-
 Esræ,

Estræ, Eldadi, Benjaminis Tudelensis, & Peritzol de iisdem relationes meræ fabulæ esse ostenduntur. Nec certiora esse, quæ C. III. de earum in Tartariam translatione cum aliis quibusdam, etiam Christianis, Postello, Ortelio, inde vero in Indiam commigratione cum Montefinio & G. Penno sibi persuaderi passus sit Menasse Ben-Israel, eorum enim haut majorem esse fidem, haut meliora argumenta, quam Christianismi in America antehac stabiliti. Probabiliorem esse quorundam ex Judæis in Indias orientales & Regnum Sinense migrationem, Salomonis enim classem Ophiram, quæ sit Insula Taprobana, sive ut hodie audit, Ceylon, identidem visitasse, eos tamen privatos fuisse, neque ista ad migrationem X tribuum posse trahi, neque paucorum Judæorum in Sina habitantium numerum, ad X tribuum in Oriente Rempublicam, quam sibi fingunt verpi, IV. facere quidquam. Rectius igitur X tribus ductu scripturarum investigari, quæ doceant 2 Reg. XVIII, ii duas eas constituisse colonias, alteram in Assyriæ oppidis, Chaboræ ad fluvii ripas, Gozane & Chalcitide: alteram in Mediæ partibus Montanis, quas Provinciam *Ham* vocet Esras, & alias incolis caruisse Strabo docet Lib. VI, in quibus & Thalmudistæ & Benjamin Tudelensis Judæos agnoscant, quorum illi urbem *Ginzaz*, hic *Madaï* ab iis habitatam memorent. Inde post Salmanasarem ab Artaxerxe Ocho, teste Hieronymo, ad mare Caspium in Hyrcaniam provinciasque *Gorgianam* & *Tabarestanam* Judæorum tractas colonias esse, ab eo in expeditione in Ægyptum captorum. Fulleri autem conjecturas, qui in opposito littore maris Caspii ad fluvium Araxum partem Judæorum collocet, Cadusios ibi dictos & Gelas, vel eo confutari, quod Cadusiorum longe antiquior in Media gens sit, a Nino jamjam in subditorum numero censitorum. Allatum quoque in Colchide minus idoneo argumento eos collocare, ex Herodoto desumpto, qui ex Ægypto vel Æthiopia Colchos ob circumcisionem venisse concludat: itemque in Iberis, quos Constantinus Porphyrogenneta a Judæis origines derivare dicat. Nam Circumcisionem pluribus gentibus communem esse, Constantinum vero de Iberorum tantum loqui opinione, illustres origines suas vi-

- deri cupientium. Notiores esse eorum in Ninive & Babylone sedes, quo præter eos qui captivitatis tempore translati fuerant, plures etiam traduxerit Artaxerxes, horum tamen magnam partem in Asiam ab Antiocho magno deportatam fuisse, reliquos in urbibus ad Euphratem magno numero habitasse, eosque esse, quibus Petrus prædicaverit, quicquid contra Dodwellus disputet; quibus item juxta eum decem tribuum in Judæa reliquiis Jacobus scripserit. Taceo quæ de eorum rebus apud Nahardeam, Nisibin, Ctesiphonta, in Adiabena item
- C. V. & reliquo regno Parthorum, Mesena, Sittacena, & Osrhoena adduntur: Colonias item eorum in Ægyptum sub Psammeticho, Alexandro M. & Ptolemæo Lago, variamque sub Ptolemæis fortunam, eaque occasione de versione LXX virali, quæ Alexandrinis tribuitur Judæis, & templo Oniæ, & ex Ægypto in Æthiopiam & Arabiam propagationes. Ad dispersionem eorum in Italia progredimur potius, cujus occasione pleraque, quæ in monumentis Romanis de Judæis occurrunt, erudite illustrantur, sedes Romæ in Vaticano, refutata Aringhi sententia de Janiculo, adstruitur, item in valle Egeriæ, & insula Tybris. Eorum porro in Sardiniam relegatio sub Tiberio, Caligulæ in eos odium, & sub Claudio toleratum exilium exponuntur, quod ob ortas de Christo controversias & seditiones (eum enim esse Chrestum Suetonii, vivum adhuc ei auctori creditum) eos tulisse Auctori fit verosimile. Restitutos Neronis ætate Romæ fuisse Juvenalis & Martialis locis probatur, eaque occasione Juramentum eorum per *Anchialum* explicatur 
Ab vivit Deus. Sed ejus epigrammatis sales non satis forte intellectos Clarissimo Auctori luculentius alia occasione illustrabimus
- VII. ipsi. Succedit dispersio in Hispaniam, quo translatos eos esse diu ante Templi excidium nugari Rabbinos quosdam affirmatur, nugæque de Hispania a Salomone subjugata, eamque in rem producta sepulcralis inscriptio, in qua Adinorami Ducis in copiis Salomonis mentio est, exploduntur. Nabuchodonosorem quoque non Hispanos sed Iberos in Asia vicisse, neque adeo cum eo Judæos in Hispaniam venisse ostenditur. Primos vero Judæos cum Herode tetrarcha in Hispaniam eo delatos esse, quos

quos secuti sint alii post urbis excidium, non Titi auspiciis, sed suo arbitrio eo delati, & quorum genus Regium Judæi Hispani nunquam probare sint valituri. Vanam quoque esse coloniæ Germanorum Judæorum antiquitatem, esseque nugas meras litteras quas Hierosolymis adhuc salvis inde ad se scriptas Judæi Usnenses jactent, eas item quas Wormatienses ad Regem Judææ Synedrium suum scripsisse nugantur, de Christo non crucifigendo. Coloniae & in Treveris inde a tempore Hadriani sedes eos habuisse. Sed hæc generalis est dispersionis historia, quam sequentibus capitibus specialius Rever. Autor persequitur, fata illustriora Judæorum per certas periodos distributa proponens. Prima periodus ab excidio templi usque ad eorum sub Adriano Imp. rebellionem pertingit, ubi de tributis ab eo exactis, patriarchatus originibus, Poeta Ezechiele & autore testamenti XII Patriarcharum, rebellionem sub Trajano, fabulis de Imra filia Trajani, turbis in Mesopotamia, & cæde Judæorum in Cypro. Hinc bellum eorum seductore Barchocheba gestum describitur, novisque observationibus tempus ejus belli definitur, cujus initium in A. C. 134, finis biennio post constituitur. Magnæ in eo bello Akibæ fuere partes, de cujus discipulis aliisque illustribus eruditione inter Judæos ea ætate viris agitur. Inde historia Judæorum usque ad Imperium Severi producitur, in quam partem Tryphonis, cum quo Justinus disputavit, mentio incidit, quod factum circa A. C. 155 colligitur ex eo, quod post Apologiam ad M. Antoninum saltem id factum sit, quæ A. C. 150 est scripta; quod factum id sit post bellum cum Judæis, id enim fugiens Tryphon in Græciam concesserat, id bellum vero non Adriani sed Antonini fuisse; quod factum item sit post libertatem circumcisionis Judæis ad pacandos eos ab Antonino restitutam, nam circumcisionem sine metu Justino Tryphonem ostentare, quæ omnia in A. C. 155 demum competant. Eadem Periodo vigentes Sectæ Masbothæorum, Meristarum, Helleniorum &c. describuntur, & de tribus novis versionibus Græcis a Judæis confectis agitur. Tertia Periodus ab Imperio Severi ad finem usque seculi III porrigitur, in quam Judæ S. incidit ætas, qui Mischnam primum colligere instituit,

C. VIII.

IX.

X.

XI.

XII. sq.

- ut haberent Judæi terræ Sanctæ & qui cum eis faciebant, quod opponerent Helleniorum traditionibus. Æchmalotarcharum item & Academiæ in Babylonia constitutio, ejus ætatis res est. Fata, quæ seculo IV sub Christianis Imperatoribus subiere, tum ex Imperatorum legibus, tum canonibus conciliorum, tum aliis monumentis eruuntur, quo loco miracula, quibus deteriti a templo restituendo, quod Julianus ὁ παραβάτης ipsis concesserat, fuerunt, sub examen revocantur. Quinto seculo, quæ iis evenere, sive sub orientalibus, sive occidentalibus Imperatoribus, distincte percensentur, ubi Nestorii inter alia Judaismus confutatur, & occasione Rescripti Honorii de *Cælicolis* diligentius agitur, quam sectam esse tum recens in Africa natam, ex ipsis verbis rescripti probatur, Christianorum eam fuisse sectam, & ut paucis absolvamus, cum Donatismo cognatam, imo & caput ejus Majorem fuisse, ex Augustini Ep. 162 cum verbis rescripti collata concluditur. *Cælicos* dictos esse, quod solorum Martyrum suorum, qui pro cœli incolis ab ipsis haberentur, decisiones amplecterentur. Ea ætate Talmud Babylonium compilatum est, qua de re pariter ac aliis eventibus, qui Judæis Persico dominio obnoxiiis tum obtigere, peculiari Capite agitur, quorum inde fata in Persia, Arabia & Æthiopia usque ad VII seculum exponuntur, in qua Periodo memorabilia maxime sunt inter eos & Mohammedem ejusque asseclas gesta. Denique varia Judæorum eodem seculo in Imperio Romano, Constantinopoli, in Italia, Hispania, Gallia fata quarto huic Tomo coronidem imponunt.
- Lib. VII Eadem ratione fatorum hujus gentis narratio Tomo V, C. I. usque ad tempora nostra continuatur. In cujus limine statim fabulosa Regis & regni Cozar ad Judaismum conversio exponitur & confutatur. In seculi X rebus prolixè de Josepho Gorionide agitur, qui in Brittannia Aremorica ea ætate vixisse Rev. Autori non contemnendis argumentis evincitur. Duodecimum seculum Pseudo Messiarum in primis ferax fuisse observatur. Eodem ex Christianorum principum decretis acerbius contra Judæos sævire cœptum, cui rei quæ occasionem dederant, calumniæ exploduntur, atque ordine conciliorum prin-
- C. XIV. ut haberent Judæi terræ Sanctæ & qui cum eis faciebant, quod opponerent Helleniorum traditionibus. Æchmalotarcharum item & Academiæ in Babylonia constitutio, ejus ætatis res est. Fata, quæ seculo IV sub Christianis Imperatoribus subiere, tum ex Imperatorum legibus, tum canonibus conciliorum, tum aliis monumentis eruuntur, quo loco miracula, quibus deteriti a templo restituendo, quod Julianus ὁ παραβάτης ipsis concesserat, fuerunt, sub examen revocantur. Quinto seculo, quæ iis evenere, sive sub orientalibus, sive occidentalibus Imperatoribus, distincte percensentur, ubi Nestorii inter alia Judaismus confutatur, & occasione Rescripti Honorii de *Cælicolis* diligentius agitur, quam sectam esse tum recens in Africa natam, ex ipsis verbis rescripti probatur, Christianorum eam fuisse sectam, & ut paucis absolvamus, cum Donatismo cognatam, imo & caput ejus Majorem fuisse, ex Augustini Ep. 162 cum verbis rescripti collata concluditur. *Cælicos* dictos esse, quod solorum Martyrum suorum, qui pro cœli incolis ab ipsis haberentur, decisiones amplecterentur. Ea ætate Talmud Babylonium compilatum est, qua de re pariter ac aliis eventibus, qui Judæis Persico dominio obnoxiiis tum obtigere, peculiari Capite agitur, quorum inde fata in Persia, Arabia & Æthiopia usque ad VII seculum exponuntur, in qua Periodo memorabilia maxime sunt inter eos & Mohammedem ejusque asseclas gesta. Denique varia Judæorum eodem seculo in Imperio Romano, Constantinopoli, in Italia, Hispania, Gallia fata quarto huic Tomo coronidem imponunt.
- XV. sq. ut haberent Judæi terræ Sanctæ & qui cum eis faciebant, quod opponerent Helleniorum traditionibus. Æchmalotarcharum item & Academiæ in Babylonia constitutio, ejus ætatis res est. Fata, quæ seculo IV sub Christianis Imperatoribus subiere, tum ex Imperatorum legibus, tum canonibus conciliorum, tum aliis monumentis eruuntur, quo loco miracula, quibus deteriti a templo restituendo, quod Julianus ὁ παραβάτης ipsis concesserat, fuerunt, sub examen revocantur. Quinto seculo, quæ iis evenere, sive sub orientalibus, sive occidentalibus Imperatoribus, distincte percensentur, ubi Nestorii inter alia Judaismus confutatur, & occasione Rescripti Honorii de *Cælicolis* diligentius agitur, quam sectam esse tum recens in Africa natam, ex ipsis verbis rescripti probatur, Christianorum eam fuisse sectam, & ut paucis absolvamus, cum Donatismo cognatam, imo & caput ejus Majorem fuisse, ex Augustini Ep. 162 cum verbis rescripti collata concluditur. *Cælicos* dictos esse, quod solorum Martyrum suorum, qui pro cœli incolis ab ipsis haberentur, decisiones amplecterentur. Ea ætate Talmud Babylonium compilatum est, qua de re pariter ac aliis eventibus, qui Judæis Persico dominio obnoxiiis tum obtigere, peculiari Capite agitur, quorum inde fata in Persia, Arabia & Æthiopia usque ad VII seculum exponuntur, in qua Periodo memorabilia maxime sunt inter eos & Mohammedem ejusque asseclas gesta. Denique varia Judæorum eodem seculo in Imperio Romano, Constantinopoli, in Italia, Hispania, Gallia fata quarto huic Tomo coronidem imponunt.
- XVII. ut haberent Judæi terræ Sanctæ & qui cum eis faciebant, quod opponerent Helleniorum traditionibus. Æchmalotarcharum item & Academiæ in Babylonia constitutio, ejus ætatis res est. Fata, quæ seculo IV sub Christianis Imperatoribus subiere, tum ex Imperatorum legibus, tum canonibus conciliorum, tum aliis monumentis eruuntur, quo loco miracula, quibus deteriti a templo restituendo, quod Julianus ὁ παραβάτης ipsis concesserat, fuerunt, sub examen revocantur. Quinto seculo, quæ iis evenere, sive sub orientalibus, sive occidentalibus Imperatoribus, distincte percensentur, ubi Nestorii inter alia Judaismus confutatur, & occasione Rescripti Honorii de *Cælicolis* diligentius agitur, quam sectam esse tum recens in Africa natam, ex ipsis verbis rescripti probatur, Christianorum eam fuisse sectam, & ut paucis absolvamus, cum Donatismo cognatam, imo & caput ejus Majorem fuisse, ex Augustini Ep. 162 cum verbis rescripti collata concluditur. *Cælicos* dictos esse, quod solorum Martyrum suorum, qui pro cœli incolis ab ipsis haberentur, decisiones amplecterentur. Ea ætate Talmud Babylonium compilatum est, qua de re pariter ac aliis eventibus, qui Judæis Persico dominio obnoxiiis tum obtigere, peculiari Capite agitur, quorum inde fata in Persia, Arabia & Æthiopia usque ad VII seculum exponuntur, in qua Periodo memorabilia maxime sunt inter eos & Mohammedem ejusque asseclas gesta. Denique varia Judæorum eodem seculo in Imperio Romano, Constantinopoli, in Italia, Hispania, Gallia fata quarto huic Tomo coronidem imponunt.
- XVIII. sq. ut haberent Judæi terræ Sanctæ & qui cum eis faciebant, quod opponerent Helleniorum traditionibus. Æchmalotarcharum item & Academiæ in Babylonia constitutio, ejus ætatis res est. Fata, quæ seculo IV sub Christianis Imperatoribus subiere, tum ex Imperatorum legibus, tum canonibus conciliorum, tum aliis monumentis eruuntur, quo loco miracula, quibus deteriti a templo restituendo, quod Julianus ὁ παραβάτης ipsis concesserat, fuerunt, sub examen revocantur. Quinto seculo, quæ iis evenere, sive sub orientalibus, sive occidentalibus Imperatoribus, distincte percensentur, ubi Nestorii inter alia Judaismus confutatur, & occasione Rescripti Honorii de *Cælicolis* diligentius agitur, quam sectam esse tum recens in Africa natam, ex ipsis verbis rescripti probatur, Christianorum eam fuisse sectam, & ut paucis absolvamus, cum Donatismo cognatam, imo & caput ejus Majorem fuisse, ex Augustini Ep. 162 cum verbis rescripti collata concluditur. *Cælicos* dictos esse, quod solorum Martyrum suorum, qui pro cœli incolis ab ipsis haberentur, decisiones amplecterentur. Ea ætate Talmud Babylonium compilatum est, qua de re pariter ac aliis eventibus, qui Judæis Persico dominio obnoxiiis tum obtigere, peculiari Capite agitur, quorum inde fata in Persia, Arabia & Æthiopia usque ad VII seculum exponuntur, in qua Periodo memorabilia maxime sunt inter eos & Mohammedem ejusque asseclas gesta. Denique varia Judæorum eodem seculo in Imperio Romano, Constantinopoli, in Italia, Hispania, Gallia fata quarto huic Tomo coronidem imponunt.
- XXI. ut haberent Judæi terræ Sanctæ & qui cum eis faciebant, quod opponerent Helleniorum traditionibus. Æchmalotarcharum item & Academiæ in Babylonia constitutio, ejus ætatis res est. Fata, quæ seculo IV sub Christianis Imperatoribus subiere, tum ex Imperatorum legibus, tum canonibus conciliorum, tum aliis monumentis eruuntur, quo loco miracula, quibus deteriti a templo restituendo, quod Julianus ὁ παραβάτης ipsis concesserat, fuerunt, sub examen revocantur. Quinto seculo, quæ iis evenere, sive sub orientalibus, sive occidentalibus Imperatoribus, distincte percensentur, ubi Nestorii inter alia Judaismus confutatur, & occasione Rescripti Honorii de *Cælicolis* diligentius agitur, quam sectam esse tum recens in Africa natam, ex ipsis verbis rescripti probatur, Christianorum eam fuisse sectam, & ut paucis absolvamus, cum Donatismo cognatam, imo & caput ejus Majorem fuisse, ex Augustini Ep. 162 cum verbis rescripti collata concluditur. *Cælicos* dictos esse, quod solorum Martyrum suorum, qui pro cœli incolis ab ipsis haberentur, decisiones amplecterentur. Ea ætate Talmud Babylonium compilatum est, qua de re pariter ac aliis eventibus, qui Judæis Persico dominio obnoxiiis tum obtigere, peculiari Capite agitur, quorum inde fata in Persia, Arabia & Æthiopia usque ad VII seculum exponuntur, in qua Periodo memorabilia maxime sunt inter eos & Mohammedem ejusque asseclas gesta. Denique varia Judæorum eodem seculo in Imperio Romano, Constantinopoli, in Italia, Hispania, Gallia fata quarto huic Tomo coronidem imponunt.
- XII. XIII. ut haberent Judæi terræ Sanctæ & qui cum eis faciebant, quod opponerent Helleniorum traditionibus. Æchmalotarcharum item & Academiæ in Babylonia constitutio, ejus ætatis res est. Fata, quæ seculo IV sub Christianis Imperatoribus subiere, tum ex Imperatorum legibus, tum canonibus conciliorum, tum aliis monumentis eruuntur, quo loco miracula, quibus deteriti a templo restituendo, quod Julianus ὁ παραβάτης ipsis concesserat, fuerunt, sub examen revocantur. Quinto seculo, quæ iis evenere, sive sub orientalibus, sive occidentalibus Imperatoribus, distincte percensentur, ubi Nestorii inter alia Judaismus confutatur, & occasione Rescripti Honorii de *Cælicolis* diligentius agitur, quam sectam esse tum recens in Africa natam, ex ipsis verbis rescripti probatur, Christianorum eam fuisse sectam, & ut paucis absolvamus, cum Donatismo cognatam, imo & caput ejus Majorem fuisse, ex Augustini Ep. 162 cum verbis rescripti collata concluditur. *Cælicos* dictos esse, quod solorum Martyrum suorum, qui pro cœli incolis ab ipsis haberentur, decisiones amplecterentur. Ea ætate Talmud Babylonium compilatum est, qua de re pariter ac aliis eventibus, qui Judæis Persico dominio obnoxiiis tum obtigere, peculiari Capite agitur, quorum inde fata in Persia, Arabia & Æthiopia usque ad VII seculum exponuntur, in qua Periodo memorabilia maxime sunt inter eos & Mohammedem ejusque asseclas gesta. Denique varia Judæorum eodem seculo in Imperio Romano, Constantinopoli, in Italia, Hispania, Gallia fata quarto huic Tomo coronidem imponunt.

Principumque contra Judæos decreta recensentur. Hinc orientalium Judæorum seculo XIII & XIV fata dum exponuntur, plena tum inter Græcos libertate eos usos esse ostenditur, exprobrantes Latinis Judæorum persecutiones, dum maxime interea eorum in ritibus superstitiones imitentur, quod verum esse confirmatur nummo Papæ Clementis, in cujus averfa agnus paschalis coctus conspicitur, & Innocentii II factio, qui in monasterio S. Dionysii agnum Festo paschatos immolavit. In Hispania ætate ea Pugionis fidei Autor Raymundus Martinus floruisse ostenditur, in quo opere multa perperam Judæis tribui, male miracula Christi probari, oraculum Danielis eludi, mortem Messia minus solide doceri, aliaque ejus generis momentur. In Italia tempore eodem orta est fabula de lege Esræ manu scripta, Inquisitoribus Bononiensibus a Judæis oblata, quæ confutatur. Taceo plura alia cum iis in Gallia, Anglia, Germania, Hungaria & reliquis Europæ provinciis eo tempore gesta. In recentissima Judæorum historia, Tzabathai Zevi Pseudo-Messia Alexandrini res gestæ, recens Samaritanorum status, status Judæorum in Æthiopia florentior, & quæstio, an ex eo contra vaticinium Jacobi de sceptro ablato peti argumentum possit, Reuchlini in res Judaicas merita, Judæorum in Belgio, tot eruditorum in ista etiam gente ab aliquot ætatibus feraci, status, disputatio contra Menasses Ben Israel de decem tribubus, maxime observari merentur. Neque male operæ pretium repondet lectum ultimum caput, de conversione Judæorum variisque ad eam promovendam methodis. Sed nobis merito de iis silendi venia debetur, jam enim pro nostri instituti ratione satis est, imo forte plus quam satis.

C. XIV.

*ADAMI CORTREJI, CORPORIS JURIS PUBLICI,
Sacri Romani Imperii Germanici Tomus Primus
& Secundus.*

Francof. ad Moenum, apud Christianum Genschium, 1707, in fol.
Alphab. 25.

Pro-

Promissum de Corpore Juris Publici Germanici edendo, cuius in Actis nostris A. 1706 mense Jan. p. 30 & Augusto p. 348 data occasione bis fecimus mentionem, strenue exequi cœpit Celeberrimus Autor, dum duos Constitutionum Publicarum Tomos Orbi erudito exhibet, inspersis plena manu Observatis Historico-Politico-Juridicis. Et quamvis eum mors paulo post editos hos Tomos eripuerit, spes tamen superest, reliquos, cura imprimis Consultissimi Filii, deinceps quoque prodituros. Ut vero de his, quos modo exhibemus, breviter ex instituto agamus, non orsus est Opus Autor a legibus antiquioribus, quod quidem, ipso indice, naturæ ordo & indiculus antea de eodem exhibitus requirere videbantur, sed ab iis, quæ temporibus nostris sunt propinquiores, initium fecit, cujus consilii rationes ipse in Præfatione exponit. Tomus primus sex partibus absolvitur, quarum prima Instrumentum Pacis Cæsareo-Gallicum, Noviomagi die 5 Februarii A. 1679 conclusum & subscriptum; secunda Pacificationem Noviomagensem Cæsareo-Suecicam exhibet. Tertia Pacificationem Cæsareo-Gallicam Rysvicensem sistit. Hanc in parte quarta Ordinatio Executionis Sacri Romani Imperii sequitur. Illi pars quinta Imperii matriculas, quæ vel Status Imperii continere censentur, vel collectas imperiales exhibent, vel sustentationem Camerae Imperialis respiciunt, cum Zachariæ Geitzkoffleri, Quæstoris olim Imperialis, ad collectarum imperialium matriculam commentatione, adjicit. In sexta parte Concordata Imperatoris Friderici III & Papæ Nicolai V recensentur, annexa Autoris Repræsentatione Juris Primariarum precum, Sacratissimis Imperatoribus Romano Germanicis sine prævio Pontificum assensu competentis, quæ antea seorsim edita ac in Actis nostris mense Augusto A. 1706 relata fuit. Tomus secundus Transactionem Passaviensem de anno 1552, nec non Christopherei Lehmanni de Pace Religionis Actorum publicorum & originalium Libros tres continet, quibus accesserunt nonnulla, quæ in Episcopatu Hildesensi inter Pontificios & Protestantes in puncto religionis disputata ac Hannoveræ 1696 primum publicata sunt. Pacificationem Noviomagensem Cæsareo-

fareo-

sareo-Gallicam & Suecicam antehac a nemine fuisse illustratam, asserit Consultissimus Autor, ac Observata sua, tam ad illam & istam, quam Rysvicensem Pacem, ex Actis publicis diversorumque Imperii Statuum archivis ea ratione se adornasse, profitetur, ut argumentum cujusque articuli, occasionem controversiarum inter belligerantes subortarum ipsarum progressum, pacificationis tractatum, conclusa, quidve post pacem promulgatam in quovis negotio actum, & in quo statu id hodie positum sit, ostenderet. In ceteris partibus, nempe Ordinatione Executionis, Matriculis, Concordatis & Transactione Passaviensi, illustrandis non minori diligentia versatus est Noster, nam & illas ea ratione a nemine hactenus vel editas, vel evolutas, ex fontibus antea laudatis doctissime explanavit.

*JOANNIS VIGNOLI DE COLUMNA IMPERATORIS
Antonini Pii Dissertatio. Accedunt antiquæ Inscriptiones,
ex quamplurimis, quæ apud Auctorem
extant, selectæ.*

Romæ, apud Franciscum Gonzagam, 1705, in 4to.

Constat 2 Alph. 4 plag. & tabula ænea, multisque aliis textui insertis.

Lætandi causam nacti sunt peramplam curiosi antiquitatum indagatores, & quotquot Urbis splendorem detectis priscaevi monumentis indies augeri cupiunt, quod hæc columna tandem in liberiolem producta sit conspectum. Eam enim summa fatorum iniquitas multa terra ac superædificatis undique domibus a tot retro seculis absconderat, ut vel vetustissimi scriptores P. Victor, Sex. Ruffus & Sex. Aurelius Victor, qui tamen alias columnas memorabiles sua ætate superstites recensent, illaudatam ideo præterierint. Quin & istud hactenus accidit, ut cum summa saltem sui parte e ruderibus prominere, non pauci, conjectandi licentia abusi, ad eam velut ad scopulum alliserint. Nonnulli namque Citatorix illam nomine insigniverunt, quasi apud Romanos forenses litigatorum dicæ eidem affigi moris
D
fuis-

TAB. I.

Fig. 1


Fig. 2

fuisset, vel quod ex ejus fastigio ad suffragia in septis ferenda Centurias, seu tribus citare consuevisset præco; alii, inter quos Fainianus Nardinus, unam ex iis columnis venditavere, quæ proximam Europæ porticum olim sustinebant; alii alia adhuc haut rectiora arbitrati sunt. Tandem sub exitum A. 1704 sapientissimus Pontifex, qui, ut cum Autore loquamur, nobiliora, quæque veteris artis Romanæque magnificentia indicia restituere satagit, eruderare eam mandavit, ubi mira quædam operis pulchritudo & majestas omnium oculis se ingessit, cujus hic quoque conspectum damus. Deprehensa siquidem illa est ex marmore rubeis maculis intermixto & solidis Urbis columnis aliis crassitie facile præstare, altitudo ejus pedum quinquaginta, infimi scapi crassities sex, ambitus vero viginti; stylobates autem ex unico integroque Pario marmore magnitudinis minime obviæ, latitudinis duodecim atque altitudinis undecim pedum. In priore latere, quod occasum versus æstivum prospicit, uncialibus literis, ære quondam rutilantibus, inscriptio sese obtulit: DIVO. ANTONINO. AVGVSTO. PIO. ANTONINVS. AVGVSTVS. ET. VERVS. AVGVSTVS. FILII. In altero, quod orienti obvertitur, ipsius Antonini atque Faustinae uxoris apothefin, at in reliquis duobus lateribus feralem equitum pedumque decursionem anaglyphico opere faberrime expressas cernere licuit, prout in apposita hic tabula patet. Tam splendidum agitur antiquæ elegantia monumentum doctissimus Vignolius, qui Illustriss. Principi Philippo Columnæ, Regni Neapolitani Magno Stabuli Comiti ab Epistolis & Supplicum libellis est, omnibusque præterea bonis & reconditæ eruditionis copia & judicii sagacitate commendatissimus vivit, declarationibus suis ad majorem lucem protrahere voluit, & quandoquidem illud in ea Campi Martii parte, quæ Mons Cytorius appellatur, situm appareat, de hujus denominationis origine aliqua præmittit. Displicere autem sibi innuit eorum sententiam, qui montem hunc quasi *Citatorum* dictum autumant, quod populus Romanus illuc citatus convenisset; vel qui *Septorum* a proximis Septis; vel *acceptorum* aut *acceptabilem* a suffragiis acceptandis nominatum conjiciunt. Omnes enim a tramite veri deviare putat, eo quod

nemo

TO-VG-PIC
CVSTV-ET
TVS-FILII

Fig. 5.



Oriens.




Fig. 6.



Meridies.

Fig. 2




Fig. 1.

Fig. 4.



Fig. 3.



Occidens.


Fig. 7.



Septentrio.



Fig. 1




ANTONIA

ANTONIA

ANTONIA



Fig. 2



nemo veterum autorum seu montem seu alium locum memoret *Citatorum*, seu alio hujusmodi epitheto designatum. Non plane contemnendam suppeditat ipse conjecturam, dum a plurima buxo ibi virescente *Cytorum*, ad imitationem Cytori Galatiæ montis buxo satis famosi, appellatum credit, quam tamen merito in medio relinquit. At enim vero non Villæ publicæ aut amphitheatri Claudiani ruinis, ut quidam volunt, sed terra sordibusque sequiori ævo illuc congestis hunc montem intumuisse existimat, qua occasione multa de Villæ publicæ & Septorum situ, quin & de Septorum campi Martii cum Septis Agrippianis convenientia haud proletaria proponuntur. Ipsam columnæ molem quod attinet, cum in honorem Antonini Pii Imp. jactam esse abunde doceat inscriptio, illam quoque vivo adhuc Antonino ob maximas ejus virtutes a Senatu erectam fuisse ex nummo musei Foucaultiani, sub Fig. 3 adpicti, porro arguit, dedicationem vero & reliqua consecrationis symbola post obitum ipsius a Marco & Lucio successoribus demum addita hariolatur, quam in rem multa de illius mortis die, imperiique & vitæ annis apposite disputat, ac Lydiati opinionem, qui Antoninum Nonis Octobris vitam deposuisse scripserat, solide perstringit. Divi autem titulum hic in epigrapha obvium, nemini Imperatorum, nisi post mortem, & quidem illi, qui inter Divos conceptis verbis fuisset relatus, a Senatu tributum contendit, indeque Angelonii, Erytii, Nardini aliorumque fabulas explodit, nummos insuper aliquot Titi & Trajani Divi elogium vivis impositum apud Occonem mentientes, ad suspectæ fidei merces ablegat. Istud pariter observat, titulum Divi cæteris consecrati nominibus, uti hic in Antonino, ita fuisse copulatum, ut omissio peculiari prænomine in ejus locum successerit, Tito Vespasiano saltem & Marco Antonino exceptis, quippe qui, ut a parentibus distinguerentur, prænomina sua neque in consecratione amiserint. Post hæc accurate investigat, quando M. Aurelius Antonini nomen & Marci prænomen acceperit, ac Lucium non a patris, sed a M. Aurelii pristino cognomine Verum audivisse, præterea ab obitu Pii statim, non post mensem demum, Augustum nuncupatum statuit.

TAB. I.
Fig. 3.

TAB. I.
Fig. 4.

Fig. 5

Fig. 6. 7.

In publicis tamen monumentis, ceu ipsamet hæc inscriptio suffragatur, nusquam huic Vero Antonini nomen tribui notat, licet Capitolinus, Sex. Rufus & Eutropius istud cognominis ipsi vindicent. Tum illorum profligare suscipit errores, qui M. Aurelii columnam cochlidem Antonino Pio adjudicant, eamque in nummis consecrationis hujus Imperatoris, quorum ectypum aliquod sub Fig. 4 damus, exhiberi volunt, cum potius existimandum sit hanc solidam columnam ibidem repræsentari, atque illam cochlidem columnam M. Aurelio post ejus fata a Senatu decretam esse, velut apud utrumque Victorem hujus rei vestigia habeantur. Denique in figuras reliquis stylobatis partibus insculptas oculum intendit, omnemque habitum consecrationis Imperatoris, cum uxore Faustina in sublime vecti, judiciose explicat. Huc refert in Fig. 5 Augusti caput nudum, binas aquilas, alatum juvenem, quem mundi genium interpretatur, globum cum parte Zodiaci & serpente tortuoso, qui ab Ægyptiis symbolum Spiritus mundi habetur, alterum item genium seu juvenem seminudum cum obelisco, quem sinistro femore sustinet & læva apprehendit, tum sedentem ex adverso ad decurrentem Tiberim Deam Romam galea & parazonio vesteque ad talos promissa insignem, quæ dextram in orbis genium extendit, eique auxiliatricem quasi manum præbet, sinistra vero clypeo, in quo lupæ cum Romulo ac Remo effigies, incumbit, multamque armorum congeriem ante pedes positam habet. Sceptrum vero aquiligerum, quod manibus librat Pius, non tam ad divinitatem, quam summum ejus imperium potius pertinere ait. Quod tandem Faustina senior, fœmina parum secundæ famæ, velato capite atque apotheoseos socia hic apparet, illud quidem nemo mirabitur, qui recolit, quam effusa fuerit Senatus voluntas in memoria ejus consecranda, & quantam nummorum vim eam ob rationem, superstite Imperatore viduo, signari fecerit. Mittimus jam funebrem illam decursionem in Fig. 6 & 7, quæ in utroque latere, sed figuris admodum detritis, sistitur, cujus intuitu Autor haud pauca de Pyrrhychiis saltationibus seu ludicris Trojæ, quibus Quirites adeo delectabantur, simul annectit. Secundam libri partem constituit veterum inscriptionum selectissima

tiſſima farrago, in tres claſſes, Votivas ſcilicet, Sepulcrales & Va-
rias, quibus & Chriſtianæ admifcentur, diſpertita. Multa ibi
lectu jucundiffima atque egregiæ in re antiquaria utilitatis ob-
veniunt, quibus ſuperaddita ſubinde videas ſchemata ære incifa
& commentatiunculas Noſtri breviores, ut adeo minime ſit
ambigendum, quin præmium exacti laboris in eruditæ cavæ
adplauſu uberrime ferat Clariffimus Autor.

*JOHANNIS BAPTISTÆ MORGAGNI, FO-
roliviensis, Philoſ. & Medici, ac Philoſophicæ, quæ Bono-
niæ eſt, Academia Phyſico-Med. & Anatomæ Pro-
feſſoris, Adverſaria Anatomica
prima.*

Bononiæ, typis Ferdinandi Piſarri, 1706 in 4.

Plagul. 7, æn. Tab. 4 chart. auguſt.

QUæ ſolertiſſimus Autor, in Actis noſtris Anno elapſo menſe
Septembri p. 428. jamjam laudatus, cum literatø hic com-
municare voluit orbe, partim nova prorfus ſunt, ab alio non-
dum propoſita, partim obſoleta nunc, licet olim cognita, par-
tim obſervatis aliorum Anatomicorum invicem diſcrepantibus
interpoſita. Novis videlicet annumerantur, quæ de glandulis
arytænoidæis, de glandulis epiglottidis, de ligamentis tam epi-
glottidis lateralibus, quam labrorum, de muſculorum ſterno-
thyroidum & hyothyroidum terminis, de muſculorum autem
ſternothyroidum & ſternohyoidum inſcriptionibus, de nonnul-
lis itidem uvulæ & pharyngis muſculis, de foramine ad linguæ
radicem, de duobus veſicæ corporibus carneis ac peculiaribus u-
rethræ foraminibus & canaliculis, de glandulis ſebaceis diverſis,
ſpeciatiim nympharum, naſi & labrorum, ſubpalpebralibus &
palpebrarum, areolarum papillæ mammæ, de vagina deni-
que uteri atque valvulis cervicis ejuſdem exhibentur. Aſt ad ea,
quæ olim annotata, nunc vero neglecta habentur, cartilaginum
arytænoidum cum cricoide articulationes, ventriculi laryngis,
medium epiglottidis ligamentum, ligamentum penis ſuſpen-
ſorium, & valvularum arteriæ aortæ atque pulmonalis corpu-

- scula fibræque spectant. Tandem observationes aliorum Anatomicorum confirmari vel reprobari videntur per ea, quæ de foramine foetus ovali ejusque valvula, de vena umbilicali, de oculorum glandulis & lacertis, de thyroidæa aliisque glandulis, de musculis coracohyoidæis atque laryngis propriis, de hymene, de ovariis & tubis Fallopianis, de lacunis fossæ muliebris, de mucis ad cervicem uteri occurrentis fontibus, de scaturigine demum menstruorum traduntur. Singula nihilominus quia specialius a nobis recenseri nequeunt, pauciora ex quolibet observatorum genere pro more
- p. 1. imus excerptum. Glandulæ arytænoidæe e granulis ex livido albescentibus contextæ ad utramque arytænoidem forma literæ L non absimili ita collocantur, ut crus brevius thyroidem, versus protendatur, longius autem arytænoidum processui superius & anterius instratum alte in nonnullas illarum cavitates sese insinuet. Quemadmodum vero interna hujus superficies a substantia solidiuscula ideo coercetur, ne glandula nimio humore distenta intro protuberet spiritumque intercipiat, ita illud eundem in finem a duobus ligamentis, per quæ arytænoides & thyroides inter se connectuntur, intrinsecus con-
4. stringitur. Ad linguæ radicem foramen aliquando, non semper, hiat, nunc arctius, nunc, & sæpe, satis amplum, atque aptum, quod Chirurgis specie sinuosi ulceris valeat imponere, cum stylum interdum satis profunde admittat, sinusque talis apertus mucosa saliva scateat, qualis ex parvo pariter orificio, quo canalis excretorius glandularum inferius desinit, sine negotio exprimi queat.
5. In superiori urethræ virilis parte multa interius foramina sive excretoria oscula innuuntur, cum majora, tum minorâ: majora in recta linea secundum urethræ longitudinem disposita, in plerisque ab extremo meatu urinario pollicem transversum incipiunt, & septem vel octo digitos ab eodem desinunt, numero sæpe decem vel undecim, rarissime tria tantum vel quatuor, modo magis, modo minus a se invicem distantia, magnitudinis itidem incertæ, licet prima reliquis ut plurimum occurrant majora, canaliculis excretoriis sub interna urethræ membrana protensis sursum continuata, & deorsum, compressa guttas emittentia liquoris subalbidi, crassiusculi & lenti,

lenti, consimilis ei, qui ex mucosis Clariss. *Cowperi* glandulis in urethram exprimitur. Minora vero foramina longe plura urethram ubique, passim ad latera majorum foraminum, interdum quoque infra hæc supraque, perforant, liquore intus retento turgidula, subrotundorum & albescentium corpusculorum formam repræsentantia; quæ ut conspectiora reddantur, urethra virilis secundum longitudinem aperta super tabellam extendi, nihil tamen digitis exprimi, nec abstergi, sed tabella ad solis vel facis accensæ lumen varie inclinari jubetur. Cervicem uteri p. II. rugosam etiamsi omnes Anatomici dicunt, nullus tamen eorum ante *Nostrum* rugas hæc a valvulis, ex reduplicata cervicis interiori membrana productis, atque non sursum, sed deorsum respicientibus, fieri asseruit. Articulatio cartilaginum ary-tænoidum cum cricoide, ab illarum sinibus & hujus capitulis dependens, atque a *Galeno* non modo, sed & a *Curtio*, *Vesalio*, *Stephano*, *Valverde*, *Fuchsio*, *Columbo*, *Fabricio*, & *Casparo Bauhino* descripta, cur ab Anatomicis reliquis *Bauhino* succedentibus, præter unicum *Antonium Molinettum* & recentissimum *Johannem Mauricium Hoffmannum*, prætermissa plane fuerit, *Autor* eo magis miratur, quo minus laryngis ejusque musculorum propriorum usus sine tali articulatione possit explicari, lubricationem insuper ejusdem, crebrius movendæ, a parvula lacinia molli & subrubente, utriusque capituli extremitates amplectente, ceu glandula quadam mucilaginosâ, deducens. Cum in vena umbilicali describenda & depingenda minus inter se Autores conveniant, eorumque alii potissimum dictæ venæ ingressum in dextra hepatis, alii in sinistra indigent parte, figuræ ultimorum, nempe *Glissonii*, *Ruyschii* & *Verheyen* per autopsiam *Nostræ* pronunciantur accuratiores. Laryngis cartilaginum pleræque a *Realdo Columbo* in ossium numero habentur, quod in consistente præsertim ætate non solum osseæ, verum medullosa quoque substantia refertæ multoties deprehendantur: quamvis vero a *Casserio* & *Diemerbrochio* utrumque negatum fuerit, *Noster* nihilominus in senum aut ad senectutem vergentium hominum dissectionibus ordinario thyroidem & cricoidem aut osseas, aut ossescentes, multasque intus cellulas, in

12.

20.

25.

p. 37. in thyroide quidem ad latera potissimum, in cricoide vero posteriorius, substantia medullosa per poros cartilaginum compressarum transsudante repletas, vidisse se affirmat. Quas vesiculas, uteri cervicem occupantes, *Graaf* pro hydatidibus, *Des- Noues* pro organis seminis foeminei, (*Naboth* in Disputatione, de Sterilitate Mulierum apud nos habita, pro ovulis genuinis, germen continentibus,) habuerunt, *Noster* pro mucii uterini scaturigine venditat atque delineat, veluti simili mucro turgidas. 39. Fontem denique fluxus menstrui mulierum in fundo potius uteri, quam in vagina, quærentes novis hic confirmantur experimentis, postquam in sectione virginis atque unius alteriusque mulieris, quibus ante obitum menses vel fluxerant, vel imminuerant, uteri non vagina, sed fundus, maculas sanguineas evidenter monstravit.

DE CYCLO RUM SOLI-LUNARIUM INCONSTANTIA & emendatione P. F. THOMÆ PII MAPHÆI,
Neapolitani, Ordinis Prædicatorum,
Opus.

Venetis 1706, typis Antonii Bortoli, in 4.
Const. i Alph. 12 pl.

BAsin computi Ecclesiastici esse decretum Concilii *Nicani*, satis superque notum est. Nec minus perspectum censeri debet, a Patribus illius Synodi sancitum fuisse, ut Pascha celebretur die Dominica, quæ sequitur novilunium ab æquinoctio verno primum: unde voluisse intelliguntur, ut evitetur concursus cum *Judeis*, Luna decima quarta Pascha celebrantibus; noluisse autem, ut Pascha bis in uno anno, in altero profus non, vel etiam in Mense impurorum celebretur. Cum adeo *Gregorius XIII* in reformatione Calendarii decreto *Nicano* satisfacere intenderet, perperam factum est ab ipsius Mathematicis, *Lilio* imprimis atque *Clavio*, quod præter omnem necessitatem talem introduxerint computum; qui contra mentem *Gregorii* Pontificis omnes errores Patribus *Nicanis* improbatos admittit. Neque enim ipse *Clavius* in Apologia Calendarii *Gregoriana* & de-

defensione *Possevini* adversus *Mæstlinum* p. 121 diffitetur, Cyclum *Gregorianum* secutos nonnunquam, etsi raro, Pascha celebrare cum *Quartadecimanis & Judæis*; interdum bis in uno anno, in altero prorsus non; aliquando in Mense impurorum; aliquando in ultima Quadratura. Commendandum igitur omnino est eorum studium, qui computi *Gregoriani* correctionem Pontifici suadent & de aliis Pascha computandi methodis solliciti sunt. Varia hæctenus eum in finem in Italia prædierunt scripta, quorum aliqua, quæ ad nos pervenerunt, in Actis nostris recensuimus. In eorum quoque censum referri debet præsens de Cyclorum Soli-Lunarium inconstantia & emendatione opus, quod Autorem agnoscit melioris Matheseos optime gnarum, virum doctum atque cordatum; quemadmodum ex subsequen- tibus patebit.

Omnis autem ipsius labor hæc redit, ut evidentissime demonstret, Cyclos Solilunares omnes inconstantes esse, eorumque defectus nonnisi per motus luminarium veros, qui per calculum Astronomicum habentur, emendari posse, atque adeo ad determinandam festivitatem Paschalem, abrogato computo cyclico, Astronomicum introducendum esse: id quod *Erhardus Weigelius*, reformationis Calendarii a Statibus Protestantibus nuper factæ fax & tuba, suasit tandemque persuasit. Videamus, quomodo noster suum consequatur propositum. Ne qua tanquam aliunde nota supponere opus habeat, caput præliminare operi erudito præmittit, in quo anni formam *Julianam & Gregorianam*, atque *Scaligeri* periodum *Julianam* describit; de Cyclo Solis ac littera Dominicali, de Indictione *Romana*, de Cyclo Lunæ Decennovennali, seu numero aureo, de epactis, de diebus Paschatis *Julianis, Gregorianis & Lilianis* decretoque concilii *Nicani*, ac de festis reliquis mobilibus sufficienter tractat, & sub finem monstrat, *Clavium* ipsum non diffiteri, epactas usuales a veris Lunationibus interdum deficere. Excusat tamen *Gregorium*, quod vitiosum computum introduxerit. Ast sine ratione Protestantibus objicit, quod ipsi cyclo magis vitioso utantur, tum quia jam anno 1700 eundem abrogarunt, tum quia, si vel maxime adhuc uti libuisset, se ob libertatis Evange-

gelicæ privilegium, quod in ordinando tempore festivitatis Paschalis celebrandæ ipse agnoscit Autor, decretis Concilii *Nicæni* minime teneri palam profitentur. A præliminaribus hisce ad epactas *Gregorianas* & *Lilianas* expendendas progreditur, cum in computo *Gregoriano* utramque faciant paginam. Monstrat utrasque a cælo deviare, tum ob earundem per dies Calendarii distributionem, tum ob æquinoctium diei 21 Martii constanter in *Cyclo Liliano* & *Gregoriano* allegatum. Evincit ulterius, nullum cyclum politicum lunationibus designandis excogitari posse, qui a cælo non deflectat, cum cycli omnes tempora civilia admittant, fragmentis horariis neglectis, quæ in pluribus illorum revolutionibus varietatem notabilem introducunt. Addit, epactas *Lilianas* & communes cum cyclo decennovennali suos numeros alternantes cycli illius, nisi veris motibus corrigantur, vitia retinere. Ut vero cyclorum omnium inconstantiam rigorose demonstret, & certam eorundem emendationem docere queat; novam proponit methodum exactum cyclum mediarum Lunationum in annis Julianis construendi. Nos, ommissa Autoris synthesi, brevem damus problematis analysin. Quoniam nec mensis Lunaris synodicus, nec annus *Julianus* ex integris diebus componitur, sed utrobique dierum fragmenta integris adhærent; inveniendus nobis est numerus integer, quem duæ datæ fractiones metiuntur per numeros integros: ex his enim unus indicabit numerum mensium, alter numerum annorum in cyclo perfecto ex diebus integris composito contentorum, adeoque hic ipse numerus alter erit cyclus magnus mediarum Lunationum quæsitus. Sit itaque

mensis synodicus $\frac{a}{b}$, quantitas anni Juliani $\frac{c}{d}$. Sit numerus

quæsitus z , numerus, per quem anni quantitas ipsum metitur y , numerus, per quem mensis quantitas metitur

eundem x . Erit ex conditione problematis: I. $x :: \frac{a}{b} z$
 & I. $y :: \frac{c}{d} z$, adeoque $\frac{ax}{b} = z$ & $\frac{cy}{d} = z$, consequenter

$$\frac{ax}{b} = \frac{cy}{d}. \quad \text{Unde habetur, } \frac{adx}{bc} = y. \quad \text{Apparet adeo, ut}$$

y habeatur in integris, fieri debere $x = bc$. Hoc enim ad-
 misso, erit $y = ad$. Quare, si cum Autore assumamus qua-

titatem mensis Lunaris Synodici 29 d - 12 h. 44 3 10 5

$$= 29 \frac{165035451}{311040000} = \frac{3061731817}{103680000}, \quad \text{cumque sit quantitas}$$

anni Juliani $\frac{1461}{4}$, erit quantitas cycli $ad = 12246927268$.

Ex hac Analyfi liquet, idem theorema fufficere cyclis binorum
 quorumcunque Planetarum constituendis, cumque ipsius x de-
 terminatio non alia detur, quam per b c, præter cyclum propo-
 fitum alium inveniri non poffe. Ad cycli per hanc methodum
 inventi veritatem comprobendam Tabulas mediarum Lunatio-
 num fcrupulofas fupputare docet, in quibus ne minima quidem
 negliguntur fragmenta: quo factò, cycli magni ufum in emen-
 dandis Anomalis, tam *Julianis*, quam *Gregorianis*, oftendit. Vo-
 cat *Cyclos Anomalos*, qui lunationes ad idem diei momentum
 non reftituunt, eosque dividit in aphæreticos & proftthaticos.
Aphæretici & fubtractitii funt, qui temporis aliquod intervallum
 a Lunatione, quæ pro radice accipitur, detrahunt, *Proftthatici*
 feu *addititii* funt, qui mensis poftrema petunt. Docet itaque,
 quomodo dato quocunque annorum *Julianorum* numero inter-
 vallum lunationum addititium & fubtractitium inter annos fi-
 miles revolutionum ejusdem exhibeatur, quomodo dato inter-
 vallo quocunque lunationum mediarum cyclus anomalus in
 annis *Julianis* inveniatur & viciffim: quod poftremum dum
 aggreditur, quatuor fequentia problemata folvit, fcilicet quomo-
 do dato intervallo quocunque lunationum mediarum fubtracti-
 tio, cyclus lunaris; dato cyclo in annis *Julianis*, intervallum
 lunationum fubtractitium; dato intervallo addititio priori lu-
 nationi, cyclus *Julianus* anomalus; & dato hoc cyclo, inter-

vallum mediarum lunationum addititium investigetur. Similia prorsus problemata solvit circa Cyclos *Gregorianos*, ubi simul datum seculum *Gregorianum* ad *Julianum* reducere, anni *Gregoriani* magnitudinem supputare & lunationes medias in annis *Gregorianis* ad quodcunque tempus eruere docet. Utitur problemate subsidiario, quod *Bachetus* ad Prop. 41, Lib. 4 *Diophanti* sine solutione proposuerat & ipse prolixa synthesi solvit, Analysin occultam cum aliis ad Geometricas resolutiones spectantibus propediem editurus. Ipsum problema est hujus tenoris: datis tribus numeris a, b, c invenire duos alios integros x, y , ut sit $ax + c = by$. Subjungit tandem crisin in cyclos anomalos tum *Julianos*, tum *Gregorianos*. Monet nimirum, perfectam mediarum lunationum periodum ob mensis synodici medii adhuc incertam magnitudinem determinari non posse, imprimis cum minutissima fragmenta in quantitate mensis neglecta enormem in periodo magna varietatem inducant: atque adeo omnem inventam periodum, quantumlibet magnam, in praelongis temporum revolutionibus calendario inutilem esse. Cyclos quidem anomalos in unica revolutione minus in lunationes peccare, in longis tamen revolutionibus ad intolerabilem varietatem excrescere & extra diem competentem lunationem asportare. Tales igitur cyclos vix certum usum in calendarii restitutione sibi vindicare. Similiter ruere correctionem ac distributionem calendariorum, ubi nova mensis synodici per Astronomos facta correctio. Correctionem igitur tanquam perpetuo duraturam instituendam esse. Hinc tandem infert: mediis insistendo motibus in calendarii correctione errores quidem minui, at non prorsus amoveri. Ceterum in cyclis *Gregorianis* præter defectus hæcenus notatos & ipsis cum *Julianis* communes locum insuper habet quantitas anni Astronomici nondum accurate determinata. Quodsi adeo cyclis utendum, non quæri posse ait cyclum perpetuum, sed saltem cyclum, qui serius correctionem exposcit. Jam veri motus cyclorum defectus emendant; eos itaque introducendos esse, cyclis abrogatis, contendit Autor. Quoniam tamen *Clavius* cum asseclis in illos multum invehitur, objectiones exami-

nat, & ad eas solide respondet. Dum vero de correctione computi *Gregoriani* agit, annotat, nullo Christianos mandato divino ad Pascha celebrandum teneri, sed omnium rituum circumstantiis una cum Veteris Testamenti Sacramentis per Christum abrogatis, omnes ab Ecclesia ceremonias abrogari potuisse. Pontifici ergo integrum esse, ut ex mobili stabile reddat Paschatos festum & alicui Martii Dominicæ, ex. gr. ultimæ, affigat, sive novilunium, sive plenilunium præcedat. Quocunque enim die celebretur Pascha, eadem devotione, eodem zelo passionis Dominicæ ac resurrectionis mysteria celebraturos esse fideles. Ita re alia non opus fore, quam ut intra mensis Martii limites contineatur æquinoctium vernalis: id quod per solam anni *Gregoriani* formam obtineri queat. *Gregorianam* autem correctionem perpetim in futuris temporibus servandam esse, ne contra decreta Concilii *Nicæni* in media hieme aliquando celebretur Pascha. Non opus esse, ut in Paschatis celebratione Pontifex lunæ decimæ quartæ rationem habeat, cum tempus celebrandi Paschatis ad Jus Ecclesiasticum positivum pertineat. Nec quicquam obstare Patrum & Conciliorum sanctiones, quoniam ad dogma aliquod catholicum non spectant. Certe vetustissimam Ecclesiæ consuetudinem universalis Ecclesiæ commode præferri minime debere; sed æque ac consuetudines alias a conciliis olim approbatas abrogari posse. Talium consuetudinum nostro tempore non amplius observatarum complures recenset, ex. gr. quod *Arelatense* Concilium decreverit decretumque postea Synodus *Nicæna* approbaverit, tempus Paschatis a Romano Pontifice indicari debere; quod eadem Synodus *Nicæna* Can. 20 ratum habuerit, quod fideles diebus Dominicis stantes orent, nequaquam genua flectant, &c. Quod si quis urgeat, ex antiquissima Ecclesiæ consuetudine motus medios in Paschali festivitate determinanda retinendos esse; hoc non obstante, cyclos omnes removendos, & novilunia media, non neglectis minutiis, accurate ex Tabulis computanda esse affirmat, advocata verorum motuum indagine & observatis æquinoctii die atque *Gregoriana* dierum apta subtractione. Neque enim injuria celebritatis Paschalis determinationem Astronomis

committi, cum namque Philosophia Scholasticorum Metaphysicis armata spiculis, subtilis illa quidem, (ipsa Autoris verba recitamus) sed plerumque inutilis, in servitium admissa sit, reales Scientias ab obsequio & ministerio erga Ecclesiam injuste deturbari. Si cui cyclos prorsus abigendi mens non sit, periodos hactenus receptis certiores ex mediis motibus eruendos indicat, tandemque docet, quomodo, retento vulgari cyclo aut quocunque alio, defectus ejus ex mediis verisque motibus simul corrigantur. Ceterum non ingratum faciet publico Cl. Autor, si, quam promittit, operis Appendicem, atque *Geometriam*, imprimis *Physicam* publicaverit, in qua calculi *Leibnitiani* in Actis nostris celebratissimi usus longe amplissimus existit.

THE NEW WORLD OF WORDS: OR
an Universal English Dictionary.

h. e.

NOVUS VERBORUM ORBIS: SEU DICTIONARIUM
*Anglicum Universale. Autore EDUARDO
PHILLIPS, Armig. Editio sexta, revisa, correctæ
& aucta a JOHANNE KERSEY.*

Londini, apud Joh. Phillips, H. Rhodes & Joh. Taylor,
1706, in fol.

Const. Alph. 9 plag. 13.

VERBA sunt signa, quibus nostras de rebus cognitæ cogitationes exprimimus. Quare cum alterum tum demum intelligamus, quando in mente nostra tales cogitationes producimus, quæ verbis ipsius respondent; longe utilissima opera in Lexicis istiusmodi conscribendis collocatur, in quibus vocum genuini significatus explicantur. Non autem exiguus est labor talia cum laude præstandi: requiritur enim, ut ad casus singulares respiciens, in quibus vox enucleanda adhibetur, judices, ad quæ potissimum in re significata digitum intendat, qui illa utitur, quoniam cum una eademque voce rem unam eandemque significante diversæ connecti possunt notiones. Optandum
fane

sane foret, ut a viris, quibus satis est ingenii, virium ac experientia, in vernaculis linguis talia Lexica conderentur, non modo linguæ genium manifestatura & translationem verborum ex una lingua in aliam certis legibus adstrictura, sed & multas logomachias everfura, inter eruditos, si Mathematicos excipias, nimium proh dolor! familiares.

Autor eximii operis, quod ob utilitatem suam sæpius re-
cudi meruit, eas tantum voces sibi explicandas sumferat, quæ
ex linguis Hebræa, Arabica, Syriaca, Græca, Latina, Italica,
Gallica, Hispanica, Saxonica, Danica, Germanica &c. in
Anglicam derivatæ. Ast cum ultima editio pararetur, *Johannes*
Kersey non solum maxima cum cura priores editiones revidit,
errores emendavit, defectus supplevit, & superflua, quæ a Le-
xici hujus idea aliena erant, ac aliunde facile addiscuntur, remo-
vit; sed & in primis plerosque Scientiarum ac Artium, tam libe-
ralium, quam illiberalium, terminos explicavit. Reperies ibi
enodatos terminos Theologiæ, Jurisprudentiæ, Medicinæ, Chi-
rurgiæ, Anatomix, Chymix, Pharmaceuticæ, Botanicæ, Arith-
meticæ, Geometriæ, Astronomiæ, Cosmographiæ, Geographiæ,
Hydrographiæ, Navigationis, Architecturæ civilis ac militaris,
Gnomonicæ, Planimetriæ, Stereometriæ, Opticæ, Catoptricæ,
Dioptricæ, Perspectivæ, Musicæ, Mechanicæ, Staticæ, Artis
Navalis & Militaris, Physicæ, Ethicæ, Metaphysicæ, Logicæ,
Rhetoricæ, Chiromantiæ, Physiognomiæ, Heraldicæ, Merca-
turæ, Agriculturæ, Horticulturæ, Artium manuarum, Artis
pictoriæ, sculptoriæ, incisoriæ, aucupariæ, venatoriæ, pisca-
toriæ, artis condiendi fructus, coquendi, equitandi &c, una
cum interpretatione nominum propriorum, tam virorum, quam
mulierum, ex linguis supra commemoratis originem trahentium,
variorumque nominum Græcorum, quibus diversæ animalium,
plantarum, metallorum & mineralium species exprimuntur,
ita, ut fere 20000 voces huic editioni accesserint. In hoc uno
Lexico præter explicationem difficiliorum vocum Anglicarum
reperies integrum Lexicon Theologicum, Juridicum, Medi-
cum, Mathematicum, Philosophicum & Artificum.

POSTHUMOUS WORKS OF MR.
JOHN LOCKE.

h. e.

JOANNIS LOCKII OPERA POSTHUMA.

Londini, apud A. & J. Churchill, 1706, in 8.

Constant plag. 20.

IN his Opusculis Posthumis celeberrimi *Lockii* continentur Tractatus de dirigendo Intellectu; Examen hypotheseos *Malebranchii* de visione rerum omnium in Deo; Discursus de Miraculis; Excerpta ex Epistola quarta pro toleranda religione aliter sentientium scripta; Commentarii de vita *Antonii*, primi Comitis *de Shaftsbury*, & Nova methodus conficiendi Locos communes. In Tractatu de dirigendo Intellectu in cognoscenda veritate minime disquirit, quænam sint intellectus vires, quæ ratione iisdem sit utendum, tum ad notiones acquirendas, tum ad acquisitas legitime inter se conferendas, quive in ratiocinando vobum sit usus; cum hoc argumentum in Tractatu de Intellectu humano, in varias linguas translato & nuper demum Anglice recuso, sufficienter pertractatum esse prætendat. Præfens igitur ejus opera omnis in eo consistit, ut fidam testem experientiam secutus enumeret, quinam sint fontes, quænam causæ errorum, & quænam obstacula impediunt, quo minus animus, quam cernere cupit, veritatem cernere queat. Refert huc consuetudinem assumendi principia per se inevidentia, imo sæpissime falsa: qualia præjudicia sint; a parte mestant viri boni, ergo mea sententia est vera; hanc opinionem secta fovet erronea, ergo est falsa; hæc opinio a longo tempore unanimiter defensa, ergo vera; hæc sententia est nova, ergo falsa. Arguit neglectum exercitiorum, ad observandam idearum connexionem & consequentiarum seriem instituendorum, dum scilicet studio Mathematico solertissime incumbatur, cum usus & exercitium rationis creaturas racionales reddat. Mathematicam demonstrandi rationem sequi debere omnes & ubique quidem putat: unde omnibus Mathesi operam dandam esse,

esse, ut ut profundi evadere nolint Geometræ. Ita nimirum fore ut præcipitantiæ ac præsumptioni in judicando minime litent. Inprimis Algebræ studium commendat, quoniam ad intellectum excolendum aliud excellentius haud datur, utpote insueta illi adminicula suppeditans. Duos autem potissimum commemorat fructus, quos a studio Mathematico intuitu intellectus excolendi sperare licet. Primo scilicet in eo versantem convinci, ut ratio sit bona, non sufficere dari multos, quibus satisfaciat, quin facillime quenquam falli posse, nec omnium ubique momenta summa penetrare. Secundo per illud necessitatem manifestari, quæ veris ratiociniis inest. Ostendit ulterius, quidnam peccetur per neglectum idearum abstractarum, quid præjudicia valeant adversus mentem. Suadet autem, ut unusquisque aliorum præjudiciis missis sua examinet, addito præjudicii criterio, quod scilicet inde cognoscatur, si quis adversæ partis argumenta audire eorumque pondera examinare non sustineat. Prolixum nimis foret, omnes præjudiciorum causas, quas enumerat, & medelas, quas affert, recensere: quare id saltem adhuc annotamus, quod maximopere carpet illud hominum genus, qui vana sciendi omnia cupiditate ducti, ad ea, quæ norunt, omnia revocant, more Musici Autori optime noti, opus creationis ex notis Musicis explicantis; quod multam rejiciat lectionem, quæ non nisi ad ostentationem faciat, & sine meditatione ad nullius veritatis certam cognitionem deducat; quod studii damnet partialitatem, quasi unum aliquod solum sit, quod excoli mereatur; quod pariter partium rejiciat studium ac veritatum fundamentalium neglectum, vehementer incuset; quod denique ferre nequeat, ut quis vocibus utatur, antequam earum habeat ideam; ab una cogitatione ad aliam indefinenter delabatur, & in quæstionum resolutione subsistat, quamvis ad ultima nondum pervenerit fundamenta. *Malebranchii* opinionem dum examinat, id agit, ut ostendat, ipsum explicare obscurum per æque obscurum, hoc est, revera nihil. Afferit *Malebranchius* animam omnia videre in Deo, quia ipsi intime unitus. Objicit Noster, non distincte explicari, quid sit intime uniri animæ. Unionis ideam a cor-

porum immediato contactu desumptam ad spiritus non quadrare. Explicandum esse modum, quo corpus animæ unitur, atque monstrandum, cur ab unione cum corpore non æque pendere queat trianguli perceptio ac ab unione cum Deo. Quando *Malebranchius* affirmat, solum Deum esse substantiam pure intelligibilem; noster postulat, ut substantiæ divinæ notionem exhibeat. Similiter rogat, ut explicet horum verborum sensum: corpora intime uniri non posse, quod non detur proportio inter corpus & mentem; utque rationem reddat, cur inter Deum ens infinitum & animam spiritum creatum finitum major sit proportio quam inter corpus & animam. Certe intima unio & proportio illa nisi explicentur, *Malebranchium* dare sine mente sonos. Ex Opticis constare ait, per radios lucis materiales species rerum in oculum deferri posse. Quomodo autem motus fibrillis nerveis impressus, ubi ad cerebrum propagatus fuerit, percipiatur, sibi incomprehensibile pronunciat: nequaquam tamen magis comprehendere, si dicatur, ideas videri in Deo. Ideas substantias spirituales vocat *Malebranchius*, non adeo annihilandas, ubi menti præsentibus non sunt. Ast scire avertit *Lockius*, quomodo substantia spiritualis inextensa referre possit figuram ex. gr. Trianguli, & si potest, quomodo anima repræsentamen videat? cur item Deus, qui via brevissima ad scopum tendit, Solem creaverit, ut in ipso ideam Solis videamus? immo cum, qui ideam Solis in Deo videt, Solem non videat, unde certi sumus Solem dari? Urget ulterius, nullum habere sensum verba: *omnes res corporeas esse in Deo modo spirituali*; multo minus aliquem inesse istis, quibus asseritur, *animam nostram videre ideas in Deo, quia Deus est ærtissime unitus animabus nostris per præsentiam suam, ita ut dici possit locus spirituum, quemadmodum spatia sunt loca corporum.* Quid enim hoc: *Deus est locus spirituum?* Quomodo unio causa visionis? Addit *Malebranchius*, animam videre opera Dei in Deo, posito, quod Deus repræsentare ipsi velit, quod in ipso est. Sed denuo quærit *Lockius*, in quonam manifestatio ista consistat? quomodo simplicitas Dei rerum infinitarum varietatem continere queat? Ideam Dei perperam dici arbitratur Deum ipsum, quia in diversis hominibus infinite varia.

varia. Non igitur affirmari posse, varia contineri in idea Dei. Imo contrarium affirmari ab Apostolo, quod scilicet Deum videamus in creaturis. Nec præterea apparere, quomodo omnes notiones limitationes ideæ creatoris a *Malebranchio* dici queant? Quomodo enim idea creatoris limitetur per notionem denarii? Non clarere discrimen, quod inter ideam & sensationem statuit *Malebranchius*, quarum hanc per modificationem animæ nostræ æque obscure definiat: esse enim sensationem & modificationem nomen unius ejusdemque rei. Et si hæc definitio admittatur, remanere tamen id dubii, quomodo anima uno eodemque momento videns colorem album & nigrum oppositas modificationes admittere possit. Equidem *Malebranchius* Deum solum esse ait, qui per substantiam suam illuminare valeat mentem nostram; enimvero denuo regerit Autor, quid sit substantia Dei, quid illuminari illa, non constare. De Miraculis acturus, miraculum definit per sensibilem operationem, quæ captum spectatoris excedens & juxta ipsius opinionem cursui naturæ contraria pro divina habetur. Objicies, si miraculum a spectatoris opinione pendet, admodum incertum est, quid sit miraculum. Respondet Autor, non posse dari definitionem aliam, quæ non eandem patiatur objectionem. Instabis porro: si miraculi notio ita ampliatur, sæpius operationes nihil extraordinarii continentes pro miraculo haberi possunt, atque sic usus miraculorum in comprobanda revelatione divina enervatur. Regerit Autor, hanc non valere consequentiam. Ut enim sciamus, revelationem a Deo esse, requiri, ut constet, patrantem miracula a Deo missos esse. Continere autem miracula revelationi divinæ testimonium perhibentia potentia divinæ extraordinariæ criteria evidentissima. Magos ex. gr. Ægyptios serpentes quidem produxisse, ast Mosis tamen serpentem illos devorasse. Revelationem adeo divinam per miracula majorem semper spirare potentiam, ut falsam cum vera confundere non detur miracula expendentibus. Tenendum vero, fieri non posse, ut missio habeatur pro divina, quæ derogat honori Dei invisibilis, aut religioni naturali ac regulis moralitatis contrarietur: nec fieri posse, ut Deus ali-

quem in mundum mittat, de rebus indifferentibus ac parvi momenti, aut per usum naturalium facultatum cognoscibilibus homines informaturum. Missionem igitur a Deo fieri ob revelationem veritatum supernaturalium ad gloriam Dei & exitium aliquod hominis emolumentum pertinentium. In Excerptis Epistolæ quartæ de toleranda religione sententiam suam stabilit Noster, in Epistolis jam reliquis propugnatam, quod scilicet Magistratui nullum competat jus cogendi subditos ad religionem, ne quidem ad veram, ut vult Antagonista, ipsius. Urget enim, si concedatur Antagonistæ, Magistratum subditos ad religionem veram cogere teneri, quando argumentis sufficientibus convictus fuerit, illam esse veram; sequi inde necessaria consequentia, quod quilibet Magistratus ad religionem suam amplectendam subditos vi compellere debeat. Qui enim falsam colit religionem, non minus sibi de veritate ejus persuasus videtur, quam qui vera utitur. Quodsi Adversarius dicat, non Magistratum, sed subditum judicare debere, utrum fundamentum persuasionis solidum ac sufficiens existat nec ne, denuo litem nunquam diremtum iri, unoquoque suam religionem argumentis invictis roboratam arbitratur. Quodsi sibi solus hanc judicandi licentiam arroget, ostendendum ab ipso esse diploma, per quod hoc jus ei fuerit concessum. Quamobrem quoniam lex naturæ ad impossibilia obligare nequeat; nec ullam dari posse in Magistratu obligationem subditos ad veram religionem perducendi. In Commentariis vitam *Antonii* illustrantibus varia occurrunt, quæ turbulentum Angliæ sub Carolo I statum illustrant: ei enim operas suas obtulit ad turbas civiles componendas. De nova methodo conficiendi Locos communes ut dicamus, opus non est, cum eadem existat, quæ dudum idiomate Gallico in Volumine secundo Bibliothecæ Universalis publicata.

TRAITÉ ANALYTIQUE DES SECTIONS
Coniques, &c.

hoc est,

TRACTATUS ANALYTICUS DE SECTIONIBUS

*nibus Conicis & earum usu in resolvendis equationibus
 problematum tam determinatorum, quam indetermina-
 torum. Opus posthumum Marchionis HOSPITALII,
 Academici Honorarii Academia Regia
 Scientiarum.*

Parisiis, apud Joh. Boudot, 1707, in 4.

Constat Alph. 2 plag. 13 & 32 Tabb. æn.

UTut pereruditum Illustrissimi Autoris opus multa contineat,
 quæ Geometrarum primi ordinis attentionem merentur; ;
 tanta tamen perspicuitate ac facilitate conscriptum est, ut ad
 ejus lectionem admittantur, qui nonnisi Elementis *Euclideanis* &
 calculo Analytico instructi ad sublimiorem Geometriam adspi-
 rant. Et his quidem longe gratissimum accidere debet, quod
 via brevi a facilibus ad sublimia deducantur, ita ut, quæ
 diuturnis excellentissimorum ingeniorum meditationibus debentur,
 paucarum horarum studio sua reddere valeant. Agit Au-
 tor de Sectionibus Conicis, earumque in problematibus Geo-
 metricis construendis usum commonstrat. Considerat ipsas
 primo sine ulla ad Conum relatione, ex tradita genesi earum
 proprietates tum in ordine ad axem, tum ad diametrum quamli-
 bet aliam deducens, & hinc porro alias adhuc istarum Curva-
 rum in plano descriptiones tum per motum continuum, tum
 per innumerorum punctorum determinationem derivans: qui-
 bus per tres Libros priores absolutis, *Lib. 4* generalia trium se-
 ctionum conicarum, vel saltem ellipsi ac hyperbolæ commu-
 nia symptomata subnectit, atque inter alia ostendit, quomodo
 per data quinque puncta sectionem conicam describere liceat,
 quodque per ea nonnisi unica describi queat, demonstrat. *Lib. 5*
 segmenta sectionum conicarum similia, sectores ellipticos &
 hyperbolicos, aliaque spatia arcibus sectionum conicarum &
 rectis terminata inter se comparat, iisdem inter demonstnan-
 dum principiis usus, quibus calculus Celeberrimi *Leibnitii* sum-
 matorius superstruitur: qua occasione eleganter docet, quo-
 modo ope sectorum hyperbolicorum exacta Logarithmorum

in Arithmetica usitatorum idea formetur. Tractat etiam de infinitis parabolis, hyperbolis ac ellipsis: regulam tangentes earum ducendi *Barrowianam* explicat, quadraturas citra calculi summatorii usum, suppositis tamen quantitatibus indefinite parvis, determinat, ac denique explicat, quomodo inveniuntur lineæ rectæ arcuum parabolicorum differentiaæ æquales, quod esse Celeberrimi *Johannis Bernoulli* inventum, ex Actis A. 1698 p. 462 & seqq. patet. *Lib. 6* sectiones conicas in solido considerat & quænam ipsis hoc intuitu proprietates conveniant, disquirat, agens primo de sectionibus conicis in genere; deinde de ellipsi in particulari, ubi monet, omnem ellipsin pro sectione cylindri haberi posse; tandem de parabola & hyperbola in particulari. *Lib. 7* ad usum sectionum conicarum in construendis locis Geometricis commonstrandum progrediens, methodum exhibet generalem construendi loca primi ac secundi gradus, datis ipsorum æquationibus, atque evincit, quod primi gradus loca non nisi rectas, secundi gradus loca parabolam, ellipsin, circulum, hyperbolam, vel hyperbolas oppositas involvant. Coincidit autem methodus cum illa, quam insignis Geometra, *Johannes Craige*, una cum Tractatu de figurarum curvilinearum quadraturis Londini 1693 in 4 publicavit. *Lib. 8* variis problematum indeterminatorum exemplis propositionem generalem illustrat: *invenire locum infinitorum punctorum, quæ omnia certas conditiones notatas habent, siquidem locus secundum gradum non excedit.* Cum *Lib. 9* constructionem æquationum primi gradus per linearum proportionalium inventionem edocuisset, atque secundi gradus æquationes tum more Cartesiano, tum per duos circulos concentricos construxisset, superiorum æquationum constructiones per combinationem duorum locorum absolvit, quemadmodum primus fecit *Slusius* in Mesolabo, fecere post ipsum alii. Conf. Acta A. 691 p. 392 & A. 1701 p. 465 & seqq. Præstat methodus illa plurimum regula decantata centrali *Bakeriana*, tum quia universalis est & ad altiorum graduum æquationes construendas viam aperit, pro quibus absolvendis locorum ad curvas altiores combinatio requiritur; tum quia hac ratione semper perveniri potest ad resolu-

lutio-

lutionem in quocunque casu simplicissimam, si nempe loca simplicissima ex iis, in quæ proposita æquatio resoluta, combinentur. Construit autem Autor noster æquationes tertii ac quarti gradus, tum per Circulum & Parabolam, tum per Circulum & Ellipsin, tum per Circulum & Hyperbolam, ac inter alia monet, utut, qui post *Stusium* hyperbolam & circulum adhibuerant, methodum hanc pro universali venditarint, multos tamen dari casus, in quibus non succedat. Ad æquationem sexti gradus construendam utitur conchoidibus Parabolicis & circulo, nec non Parabola cubica, cujus locus est $ay = x^3$, & una ex sectionibus conicis, ex. gr. Ellipsi. Æquationem quinti gradus ad sextum elevat. Similiter procedit in æquationibus altiorum graduum. Tandem generaliter monstrat, quomodo construatur omnis æquatio cujuscunque gradus per lineam rectam & locum ejusdem gradus, & istiusmodi constructionum usum in limitibus æquationum inveniendis indicat, addita methodo in problematibus solidis ac hyper-solidis operis solius circuli & rectarum ad verum radicis valorem appropinquandi, exemplo *Jacobi Bernoulli*, qui primus tale quid in Actis nostris A. 1689 p. 454 & seqq. tentavit. *Libro 10* eoque ultimo egregia problemata determinata exponit. Docet ex. gr. dato arcu parabolico invenire alium in eadem parabola data, qui sit ad arcum datum in ratione data, cujus problematis solutionem primus dedit in Actis 1697 p. 261 *Joannes Bernoullus*. Docet, data sectione conica & puncto extra ipsum, quod sit vertex conicæ, cujus sectio existit, invenire positionem circuli, qui largitur basin: cujus problematis aliquam solutionem dederat *Cartesius* Epist. 75 Tom. 3, sed magis naturalem, minus intricatam & universalem affert Autor noster. Docet multa, inprimis de multisectione anguli, de inscribendo polygono regulari quocunque in circulo, de elevando binomio ad dignitatem quamcunque, ubi theorematis *Newtoniani* de elevando binomio ad dignitatem indeterminatam investigationem ex unciarum consideratione deducit, qua scilicet via ad eundem pervenerat ipse *Newtonus*, monente *Wallisio* Oper. Mathem. Vol. 2 p. 368.

LIBRI NOVI.

- Jac. Guil. Imhof Stemma Regium Lusitanicum, sive Historia Genealogica Familiae Regiae Portugallicae. Amst. apud Zachariam Chastelain, 1708, fol.*
- Nic. Gurtleri Origines Mundi, & in eo Regnorum, Rerumpubl. Populorum, horumque Duces, Migrationes, Dii &c. ad modum Historiae Universalis, cum maxime Ecclesiasticae. Amst. ex Officina Wetsteniana, 1708, 4.*
- Jamblichi de Vita Pythagorica liber Gr. L. notis perpetuis illustratus a Lud. Kustero, cum versione Ulr. Obrechtii. Accedit Malchus, sive Porphyrius de Vita Pythagorae, & An. apud Photium de Vita Pythagorae. Amst. apud viduam Seb. Petzoldi, 1707, 4.*
- T'Heiligdom den Heidenen geopent door den Brief van Paulus aan die van Ephesen, door Herman Gerbaden. Te Ultr. by Th. Appels, 1707, 4.*
- Gedagten en Gedigten, geestelyke en zedelyke, van Jan van Arn hem, Heer van Rosendaal. Te Leyden, by Peter van der Aa, 1707, 4.*
- Les Delices de la Grand' Bretagne & de l'Irlande par James Beeverell. Tomes VIII. A Leide, chez Pierre van der Aa, 1707, 12.*
- Gul. Best, Jcti, Ratio emendandi leges. Ultr. 1707, 8.*
- Q. Horatii Flacci Vita, studio Joannis Masson. Lugd. Bat. apud Andr. Dyckhuysen, 1708, 8.*
- Le Caractere du vray Chretien, & le mojen de le devenir, par Hero Sibersma. A Delft, chez Adrien Bemen, 1707, 8.*
- Hadr. Junii Animadversa, & de Coma Commentarius, cum Appendice, e Bibl. Corn. van Arckel. Rot. apud Jo. Hofhout, 1708, 8.*
- Davidis Peiferi, Consilarii Saxonici, Epistola publico nomine scripta, primum nunc edita cura M. Fr. Gotthelff Gotteri; Praefationem praemisit Jo. Fr. Buddeus, Theol. D. & P. P. Jena, umtibus Ern. Claud. Bailiar, 1708, 8.*

ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Februarii, Anno MDCCVIII.

SCRIPTORES RERUM GERMANICARUM
JO. MICH. HEINECCII & JO. GEORGII
LEUCKFELDII, cum variis Diplomatum &
indicibus in unum Volumen
collecti.

Francof. ad Mœnum, apud Christianum Genshium, 1707, fol.

Constat Alph. 12 plag. 18 & Figurarum tabulis 24.

Post Schardios, Pistorios, Urstifios, Reuberos, Goldastos, Freberos, Lindenbrogios, Canifios, Reineccios, Meibomios, Leibnitios aliosque non desunt Heineccii & Leuckfeldii, Rerum Germanicarum Scriptores in volumina colligentes. Et ad Heineccii quidem, apud Goslarienses verbi divini Ministri vigilantissimi, laborem quod attinet, conscripsit ille *Libros sex Antiquitatum Goslariensium & vicinarum Regionum*, incipiens ab anno Christi 918, & desinens in anno 1599, addito *Auctario* de rebus ab ineunte Seculo XVII usque ad Pacem Osnabrugensem gestis. Hoc excipit ejusdem *Sylloge Numorum Goslariensium*, antiqui pariter ac recentioris ævi, solidorum æque ac bracteatorum, tum *Dissertatio de antiquissimo regionis Goslariam ambientis statu, & Crodone* imprimis *Harzburgico*, denique *Panegyris* Sacratissimo Imperatori JOSEPHO ab Heineccio nostro publico sermone celebrata, cum illius mandato Albertus Antonius, Comes de Schwarzburg & Hohenstein &c. fidei sacramentum a Civitate Goslariensi ipsis Nonis Novembris anni 1705 exigeret, addita de homagii hujus præstatione relatione. Multa in his occurrunt, quæ legenti non possunt non esse gra-

p. 6.

II & 12.

18.

tissima, imprimis in Antiquitatibus Goslariensibus, e quibus pauca quædam excerpemus. Num *Werla* eadem sit cum *Goslaria*, inquit Autor noster diligentissimus, constantem quippe esse famam, locum, ubi nunc Goslaria floret, Werlam olim fuisse vocatum, unde dudum nonnullis creditum, Werlam & Goslariam unam eandemque esse urbem, adeo, ut *Spangenberg & J. Saxe* in Chronicis suis sæpius scribant **Werla oder Goslar**. Sed judicat Clar. Autor, hæc frustra asseri, & vix aliud quam a dicentium audacia præsidium habere, forteque inde fabulam hanc ortam, quod e *Speculo Saxonico* constat, *Patan-tiam*, quæ olim Werlizii floruerit, Goslariam esse translata, ubi in antiquis codicibus *Werlaham* legi testetur Browerus. Rectius rem tetigisse *Meibomium*, qui per Werlam Westphaliæ urbem, tunc Ducibus Saxoniae, hodie Archiepiscopis Colonien-sibus subjectam, intelligi docet. *Goslaria* nomine Henricum Aucupem urbem insignivisse ait ab anne *Gosa* urbem permeante; terminationem vero *Laar*, quam ea urbs cum multis aliis, veluti Wezlaria, Frizlaria, Vechtelaria & Bredelaria, communem haberet, non aliunde natam censet cum *Meibomio*, quam ex Germanorum voce *Lager*, a Saxonibus concisus *Laar* elata. Inde Frizlariam notare *castrum pacis*, Vechtelariam *castrum prælii*, Bredelariam *castrum latum* & Goslariam *castrum ad Gosam*. Hoc asserto, refutat Noster illos, qui vulgi rumore decepti credidere, anserem, Saxonibus **Goos** dictum, his locis ovis incubantem repertum fuisse, cum primum Henricus urbem moliretur, ac inde accepto omine urbem faustum Goslariæ nomen accepisse; quippe ex situ urbis, quæ anseris figuram refert, hæc fingendi nonnullis occasionem datam putat. Venas metallicas Goslariæ apertas tempore *Ottonis I* Imper. asserit, quo autem fato id factum sit, Historicos nondum addit inter se convenire. E *Sigeberti* verbis apparere, venas istas non casu aliquo, sed studio atque cura hominum detectas fuisse: ast sententiæ isti constantem apud Goslarienses repugnare famam, cum ipso montis nomine ad posteros propagatam. *Rammum* nempe quendam, ab aliis equitem, ab aliis venatorem dictum, cum in hoc monte feram persequeretur, quo commo-
dius

dius per inaccessa loca pedibus penetraret, equum arbori alligasse, qui interea absentis Domini desiderio actus terra unguis quassata venam aperuerit, unde & monti *Ramelino* perpetuum nomen hæserit. Eandem sententiam suadere versiculos jamdudum *Engelbusii* ætate circumlatos, qui ita sonant:

Longæ sylvæ scrutator, cervorum concomitator,
 Ramme fuit dictus, rammorum pertulit ictus,
 Est mox tantillo Rammesberg dictus ab illo.
 Uxor hujus Goza: nunc est ex hac aqua Goza.

Ubi porro Autor a Francis & Saxonibus civitatem Goslariensem esse excultam, his inferiorem, illis superiorem urbis partem occupantibus, refert, diversis gentium moribus & æmulatione tanta inter utrumque populum odia conflagrassè testatur, ut interjecto tempore, cum mutuae accessissent offensiones, vectibus transversariis & sepibus se distinxerint. Die tamen odia minuente, pacem inter eos coaluisse, matrimoniis quoque invicem contractis stabilitam, quæ reconciliatio ut eo testatior apud posteros esset, choreas eisdem per urbem quotannis instituisse, inter alia canentes:

Kayser N. ist Hochgebohrn,
 Die von Goslar haben von Reich nichts ver-
 lohrn,
 Der Rammelsberg hat einen silbern Saut,
 Des tragen wir einen guden Maut.
 Mit diesen hübschen Jungfräulein
 Machen wir von Dannen ein Kränzleint,
 Bis zu dem andern Jahre
 So reiten wir in zwo Paare,
 Wir wollen das wohl bedenccken,
 Und wollen ihm euch wieder schenccken.

Hi vero ludi, ut Noster inferius meminit, post aliquod temporis intervallum in turpissimum degeneraverant Festum. Con-
 currebant enim e fece hominum audacissimi quivis ac voluptatibus deditissimi, qui una cum puellis longo agmine per urbem incedebant, lascive saltantes ac incondito carmine stre-

p. 70, seqv. pentes. Finitis choreis mistæ adolescentulis puellæ genio liberaliter indulgere. Hanc inveteratam malitiam maximopere inter alios averfatus est *Eberhardus Weidenseus*, in indignos hos Evangelio mores crebris orationibus e suggestu invectus, ac dira quævis, nisi ad frugem redeatur, minatus. Quo factum est, ut amplissimus Senatus obscœnam hanc ac ludicram festivitatem anno 1536 justo edicto aboleret, finemque faceret turpissimis Bacchanalibus. Celebratissimum quoque in Ecclesia Goslariensi tumultum Noster prolixè describit. Sub anni scilicet 1062 exitum Henricus IV Rom. Imp. magno Principum & Episcoporum numero stipatus, Goslariam ingrediebatur, nascentis Christi solennia celebraturus, sed ipsum Festum *Hezilonis* Hildesienfis Episcopi & *Wideradi* Abbatis Fuldensis ambitio adeo turbavit, ut res haut procul abesset a seditione, quæ tamen in præsens prudentia Ottonis Bavari extincta, sequente demum anno in exitiales flammæ erupit. Cum enim Imperator jam adulto vere Goslariam reverteretur, & Spiritus Sancti effusi memoriam festive recoleret, inter Principes, qui officii causa huc confluerant, ipsi quoque denuo aderant Hezilo & Wideradus, cumque inter eos iterum de præcedentia non conveniret, maximas in ipso templo dedere turbas, multumque sanguinis hic illic profusum, donec nox pugnam dirimeret. Hac occasione notat Autor *Langenium*, scriptorem domesticum, Henrico V Imp. ea tribuentem, quæ Quarti sub imperio, Scriptoribus aliis omnibus asserentibus, contigere. Obelisco non minus notandos putat *Wilhelmum Malmesburiensem*, *Albericum*, *Engelhusium* & alios Annalium scriptores, non modo Henricos confundentes, verum etiam Moguntinis id factum tribuentes. Quod vero scriptores novelli, conflictantibus hunc in modum clericorum militibus, Dæmonem horrendum boasse scribunt, & hodie monstratur foramen, e quo mugitum prædiisse ferunt, ante annos non adeo multos refarcitum, ita tamen, ut vestigia illius satis notabilia appareant, dubitat Noster veritati consentaneum; *Lambertum* enim, qui vix ullam prætermisit circumstantiam, de eare ne verbum quidem addere, nec *Bertholdum Constantiensem*, aut *Autorem Chroni-*

nici Stederburgensis, veterumve Scriptorum alium; solum, quem recentiores secuti, Malmesburiensem, de Moguntina strage differentem, id conceptis verbis testari. Dum deinde Autor noster comitiorum Goslaræ Anno 1074 habitorum mentionem injicit, refert quoque ea, quæ sine die & consule nonnulli narrant de Friderico Oldenburgensium Archicomite, qui ab Henrico IV Imp. ob neglecta comitia cum leone Goslaræ congregari jussus, eum dolo & vi superasse dicitur. Primum hæc ait vel excogitasse, vel propalavisse *anonymum Autorem Chronici Rastedensis*, a Meibomio editi, inde hanc rem Chronico suo Oldenburgensium Archicomitum inseruisse *Johannem Schiphowerum*, & ex iis postea sua hausisse *Hamelmannum*, *Giseckenium*, *Winckelmannum*, aliosque plures. Verum cum nemo Historicorum istius seculi hæc retulerit, ea cum iis, quæ de *Wicperto* cum leone jussu Henrici IV Imp. pugnante *Chronicon Bigaugiense* refert, fabulis annumerat. Plateam *Berningi*, hodiernum *Die Bärenstrasse* Goslaræ dictam, a primario quodam incola *Berningo* nomen accepisse, ut plateas *Werenheri* & *Biermanni*, putat Noster, confutatque narratiunculam nonnullorum de ursa, quam insequentem catulos interceptos hanc aliquando percurrisset, domumque, cui inhabitabat is, qui rapuerat, adiisse & edita aliquot infantum strage captam nomen huic plateæ reliquisset, ferunt. Quando porro illam quæstionem Autor tangit: an Alexander III Pont. Friderici I Imp. Rom. collo insultaverit? reliquis prætermiſſis, id minime ferendum dicit, quod Pontificii Lutheranos Theologos vulgo soleant hujus mendacii autores postulare, cum hanc rem jam circa annum 1385 obscure quidem memoriæ prodiderit *Johannes Capistranus*, tantoque consensu inculcent *Jacobus Philippus Forestus*, *Johannes Nauclerus*, *Marcus Antonius Sabellicus*, *Johannes Stella*, *Papyrius Massonus*, *Petrus Justinianus*, *Franciscus Sansovinus*, *Palladius*, & Venetorum imagines confirmant, quas hodieque extare oculatus testis sit *Fabricius*. Sic Fridericum II Imp. Rom. in Concilio Lugdunensi Atheismi postulatum, Atheum fuisse contra Scriptores Pontificios diserte negat. Ceterum & de Viris claris, qui Goslaræ floruerunt, accurate suo loco egit Au-

p. 88.

III.

175.

262.

p. 501, seqv.

tor. Sic narrat fata *D. Tilemanni Heshusii*, Superintendentis Goslariensis, a munere remoti, injuriamque optimi Theologi manibus existimat fieri a Poeta hoc disticho:

Quæritur, Heshusius quare sit pulsus ab urbe?

In promptu causa est: seditiosus erat.

521, seqv.

Multa & hic inspersa sunt de vita & doctrina *Christophori Ostorodi*, nec non de seducta ab ipso ad Socinianismum familia, ut & de colloquio inter ministros Ecclesiæ & *Catharinam Ostorodam* matrem ejus habito. Nec minus Historiam Ecclesia-

552, seqv.

sticam juvabunt, quæ de *D. Samuelis Huberi* vita & erroribus hic afferuntur.

Quæ his Clarissimi Leuckfeldii (qui antehac Antiquitates Walckenredenses, in Actis anni 1705 pag. 409 laudatas, & nuperrime Pœldenses, proxime nobis memorandas, scripsit) cura & studio accessere scripta, pleraque antea edita fuere, unde vel titulos nobis enumerare suffecerit. Sunt autem 1 *Henrici Turkii*, e Soc. Jesu, *Fasti Carolini*, seu rerum a Carolo M. Imperatore gestarum series: 2 *Jacobi Andreae Crusii Witikindus*, sive de Witikindi Principis Angariæ & Ducis Saxonum vita, moribus, rebus gestis, conversione, obitu ac monumento: 3 *Eginharti Vita & Gesta Caroli M. Imperatoris & Annales Pipini, Caroli & Ludovici*, Regum Francorum, per Monachum quendam Benedictinum collecti: 4 *Guilielmi Budæi* Medicinæ Doctoris *Thanatologia* comprehendens plerosque seculi decimi sexti Dynastas & literis præclaros atque excellentes Viros: 5 *Capitulatio Episcopatus Osnabrugensis*, Norimbergæ facta, cum subjuncto Catalogo omnium dicti Episcopatus Abbatiarum, Monasteriorum, cunctorumque utrique Religioni consecratorum templorum: 6 *Acta Formule Concordiæ*, in Bergensi Cœnobio prope Magdeburgum cura & impensis Augusti Saxonix Electoris a summe Reverendis Viris, Selneccero, Cornero, Musculo, Chemaitio, Chytræo & Andrea, tempore Reverendi Præsulis Domini Ulneri (cujus oratio funebris a D. Sacco habita in fine addita) anno 1577 mensibus Martio & Majo revisæ. His annexa est *Simonis Friderici Hahnii Oratio* de ortu, incrementis ac fatiis variis nominati antea Cœnobii. Appendicis loco ex-

tat

rat *Album Bergense continuatum*. His Typographus, augendi, ut videtur, voluminis causa, recens editam *Casparis Abeli Historiam multarum Monarchiarum*, quæ in Oriente a Nimrode ad Cyrum usque floruerunt, (cujus in Actis anno superiori p. 496 facta est mentio) adjecit.

D. JO. ALBERTI FABRICII BIBLIOTHECÆ Græcæ Liber III, de Scriptoribus, qui claruerunt a Platone usque ad tempora Christi.

Hamburgi, apud Christianum Libezeit, 1707, in 4to.

Constat Alphabetis 4, pl. II.

EN novum elegantissimæ Bibliothecæ Volumen, indefesso summe Reverendi ac doctissimi Auctoris studio procursum. Comparet hic apparatus codicum Græcorum, manu exaratorum æque p. 275, ac typis impressorum, deperditorum pariter p. 245, atque ubivis obviorum, non vulgarium solum, sed & rarissimorum p. 157: habes hic monumenta Philosophorum antiquissimorum, Platoniorum p. 52, Peripateticorum p. 272, Cynicorum p. 360, Stoicorum p. 387, aliorumque ordine literarum digesta: vides hic editiones accurate enarratas, earundem indices p. 271, 381 seq. interpretes p. 139, 147, 152 seq. elogia p. 169, emendationes p. 257, 283: habes diversi nominis Platones p. 2, Aristoteles p. 107, Aratos p. 463, Callimachos p. 493, Apollonios p. 526, aliosque cognomines accurate distinctos. Quæ etsi præstantiam hujus operis satis demonstrant, pro more tamen nobis recepto hinc inde pauca excerpemus, quæ nobis præ cæteris in Historiæ literariæ incrementum cedere videntur. Platonem, a quo initium fecit *Libri hujus tertii*, Albini Introductione auxit, editiones ejus quandoque emendavit & passim collustravit. Sic p. 15 notatur, male Dialogum, cui titulus *Ἰππαρχῶς ἢ Φιλοκερδῆς* de lucri cupiditate, in quibusdam editionibus inscribi *περὶ Φιλοκερδῆς*: p. 27 miratur, quod Suidas, & solus quidem tradat, quendam ex Platonis auditoribus, qui Laertio Philippus vocatur, addidisse duodecim de Legibus Libris decimum tertium *ἐπινομίδα* dictum.

Cir-

Circa Xenophontem refert p. 73 dissentientes doctorum de Libris VII Ελληνικῶν sententias, an opus hocce sit ἀκέραιον, uti Usserius vult, aut parachronismo laboret, ex mente Petavii, vel num utroque defectu careat, uti Dodwellus demonstrare satagit, disquirens. Caput de Aristotele p. 107 non solum exactam offert scriptorum ejus recensionem, sed varia complectitur jucunda pariter ac erudita, quæ de Stagirita dici possunt. Sic pag. 139 nobiscum communicat varias lectiones librorum ejus de Xephane, Cenone & Gorgia ex codice MSto Bibliothecæ, quem cum Isaaci Casauboni editione contulit, secutus Jo. And. Bosium, qui labori huic est immortuus. Pag. 157 ex rarissimis Antonii Scaini Salodiensis Quæstionibus eleganter ostendit, ordinem Librorum Aristotelis de Republica esse inversum & Libros VII & VIII præmittendos esse IV, V & VI, augurantibus idem Muræto & Conringio. Pag. 176 seq. comparent diligenter collecta Philosophorum Theologorumque de religione Aristotelis judicia, quam alii laudant, alii plane rejiciunt. Illorum quosdam evincere voluisse ait, Philosophiam Stagiritæ quam optime consentire cum S. Literis, quin Lambertum de Monte eo esse progressum, ut quæstione Magisteriali ad laborarit ostendere: *Et secundum Scripturam Et ex saniorum Doctorum sententia probabilius nihil dici posse salvatione Aristotelis*; ipsos adeo Judæos quamplurimos gloriari, Aristotelem sua sacra esse amplexum. Vicissim ex alteri parti addictis Valerianum Magnum & Samuelem Parckerum aliosque audacter Atheorum numero illum adscribere. Sed Clar. Auctor mediam elegit viam, neque gravibus maximisque erroribus eundem liberum pronuntiat, neque tamen inter Atheos temere vult referri, qui in operibus DEI contemplandis per omnem ferme vitam assidue adeo est versatus, minimumque id certo asserere dubitat, ex scriptis Aristotelis moderna adhuc ætate exstantibus, id minime constare, ipsum fuisse Atheum. Missis quæ porro de Philosophiæ Aristotelicæ fati erudite differuntur, pedem promovemus ad Philosophi hujus discipulum, fama sua totum terrarum orbem implentem Alexandrum M. qui, ut Martis gloria fulget, ita artis quoque ac doctrinæ splendorem avidè secutus inter illustria

doctæ

doctræ Græciæ lumina hic comparet. Quæ autem ab ipso mandata sint literis, quæque perperam ipsi tribuantur p. 204 sq. referuntur, subjecto ad calcem exacto catalogo scriptorum de rebus ab illustri hoc Principe gestis, qui quidem ex Radero, Freinshemio & Reinesio haustus, sed observatis novis egregie adauctus est. Sequuntur p. 315 seq. Græci librorum Vet. Test. interpretes, Septuaginta, Aquila, Symmachus, Theodotion & reliqui, tot eruditissimis collustrati notis, ut Humfredi Hodii & aliorum, qui nuper de hoc argumento aliquid elucubrati sunt, labores spicilegio consummasse videatur. Orditur autem ab antiquissima isthac librorum Veteris Test. versione, quam diu ante LXX Interpretes compositam, Pythagoræ ac Platoni aliisque lectam tradit Aristobulus, & ea quidem probabilitatis specie, ut nonnullos, quibus etiam Clar. Vockerodt non adeo pridem accessit, in assensum traxerit. Ast vero Noster ea omnia, quæ de obscuro hoc Interprete dicuntur, admodum incerta esse existimat, sicuti etiam dubiæ ipsi sunt fidei, quæ de LXX Interpretum versione ab Aristæa narrantur. Qua occasione docemur, editionem historiæ sub nomine Aristææ notæ Græco-Latinam, Josepho Lipsiæ 1691 f. excuso, qui alias titulum Coloniae præ se fert, subjunctam notasque eruditissimas ad Compendium Aristææ in Josephi historia obvium summe Rev. Auctori nostro suos debere natales. Postquam vero difficillima de hoc argumento *ζητήματα* solide excusit, num ex. gr. quinque tantum fuerint Interpretes? num Pentateuchum duntaxat, & e qua lingua, an vero omnes V. Test. libros, ipsos etiam Apocryphos, verterint? utrum hodie supersit gemina LXX senum translatio? quanta ejus sit auctoritas? in eam tandem cedit p. 324 sententiam: *non aliam nos habere translationem, quam qualem veteres omnes & Josephus pro septuaginta virali habuerunt, licet varia, ut fit, tractu temporis irruerunt sphaalmata, nec pauca interpolationes, aliis codicibus plures, aliis pauciores fuerunt illata.* Translatos autem sibi persuadet omnes antiqui foederis libros, non a LXX Viris, seu conjungentibus operas, sive per cellulas divisos, nec ab uno eodemque auctore, quod nimis diversa easdem phrasas & voces interpre-

tandi ratio evincat, verum admodum tralatitiae a variis, licet non tempore multum diverso, & Alexandriae quidem, non tam in Regis Ægypti, quam in proprium suum commodum. Inter editiones diligentissime collectas dum Romanam p. 326 collustrat, ex Rich. Simonii Epistolis refert, hanc nos debere non Caraffæ solum curæ, sed præterea etiam Petro Morino, Jo. Maldonato & Ant. Agellio, male autem a Lambecio adscribi Morino velut auctori versionem Bibliorum horum Parisiis recusorum. Quod auctoritatem concernit, multo magis prodesse statuit Novi Testamenti stylo recte percipiendo & interpretando, si quis in LXX Interpretibus familiarior fuerit, quam si multum diuque sit in aliis Græcis Scriptoribus versatus: cavendum tamen monet, ne quis glossema alius cujusdam interpretis pro versione Senum arripiat: concedit etiam, non raro LXX a vero sensu aberrasse. Sequuntur versiones Aquilæ, Theodotionis, Symmachi, & quæ Quinta ac Sexta vulgo appellantur. De Aquila monetur p. 334, Scriptores primitivæ Ecclesiæ, quoties textum Hebraicum allegant, ad illum intendere digitum, quippe qui ob linguæ Hebrææ inscitiam fontes ipsos haut potuerunt consulere. Ex Theodotione p. 335 multa irrepsisse in LXX interpretes, non tantum Caput quartum Danielis, uti Is. Vossio videtur, sed integram ejus Prophetiam & plurima Jobi loca, haut quaquam dubitat. Symmachum sibi persuadet p. 337 Pentateuchum ex Samaritico transtulisse, & propterea ad hunc provocare Scriptores Christianos antiquos, quando Samaritanum interpretem commendant. Signa, quibus in emendanda LXX virali versione usus est Origenes, asteriscos, obeliscos, lemniscos a Clariss. Grabio ex tenebris in lucem iri revocatum, p. 343 pollicetur. Et ne quid huic argumento deesset, dedit etiam nobis specimen Hexaplorum e margine Codicis Barberiani Bibliothecæ huic p. 346 insertum, quo versiones Os. XI, hisce inscriptionibus distinctæ exhibentur:

Hebr.	Hebr.	Aquila	Symmachus	LXX	Theodotion
Lit. Hebr.	Græcis literis				

Succenturiatur huic aliud in Caput I Geneseos e Philoponi maxime Commentario in Hexaemeron conquisitum. Dum Euclidis

clidis monumentis immoratur, refellit p. 375 miram Jo. Pici Mirandulani sententiam: *nihil magis nocivum Theologo, quam frequens & assidua in Mathematicis exercitatio*, cum vera rerum divinarum cognitio nullam Mathematicam demonstrationem extimescat. Stoicorum catalogo adspergitur p. 397 elegans de Cleanthis hymno notula, Apostolum Act. XVII, 28 commendando Atheniensibus Poetarum suorum dicterium: τῷ γὰρ καὶ γένῳ ἐσμὲν non Aratum solum, sed & hunc respexisse, cum & Cleanthes Athenis vixerit, & versu quarto laudati hymni idem dicat: ἐκ σῶ γὰρ γίνῳ ἐσμὲν. Manethonis elucubrationes etsi difficiles sint, imprimisque Dynastiæ a reliqua veteri historia plane recedentes, attamen Clar. Auctor in animum induxit spicilegium emendationum & notarum in Manethonem & argumenta Græca in Lib. I. Αποτελεσματικῶν, & novam versionem metricam publici juris facere, p. 501. Inseruit etiam huic operi p. 604 monumentum Adulitanum Ptolemæi Evergetæ I, & topographiam, ex qua depromptum est, Christianam, de cujus Auctore erudite differit, Cosmam autem dici, & quidem cognomento Indopleusten, valde dubitat. Jucundissima vero in hac topographia est delineatio orbis terrarum ex mente veterum Christianorum, qui qualem sibi mundum finxerint, in Actis nostris anno superiori pag. 439 abunde diximus. Excipit antiqua hæc literaturæ Græcæ monumenta pag. 360 vetus Poeta de viribus herbarum Deo alicui consecratarum, cum versione doctissimi Jo. Rentorffii, quæ hactenus nondum lucem conspexerat. Dantur etiam in Bibliotheca hac Scriptores Vet. Testamenti apocryphi, in quorum auctores, interpretes, editiones, dignitatemque & fata eadem inquiri diligentia, qua hactenus profanos collustravit. Jesum Siracidem & Ben Sira unum esse eundemque Cartwrighto, Grotio, Bertramo, Hottingero, Huetio aliisque p. 734 adstipulatur. Salomonis esse *librum Sapientiæ*, uti Jo. Gregorius Anglus & Nicol. Hieron. Gundlingius statuunt, sibi haut potest persuadere, neque quenquam certo putat affirmare posse, quis auctor ejus fuerit. Librum de Juditha statuit p. 742 non Hebraico stylo esse scriptum, incertissimo præterea auctore, nec res gestas re-

ferre, sed Epopoeiam, uti Jo. Christoph. Artopœus demonstraverit. Tobiam pag. 743 sq. ex Græcismis in Hebraica editione obviis Græca lingua colligit exaratum fuisse, non Hebraica, uti olim Hieronymus & recentiori ætate Seb. Münsterus voluerunt, sed inde in eam conversum esse. Librum Esdræ III pag. 747 non profectum esse ab Esdra, sed ita dici, quia de Esdra potissimam partem agat, & jam Clementis Alexandrini ævo fuisse cognitum, Librum IV autem, qui tantum Latine extat, etiam Græce olim lectum fuisse ex fragmentis in Barnabæ epistola occurrentibus cognosci. Maccabæorum librum I Hebraice scriptum esse non abnuit, neque Grotio adversatur, Libro III primum merito locum deberi, cum priora Maccabaicis tempora attingat, de quibus autem & cæteris Vet. Testamenti Pseudepigraphis peculiarem tractatum priori de Pseudepigraphis Nov. Testamenti similem pollicetur. Paucis hisce ex tam referto floribus rei literariæ campo coronidem imponamus eleganti de moribus Epicuri judicio, quod p. 804 legitur: mirum nempe Philosophum hunc vitam quidem sobriam egisse ex ipsorum adversariorum testimonio, sed impia ejus fuisse & plane absurda dogmata. Colophonis loco breviter ostendit originem sectæ Philosophorum Eclecticæ, quam plerumque Potamoni adscribunt, sed rem ipsam, seligere videlicet præstantissima quæque ex omnium Philosophorum placitis, antiquissimam sane esse, & jam Pythagoræ, Platoni ac Aristoteli probatam ac usitatam.

LES PREMIERS ELEMENS DES SCIENCES &c.

h. e.

*PRIMA SCIENTIARUM ELEMENTA, SEU
Introductio ad cognitionem solidam, per modum Dialogo-
rum, incipientium captui accommodata & Tenta-
mine Logico aucta.*

Parisii, apud Fridericum Leonardum 1706, in 12.

Constat plag. 21.

Senioris *Metaphysicae* ac *Logicae* principia cum omnis cognitionis reliquæ solida fundamenta existant; in scientia naturali ac morali egregios progressus facturis illis intime perdiscendis indefessam operam navare debet, postquam animus *Mathematicis* sufficienter fuerit imbutus. Quemadmodum itaque doctissimus *Bernhardus Lamy* admiranda facilitate ac perspicuitate atque ordine concinno in tyronum gratiam partim in *Elementis Mathematicis*, partim in *Elementis Geometriae* prima *Mathematica* explicavit; ita in præsentis opusculo eorundem commodis velificaturus, simile quid circa verioris *Metaphysicae* ac *Logicae* principia juxta mentem inprimis *Cartesii* & *Malebranchii* enodanda præstitit. Totum opusculum in quatuordecim Dialogos digestum, quorum primus evincit, hominem semper cogitare & perceptionem cogitationis essentiam esse. Quodsi contra primum objicias, nos dormientes non cogitare, cum evigilantes nullius cogitationis recordemur; hanc consequentiam nullam esse per instantiam probat, quia vesperi non omnium recordamur, quæ per diem cogitavimus. Si instes, nos aliquando non cogitare posse, quia libere cogitamus; non omnem cogitationem liberam esse monstrat. Nec experimentum fieri posse monet, num aliquando non cogitemus: etenim si missas facere decernimus omnes cogitationes, num missas fecerimus, attendere debemus, dum vero attendimus, cogitamus. Immo a priori deducit, nos semper actu cogitare, quia sanguis cum humoribus per vasa & spiritus animales per nervos constanter circulantur, unde per legem unionis mentis cum corpore semper in ea dantur perceptiones, quas in cogitationum numerum referendas esse probat, quia earum conscii sumus. Si denique urgeas, nos nullarum recordari cogitationum; quas in utero habuimus; causam hanc reddit, quod tum cerebrum fuerit admodum molle, ita ut nulla impressionum vestigia retinere potuerit, id quod necessarium sit ad recordandum. In Dialogo secundo ad animæ a corpore differentiam ejusque spiritualitatem adstruendam progreditur. Utitur autem argumento *Cartesii*, quod suo more magis dilucide proponit. Enimvero in hoc ipso paralogisimum latere, meditati non obscurum erit.

Quæ enim de notionibus distinctis valet regula, ea a *Cartesio* perperam confusis applicatur. Utimur vero vocibus notionis distinctæ atque confusæ in eo significato, quem ipsis tributum legimus in Actis nostris anno 1684 p. 537. Similiter cum *Cartesio* ex immaterialitate mentis immortalitatem ejus concludit, aut rectius incorruptibilitatem. In Dialogo tertio diversos cogitandi modos considerans notat, eos ex notione animæ deduci non posse, quod non sit clara, seu juxta *Leibnitianam* loquendi formulam, quod sit confusa, non distincta. Recenset autem tres animæ modalitates, cognitionem, sensationem & amorem. *Cognitiones* ipsi sunt cogitationes, quæ veras rerum ideas percipi faciunt, h. e. eas, quæ naturam rerum manifestant & ex quibus eorundem proprietates eruuntur. *Sensationum* nullam nobis esse ideam claram, seu potius distinctam, ait. Facultatem cognoscendi, seu percipiendi ideas omnis ejus, quod est intelligibile, *Intellectum* vocat: *Voluntatem* vero facultatem, qua ferimur versus bonum universale, seu impressionem animæ versus bonum indeterminatum. *Libertatis* duas constituit species. Altera est potentia se movendi cum cognitione & vellendi cum reflexione non modo objectum aliquod, sed & ipsum velle proprium: altera vero potentia determinandi ad bona particularia impressionem generalem. In Dialogo quarto existentiam Dei probat: ubi ante omnia monet, nos eam per rationem, non per fidem primum cognoscere, quoniam fide divina credere existentiam Dei est ideo credere, quia Deus dicit. Ipsa vero probatio huc redit. Nos multas cogitationes habemus inviti, multas habere non possumus, quas maxime desideramus. Non igitur sumus a nobis ipsis, seu per necessitatem naturæ nostræ. Accedit, quod nonnisi temporis exigui conscii sumus, quo extitimus, utut primi existentiae nostræ momenti non recordemur. Datur ergo ens aliquod, quod est ipse Autor nostrum. Jam cum simus spiritus, quatenus cogitamus, spiritus autem nihil cum materia commune habeat, ille nos ex simu materiæ educere non potuit. Ex nulla igitur re præexistente formavit, adeoque creavit, hoc est, vere ex nihilo produxit. Ast hæc productio potentiam requirit infinitam,

tam, cum nihil & ens infinito intervallo distent nullæ potentiaë finitæ permeabili. Quamobrem Autor noster infinite potens. Ergo & a se ipso; ingens enim potentiaë defectus est existere nonnisi in quantum nobis ens aliud existentiam largitur. Cui hæc illatio non necessaria videatur, eum progredi posse, affirmat, quousque libuerit, tandemque in ente aliquo infinite potente, qui Deus est, subsistendum esse: absurdum enim esse demonstrat, dari entia ab alio & non dari ens a se. Ex aseitate divina ejus independentiam ab omni alia causa, & inde porro immutabilitatem deducit. Probat, Deum esse æternum, quia ens necessarium: esse infinite perfectum, quia ens a se est fons omnis realitatis, non solum ejus, quæ datur, sed & ejus, quæ intelligitur modo, seu possibilis est. Subjungit argumentum *Cartesii*, ex notione entis perfectissimi existentiam Dei concludentis. Dialogus quintus de natura corporum in genere seu materia & modalitatibus ejus tractat. Proprietates corporis facit impenetrabilitatem ac divisibilitatem: modalitatis vero motum, quietem, situm, figuram. Materiam esse æternam negat, quia non existit ex necessitate essentiaë suæ, cum ens ex necessitate essentiaë suæ existens omnes perfectiones possideat. Animæ immortalitatem inde confirmat, quia Deus justus necessario puniturus est animas injustas, justas contra præmiis affecturus in vita altera. Vitam istam æternam esse debere ex parte injustorum, ut adsit proportio inter poenam & offensam infinitæ enormitatis, & ex parte justorum, ne Deus minus magnificus in remunerando, quam severus in puniendo videatur. Dialogus sextus unionem mentis cum corpore juxta *Cartesii* placita explicat, systema causarum occasionalium propugnans: quod argumentum Dialogus septimus ulterius persequitur, ubi inter alia licitum esse defenditur in demonstrationibus Philosophicis ad Deum provocare, quando de effectu ex naturis rerum ad eum producendum concurrentium inexplicabili agitur. In Dialogo octavo de origine idearum disquiritur; & rejectis tum Scholasticorum speciebus intentionalibus, tum systemate idearum concreatarum, sententia *Malebranchii* stabilitur, quod omnia videamus in Deo. Dia-

logus

logus nonus & decimus proprietates unionis expendunt, sensationes nempe, connexiones idearum cum vestigiis impressionum in cerebrum factis & horum vestigiorum inter se, imaginationem, memoriam, passiones. Corpus non sentire asseritur, quia anima sentit, cum sensationes sint cogitationum species, utpote conscientiam involventes, absurdum vero sit animam & corpus una sentire. Sensationes referri in membra corporis, quia finis unionis est directio & conservatio corporis, ut adeo per illas admoneri debeat, quid singulis partibus accidat. Deum vero in hoc negotio sensationem cognitioni prætulisse, quoniam illa hac brevior via & certior ad finem consequendum. Diversitatem imaginationis in diversis hominibus a constitutione fibrarum cerebri & dispositione spirituum animalium derivat, & plicabilitati fibrarum adscribit, quod juvenes scientiis addiscendis aptiores sint, quam ad ætatem magis profecti. Dialogus undecimus principia tradit, quibus intellectus adjutus certe judicare valeat, quid mundo visibili conveniat, ipsiusque illusiones evitet. Commendantur autem hæ regulæ: 1 *De eo, quod rebus convenit aut non convenit, non judicandum, nisi ex ideis, nequaquam ex sensationibus.* 2 *Clarissimam corporis habemus ideam & per hanc facillime cognoscuntur omnes proprietates ac modalitates, quæ in illam cadere possunt.* Cæterum quoniam sensationes sunt modi essendi animæ, nullumque ens est nisi quatenus est per modos suos; animam actu fieri illud concluditur, quod sentit, ex. gr. harmonicam, si harmoniam sentit; delitiosam, si delitias; luminosam, si lumen &c.


In tribus ultimis Dialogis *Tentamen genuinæ Logicæ* continetur. De *Logica vulgari* judicatur, quod sit ars discurrendi de eo, quod non intelligimus; ars instruendi de eo, quod non cognoscimus; ars dirigendi sine ullis fere præceptis; ars speculandi, cum de praxi agitur; ars cavillandi de meris formalitatibus; ars sibi formandi ideas inanes & disputandi de notionibus secundis, de entibus rationis, de universalibus a parte rei & de meris Chimæris, tanquam veritatibus maximi momenti. Contra *Logica*, quam Autor tradere intendit, dicitur esse

ars ducendi mentem ad veritatem, rectitudinem ipsi conciliando. Omnes operationes intellectus ad perceptionem reduci, aut enim ideam percipit, aut duarum idearum ad se invicem respectum simpliciter, aut duarum idearum ad se invicem respectum mediante idea tertia. Prima perceptio vocatur *perceptio simplex*; altera *judicium*; tertia *discursus*. Perperam igitur vulgo affirmari, Logicam versari circa famosas illas mentis operationes, cum omnes ad intuitum redigantur, qui cum necessarius sit, regulas respuit. Ad liberam voluntatem pertinere, ut intellectus in eo ponatur statu, in quo idearum & respectus earundem evidentiam intuetur. Logicam docere debere, quomodo voluntas per desideria sua attentionem & iudicii suspensionem in intellectu conservet, & clararum idearum atque bonorum iudiciorum obstacula, præjudicia scilicet, passiones & tenebras sensationum vivarum tollat. Eam itaque in tria abire capita, quorum primum docet, quomodo præjudicia & errores corrigantur; alterum, quomodo eadem præcaveantur; tertium, quænam sint media, per quæ rerum examinarum evidentia in aprico ponitur. Hujusmodi Logicæ elementa Autor tradere intendit. Primo nimirum capiti jam in antecedentibus satisfactum esse arbitratur per regulam, quæ *non secundum sensationes, sed secundum ideas de rebus judicandum esse* inculcat. Alteri satisfieri per regulam: *Quicquid evidenter, h. e. clare & distincte percipitur, verum est*. Veram enim evidentiam necessitare, ut ejus character sit invincibilitas, seu impotentia ad resistendum: apparentem vero judicandi vel iudicium suspendendi libertatem relinquere. Ut regula illa in praxi prompte applicetur, duas alias probe observandas esse monet. Scilicet 1 *Nunquam libere judicandum: sed iudicium suspendendum, donec necessitemur & evidentiæ resistere nequeamus.* 2 *Nunquam consentiendum, nisi cum consensum negare absolute impossibile nobis existit.* Quod denique caput tertium concernit, media, quibus efficitur, ut lumen in rebus oriatur, quæ examinantur, duplicia commendat, generalia nempe & particularia. Generalia omnia ad attentionem redeunt. Hanc enim mederi inadvertentiæ, negligentia ac precipitantia in iudicando: adhiberi autem, si 1 objectum nobis

I

repræ-

repræsentemus tanquam meditatione nostra dignum; 2 si, quando spirituale fuerit, ab omnibus sensibilibus abstrahamus; 3 si composita in partes dividamus & singulas seorsim consideremus; 4 si frequenter composita contemplemur, quorum partes ita connexæ, ut unæ sine aliis non probe cognoscantur; 5 si, quæ meditatur, statim in chartam conjiciamus. Media particularia efficiunt, ut evidentia nascatur vel in ideis, vel in judiciis, vel in discursibus seu ratiociniis. In ideis oriri evidentiam, si ab omni, quod est sensibile, purgentur, ut nonnisi intelligibiles evadant, quoniam ideæ sensibiles res unice cognoscere faciunt quoad respectum, quem erga nos habent, ut nobis vel gratæ, vel ingratae appareant. Porro dispiciendum esse, ad quod genus entium subjectum pertineat, quænam sint hujus generis perfectiones essentielles & per quas perfectiones hoc subjectum ab aliis distinguatur. Eum in finem Categorias extruit sequentem in modum:



& notat, perfectiones communes fundamentum esse idearum universalium; ideam generis & differentia, seu perfectiones communes & proprias simul sumtas exactam constituere definitionem; modos primæ seriei plus luminis præbere modis secundæ. In idea duo distinguit, earum characterem essentialem seu comprehensionem & latitudinem, indeque particularitatem, singularitatem ac universalitatem earundem deducit. Eadem media, quæ claritatem ideis afferunt, claritatem quoque judiciis afferre hinc colligit, quod evidentia judiciorum a claritate idearum tota pendeat. Ut evidentia in ratiocinando con-

do conservetur, nequaquam opus esse Syllogismo contendit, sed eum superfluum pronunciat, tum quod ratiocinium jam finitum supponat, antequam construi possit, tum quod syllogismo constructo veritas non melius appareat. In ratiocinio enim convenientia duarum idearum per convenientiam cum tertia perspicitur: est syllogismus 1 nec quicquam contribuere ad connexionem ideæ mediæ cum qualibet extremarum monstrandam, 2 nec quicquam facere ad consequentiæ rectitudinem ostendendam, 3 nec quicquam conferre ad seriem probationum in ratiocinio composito melius percipiendam. Addit quod ex mille Professoribus ne decem quidem reperiantur, quibus ratio constet, cur formæ syllogismorum rite concludant: id quod tamen apprime sciri debeat, si quis syllogismus tanquam medium dijudicandi veritatem adhibeat. Aliam igitur commendat terminorum dispositionem: medium scilicet medio loco inter duos extremos, seu, uti vulgo loquuntur, inter subjectum & prædicatum conclusionis ponit, si ratiocinium fuerit simplex. Ex. gr. si scire aveas, num omne corpus corruptibile, subjectum *omne Corpus* pariter ac attributum *corruptibile* comparandum est cum idea media *divisibilitatis*. Quare hos tres terminos ita scribit:

Subjectum	Media idea	Attributum.
<i>Omne Corpus.</i>	<i>Divisibile.</i>	<i>Corruptibile.</i>

In ratiociniis compositis dispositionem istiusmodi adhibet:

Principium.

Spiritus humanus concipi potest cum omnimoda ideæ corporis exclusione.

Ergo || Quia

Nihil habet cum corpore commune.

Ergo || Quia

Nullas habet proprietates corporis.

Ergo || Quia

Nullas habet partes.

Ergo || Quia

Non est divisibilis.

Ergo || Quia

Non est corruptibilis.

Ergo || Quia
Spiritus humanus est immortalis.

Hæc dispositio hunc insuper habet usum, quod a principio ad conclusionem descendere, & a conclusione ad principium reascendere liceat. In primo casu usus est vocis *Ergo*; in posteriori vocis *Quia*. Tandem media, in resolutione quaestionum evidentiam conservantia propositurus regulas a *Cartesio* in Opusculo posthumo de directione ingenii traditas & a nobis A. 1701 pag. 539 & seqq. commemoratas in compendium mittit.

TRAITÉ DES MALADIES DE L'OIL &c.

feu

TRACTATUS DE MORBIS OCULORUM, EORUMQUE remediis appropriatis, experimentis Physicis illustratus, Autore ANTONIO MAGISTRO-JOANNE, (MAITRE-JAN) Regis Chirurgus jurato Marliensi.

Trecis, apud Jacobum le Febure, 1707, in 4.

Alph. 3 plagul. 9, chart. aug.

Cum præternaturalis partium corporis animalis status vix satis intelligi queat, nisi naturalis earundem accurate præcognitus fuerit, Autor merito cunctas partes, oculorum conformationem naturalem ingredientem, prius describit variisque experimentis, cum humoris vitrei & crystallini structuram, tum visionem luminisque reflexionem & refractionem illustrat, quam morbos oculorum, eorumque remedia & operationes, partibus tribus declarat; prout morbi videlicet vel humorem crystallinum, vel vitreum & aqueum, retinam, nervum opticum, uveam, corneam, atque tunicas album oculi constituentes, vel partes denique inter globum sive bulbum oculi ac orbitam sitas, canthos oculorum & palpebras, perhibentur occupare. Ne tamen aut capita, vel numerum nonagenari-

um complentia, aut nomina singulorum morborum, oculos afficientium unice indigitando, Lectori molestiam potius, quam delectationem & utilitatem creemus, humoris potissimum crystallini constitutioni, tum naturali, tum præternaturali, ceu nucleo totius Operis præsentis, ita inhærere placet, ut nec humorem vitreum, nec modum, quo humores oculorum nutriri Noster conjicit, prorsus negligamus. Humor siquidem vitrei compages, quo ex membrana ambiente porosa, huic continuis fibris membranosis, cellulas invicem communicantes contextibus, atque humore aliquo contento, demonstratur resultans, Autor humorem vitreum ante omnia tabulæ imponit, videtque figuram ab ipso assumi rotundam & planam, atque sensim sensimque humorem stillare, humori aqueo non absimilem; qualem per omnem illius superficiem transsudare, digito, in quantum hic ubicunque impositus humectetur, dignoscit, transsudatione nihilominus lentissime procedente, humorem vitreum multis in locis pungit, tuncque humorem fluidum copiosius effluere ac totius molem citius imminui deprehendit. Hinc alium humorem vitreum digitis comprimens interne aliquid rumpi æque percipit, ac ipsum hinc inde punctum lente comprimens, multum humoris contenti exprimit. Humorem denique vitreum alium aquæ ebullienti immissum, quamprimum incalescit, conglobari pauloque solidiorem reddi, postmodum autem ea proportione, qua ebullire aqua pergit, in magnitudine imminui in soliditate contra augeri, usque demum non crassior pisco resistet, observat. Crystallinum vero humorem in lamellas, e quibus compingitur, resoluturus, (id quod *Steno* quondam sola ejus exsiccatione præstitit,) eundem, nunc solum aquæ ebullienti, cujus fundum instar corporis ponderosi mox petit, aliquamdiu incoquendum, nunc humori vitreo atque circulo ciliari adhuc annexum in aquæ partibus tribus & aquæ fortis parte una diem noctemque macerandum prius curat, sicque porro alia sine, alia cum dissectione annotat. Sine dissectione namque est, quando in humore crystallino & vitreo ultima ratione præparatis, tunicam seu membranam crystallini cum membrana vitrei continuari, fibras ciliaris circu-

p. 35.

36.

39.

40.

- li leviter corporis vitrei membranæ agglutinari, atque ibi mox, ubi hæc in crySTALLINI membranam abit, inferi, & membranam vitrei æque ac fibrarum internarum nonnullas, quales ab illius parte posteriori & aliquantum laterali versus crySTALLINUM in modum conii alicujus progredi videantur, parum alteratas esse & candicare, advertit. Verum tunica crySTALLINI apice lanceolæ in quatuor partes incisa, crySTALLINUM ipsum, promte elabi, nec ulli fibrillæ vel vasculo adhærere cognoscit;
- pag. 41. quemadmodum crySTALLINUM in plures lamellas, se ipsas instar pellicularum cœpæ involventes, ad centrum usque dispescens, has eleganter albidas eo magis successive indurari, quo magis ad centrum, durissimum & quodammodo perspicuum, appropinquant, fibrisque constare curvis, antrorsum vel retrorsum, inflexis, atque crassioribus circa latera, quam alibi, detegit.
42. Neque a maceratione multum recedit ea oculi præparatio, quam pro demonstrandis oculi partibus propriis subinde instituere solet, dum per nervum opticum in medio secundum longitudinem stilo acuto perforatum tantum mixturæ ex aquæ partibus duabus & aquæ fortis parte una, quantum valet, ope siphonis immittit, oculumque per triduum aut quatrimum intactum relinquit. Corpore interim crySTALLINO nulli parti adhærescente, per modum imbibitionis illud nutriri suspicatur, quatenus lympham imbibat, quæ in tunica uvea & circulo ciliari filtrata partim intra tunicam crySTALLINI, partim intra vesiculas corporis vitrei deponi ac per poros inde tunicæ vitrei ac retinæ pro humore aqueo augendo transsudare dicitur, donec eadem, ne in nimiam molem humor aqueus excrescat, a venarum poris recipiatur. Ad crySTALLINI autem humoris sive corporis morbos accedens, haud alios, quam cataractas sive suffusiones, veras alias, alias nothas, alias mixtas, atque maculas in eo indagat, pelluciditate ipsius vel omni, vel ex parte tantum, immutata. Sedem quippe cataractarum a Veteribus, Galeno & Oribasio attestantibus, in humore crySTALLINO, neutiquam vero in aqueo, multo minus in lamella aliqua crySTALLINI decerpta recte collocatam fuisse, Noster quinque Observationibus dat comprobatum, quarum tres posteriores eo certiores, quo
43. magis
- 51.
- 110.
- 112.

magis sectioni post mortem trium oculorum, cataracta affecto-
rum & non nisi crystallinum in transparentia alteratum exhi-
bentium, debentur. Neque in foemina in Observatione quar-
ta commemorata, quia cataractae depositionem in utraque oculo
menstruo spatio ante obitum sustinisset, defuit occasio porro pag. 119.
notandi, in locum crystallini portionem vitrei anterie sub pu-
pilla protuberasse, crystallinum ipsum in operatione chirurgica
sub uveam detrusum eique leviter agglutinatum, fibras autem
circuli ciliaris abruptas, crystallinum denique duplici substantia
stipatum fuisse, quarum altera, quam concomitantem cataractae
(Accompagnemens de la cataracte) vocat, flocculos nivis re-
tulerit, crystallinum hinc inde tantummodo contigerit, atque
pro diversitate cataractae, aut subito, aut lente progenitae, vel
parcior, flexilior albumque perlæ colorem æmulans, vel copio- 122.
sior, rigidior magisque flava apparuerit; altera vero non nisi
ipsas laminas crystallini minus magisque induratas, coloreque
itidem vel albo, vel flavo præditas, pro cataractae videlicet ge-
nesi, aut celeriori, aut tardiori, exhibuerit. Quemadmodum 135.
tamen cataractae sic ætate, magnitudine atque colore multum
inter se discrepant, ita de remediorum ab aliis commendato-
rum successu, vel in ipsa suffusione incipiente ac nondum con- 153.
firmata, ideo dubitat, quod crystallinum corpus cum nulla co-
hæreat parte, pori autem membranae ipsius ab acido æque im-
mutati, ac lamellæ ejusdem induratae, videantur. Pro catara- 161.
cta nihilominus matura & confirmata, in corpore prius præ-
parato rite deponenda, acum valde acutam, haud rotundam,
sed utrinque parum scindentem, eligit extollitque, albo oculi
e regione canthi minoris, ad duarum circiter linearum ab iri-
de distantiam, immittendam, ne circuli ciliaris uveam corneae 164.
annectentis læsione ipsa cohæsiō talis destruat motusque fi-
brarum iridis irregularis efficiatur. Rationemque hinc supe- 167.
randi varias molestias, in operatione occurrentes, ubi fuse ex-
posuit, modum operandi omnis generis observationibus, de
cataracta puta lactea, caseosa, cum substantia concomitante, 181.
cum humoris aquei extravasatione, inveterata, nigra &c. egre-
gie dilucidat. E contra glaucoma quoque, protuberantiam 204.
cry-

pag. 231. crySTALLINI, cataractam vacillantem & purulentam suffusionibus
 235. nothis annumerat, easque non minus ac mixtas cataractas ita
 designat designatasque observatis exornat, ut nulla spes ipsis
 medendi relinquatur: quemadmodum nec iis, qui vel de
 crySTALLINI maculis, tanquam cicatricibus, vel de imaginibus
 ante oculos sub specie telorum aranearum, punctorum, alarum
 muscarum, floccorum lanæ aliorumque perpetuo oberranti-
 bus, atque ab iis, quæ cataractas præcedunt, duratione ac de-
 fectu incrementi distinguendis, solent conqueri, multum auxi-
 lii promittitur.

*DE SALIBUS DISSERTATIO EPISTOLARIS
 Physico-Medico-Mechanica, conscripta a DOMINICO
 GULIELMINI, Philosopho & Medico Bononiensi &
 in Patavino Lyceo Medicinæ Theoricæ Professore Primario,
 ad Illustrissimum & Excellentissimum Dominum
 D. CHRISTIANUM MARTINELLI,
 Patritium Venetum.*

Lugduni Batavorum, apud Fredericum Haaring, 1707, 8.

Constat. 18 plag.

EX quo Clarissimo Gulielmini, cujus frequens in Actis no-
 stris mentio facta est, Physiologiæ Medicæ in Lyceo
 Patavino docendæ munus fuit demandatum, nihil prius aut
 antiquius habuit, quam omnes nervos eo intendere, qua
 arte hæc disciplina & magis perfici, & ad usum praxeos dirigi
 possit. In eo vero totum negotium consistere observavit, ut
 vera corporis humani & medicamentorum & generaliter eo-
 rum omnium, quæ solidas fluidasque partes componunt, aut
 alterant, principia, seu, quod ajunt, elementa invenirentur.
 Inter quæ & quidem prima cum non minus Analysis chymica,
 quam rigidum quantumvis examen mechanicum, & si quæ
 alia sunt veritatum investigandarum media, reponendam esse
 ostendant substantiam salinam, hujus tractationem aggressus
 est.

Cum

Cum vero salis nomen & particulæ elementari salis, & pag. 9.
 ejus aggregato elementari, & substantiæ compositæ ex salino
 elemento aliisque heterogeneis admixtis concedatur, hæc o-
 mnia, proprietatibus diversis gaudentia, una eademque defi-
 nitione comprehendi non possunt. Quoniam tamen a parti-
 cula elementari proprietates & natura in eo, quod Elementum
 est, & in eo, quod Elementum maximopere participat, potissi-
 mum derivantur, videtur ex definitione particulæ elementaris
 via fieri posse definitionibus reliquis. In hoc igitur sensu sa-
 lia sunt Autori Clarissimo corpuscula insectilia, terminata pla-
 nis superficiebus, ita invicem inclinatis, ut simplicem aliquam
 includant figuram. Ex qua definitione sequitur, particulas sa-
 linas esse insensiles, nec liquabiles, etiamsi liquabilitas in salia
 composita cadat. Quoad figuram, salis muriatici seu marini
 crystallos cubicas, Vitrioli parallelepipedas rhomboideas, Alu-
 minis rupei octaedricas, & Nitri prismaticas observamus, at-
 que hæ figuræ particularum primarum differentiam earum es-
 sentialem constituunt, hisque radicaliter inexistunt, suntque
 omnes simplices, scilicet aut ad pyramides, aut ad prismata
 reducibiles. Multo vero plures in compositis salibus figura-
 rum varietates experimur, quæ a primarum particularum di-
 verso schemate necessario prodire non liquet, cum a diversa
 compositione aut modo possint desumi. Hinc salia distin-
 guuntur in primigenia & non-primigenia seu derivata. Illa
 quatuor dicta sunt salia, hæc vero ex primigeniis vel solis vel
 cum aliis elementis combinatis componuntur. Nihilominus
 primigenia ista configurata corpora triplici potissimum de cau-
 sa diversam sui speciem oculis ingerunt; scilicet vel ex diversa
 oculorum positione seu projectione, vel ex imperfectione sche-
 matis suum complementum non obtinentis, vel ex irregulari
 additamento, facto ad aliquam partem. Licet autem hæ, aut
 quæ ex his componuntur, figuræ in aliis etiam salibus compe-
 riantur, nihilominus tamen non ad normam mutationis no-
 minum aut affectionum salia primigenia multiplicanda sunt,
 sed ad prædicta reducenda, ex. gr. tartarus, vel saccharum
 propter eandem figuram ad Vitriolum. Et cum salium in-

15.

20.

23.

27.

31.

32.

pag. 54.

primis particulis configuratio a creatione ortum suum habeat; sequitur impossibilem eorum esse generationem & destructionem, vel unius salis in alterius naturam transitus. Sed pergit Autor Clarissimus ad phænomena, quæ ad elementum salinum pertinent, explicanda, eaque in tres dispescit classes, prout vel spectant salia primigenia in maxima, quæ haberi potest, simplicitate sumpta, vel in majori mixtione radicantur, sed non tali, quæ efficiat, ut substantia illa ad aliud genus transferatur, vel compositioni aliarum substantiarum ad aliam etiam, quam ad salis, categoriam spectantium debentur. Dum salia in sua simplicitate sunt constituta, tres obtinent, quemadmodum omnes particulæ primæ, affectiones primitivas, scilicet quod sint impenetrabilia, quod habeant molem determinatam, & quod certa, constanti & immutabili figura donentur. Sin vero ejusdem schematis salinæ primæ aut elementares particulæ simul coeant, compositum quoddam resultabit salinum, & quidem sincerum, & purum, si neque salinarum diversæ configurationis neque alterius generis elementarium particularum intervenierit commixtio, quod tamen rarum admodum est, & vix naturaliter possibile, imo per artem factu difficillimum. Cum enim, quæ in hac rerum universitate reperiuntur salinæ particulæ, per aerem, per aquam, per terram dispersæ sint, vix fieri potest, ut, dum congregantur, non succedat saltem aquæ aut terræ commixtio. Proinde quæ maxima sperari potest in compositis salinis homogeneitas, illa est, quæ fit ex prævalentia unius salis determinati cum terræ paucæ & aquæ mixtura, qualis in succis concretis macris & primigeniis, quatuor nempe assignatis reperitur; quorum generationem ex primis particulis sequenti modo inquirat. Aqua sive per terræ superficiem sive per meatus ejus interiores excurrat, salinas particulas dissolvit, & a locis, quæ perluit, secum rapit; quoniam autem in terræ gremio non patulas ubique invenit vias, ibidem filtratur, & pro ratione filtri, quod matrix seu minera audit, ejusque pororum configuratione hæc vel illa salia ibidem relinquit, aliis cum aqua abeuntibus. Sic replentur minere, donec omnis aquæ interdicatur transitus, hæcque aliorum ad alias

fatu-

59.

saturandas mineras divertere cogatur. Sin vero pori nimis laxi aut cuniculi adsint, quos aqua transgredi queat, fieri potest, ut aqua non adeo satura continuo suo fluxu non modo ante deposita salia denuo imbibat, sed mineram eandem eluat, aut corrodat, & ramenta aliorum transferat. Quin imo aer salinas in se continet particulas, easque, ubi mineras invenit, certo alicui sali recipiendo idoneas, illuc deponit, vel intromittit. Nec minus elevatæ ab igne vel calore subterraneo aut solari sub forma exhalationum salis particulæ absque aeris vel aquæ interventu huc illuc transire, & in proportionatis mineris retineri & coacervari possunt. Inde est, quod juxta diversum modum ipsius irretitionis, juxta diversam matricum naturam & juxta alias circumstantias a conditionibus loci & ejus liquidi, per quod salia ad mineram deferuntur, petitas hæ modo terræ simplices sint, modo tophi, modo filices, modo sui generis determinatæ substantiæ; inde etiam est, quod succi concreti modo a matricibus educantur, modo ab aquis excoquantur, modo etiam sponte in locis determinatis concrecant. Magnētismi allicientis ad matricem salia primigenia determinati generis duæ peculiare esse videntur radices, quarum altera in pororum certa figura, & ad salis retinendi particulas proportionem, altera in similitudine figurarum & æqualitate molium, quæ in ejusdem salis particulis reperiuntur, consistit. Quod autem non obstante pororum proportionem minus commoda, figurarumque in salibus dissimilitudine nihilominus alterius schematis salinæ particulæ retineantur, plures sunt accidentales causæ. Possunt enim laxiorum illorum meatuum, aquæ quocunque sale imbutæ perviorum, internis superficiebus ad modum tartari adhærescere crustæ salinæ, aut cujuscunque generis crystalli; sive id fiat propter nimiam saturationem aquæ, sive propter amissam velocitatem, sive propter motum intestinum deficientem, sive alia quacunque de causa. Insuper efficere potest angulorum, qui in diversis salibus sunt, æqualitas, ut unius particula particulæ alterius adhæreat, & aliquando reliqui corporis non sequatur disjectio. Atque idem ad aerem & salinas exhalationes a calore elevatas applicari potest. Salium majora &

p. 68.

73.

pag. 88.

98.

109.

ra & crassiora frustula, si aquæ immitantur, fundum petunt, quod eorum major sit quam aquæ gravitas specifica; quod vero comminuta illa ascendant, & dispergantur per aquam, ibidemque suspendantur, causa est, partim quod per aquæ virtutem solutæ & sejunctæ, & ad tantam parvitatem molis redactæ sint salium particulæ, quæ resistere nequeat motus intestini, qui in aqua est, impressionibus; partim quod intra poros aquæ salinæ moleculæ condantur. Imo etiamsi salium particulæ non includantur poris aquæ, sed cum hujus particulis misceantur, & interjaceant, poterunt hæ in aqua suspendi, si ad eam redactæ fuerint molis, gravitatisque parvitatem, quæ corpori non majorem tribuat descendendi virtutem, quam auferant resistentiis occurrentes superficies; adde quod gravitatum specificarum differentia inter corpus fluidum & illud, quod eidem immergitur, per hujus ad minima divisionem evanescat. Ut succi concreti solvi possint in aqua, requiritur ex parte aquæ tenuitas partium, & motus, quo illæ agitantur, ex parte succorum vero talis pororum apertura, quæ facile particulas aquæ admittat, & partium nexus, qui ex motu eo, quo partes aquæ perenniter aguntur, non ægre possit superari. Inde enim fit, ut cum aquæ immittuntur salis crassiora frustula, statim a motu in eorum poros & rimas aquæ particulæ calore potissimum adjunctæ intromittantur; cumque suum etiam motum conservent in meatulis illis arietando partes, quibus pori illi & meatus concluduntur, has divellant a vicinis. Ubi autem una pars salis ab altera sejuncta, magis adhuc vi suæ gravitatis quam motui fluidi obsecundet, tam diu dissolutio continuatur, donec particulæ adeo parvæ evaserint, ut motum aquæ sequi possint, a quo perenniter impetuntur; quod ubi successerit, constat fore ut per universam aquam dispergantur & in qualibet ejus parte suspendantur. Quodsi autem aqua sale jamdum saturata extiterit, nihil amplius de sale adjecto solvit, quia, quo magis augetur post salis exsolutionem materia in mobili, i. e. in aqua, eo magis languet velocitas, qua partes tam aquæ quam commixti salis moventur. Cum autem hoc negotium in portione quadam fluidi ad resistentiam, quam habet ad motum

par-

particula falis, consistat; perspicuum est, rem variari debere, si aut motus augeatur in fluido, aut resistantia in falis particula minuatur, quod fiet per ulteriorem ejus comminutionem; hinc aqua calida plus solvit quam frigida, plus ebulliens quam calida, & destillationes, cohobationes, circulationes, digestionesque Chymicæ saturatissimas præbent solutiones. Quamquam autem pag. 110.
 aqua unius speciei sale imprægnata fuerit, alterius tamen speciei sal imbibere adhuc & solvere potest eadem, partim quia pori secundi falis, non obstante quod aqua alio fuerit imprægnata, illius adhuc particulas admittunt; cui operi aliquam præstare potest opem antecedens solutio, quæ menstrui vices gerat respectu secundi falis solvendi, illius poros vel laxans, vel diffringens; partim quia in antecedenti solutione motus saltem adeo validus durat, ut secum rapere possit jam comminutas particulas; partim quia dissimiles sunt salium particulae. Sicut autem similitudo & æqualitas particularum non permittit ejusdem falis, nisi ad certam mensuram imbibitionem, ex eo quod similes & æquales particulae facile sese invicem apprehendunt, & in majores concresecunt moleculas, unde earum præcipitatio contingit; ita dissimilitudo potissima causa est, ut duobus imo pluribus diversi generis salibus successive imbui possit aqua. Mittimus ea, quæ Autor Clariss. contra Gassendum ultimi hujus phænomeni causam in pororum diversitatem rejicientem, disputat, ad alia progredientes. Salia jam soluta ab aquæ amplexibus iterum liberantur, vel per irretitionem, vel per præcipitationem. Illa vel per pororum, qui in substantia aliqua reperiuntur, configurationem & proportionem cum schematibus salium irretiendorum, ut in mineris succorum concretorum, quemadmodum jam dictum; vel per simplicem pororum angustiam, ut in filtratione perficitur. Præcipitatio autem contingit per remotionem alicujus ex causis necessariis ad solutionem conservandam, scilicet vel propter defectum humidæ solventis, ut in evaporatione; vel propter defectum motus exacti, ut in crySTALLIFICATIONE, in loco frigido celebrata; aut postquam aqua per ebullitionem violentam salibus saturata iterum

126.

refriguit; vel propter defectum debitæ tenuitatis in salium
 particulis, quæ oriri potest aut ab imminuto motu, aut liquido,
 aut augmentatione molis in particula soluta. Sæpius tamen
 non unus ex prædictis defectibus contingit, sed plerumque duo,
 & non raro omnes copulantur. Quod autem salia ab aquæ
 vinculis liberata denuo concrecant, tres allegari possunt cau-
 sæ; videlicet aut fluidi defectus, aut motus diminutio, saltem
 mutata directio, aut conditio figurarum, aliarumque affectio-
 num, quæ in particulis mobilibus deprehenduntur. In specie
 pag. 144. crystallisationem rimatur Autor Clarissimus, cujus naturam &
 170. modum postquam explicuit, negat totam plantæ virtutem in
 ejusdem sale essentiali contrahi & contineri, cum affectiones
 aut proprietates plantarum cunctæ in uno sale non radicentur,
 sed multæ etiam in sulphure seu oleo plantarum pariter essen-
 tiali, multæ in mixtione utriusque, multæ in aliis partibus tum
 fluidis tum solidis a sale & sulphure essentiali diversis reside-
 ant. Imo nec omnes virtutes a sale in planta existentes in
 sal essentiali transire putat, cum sal non omne, quod in mixto
 extat, necessario in crystallos coaguletur, sed pars in auras eva-
 nescat, una cum fumo evaporantis succi; pars cum aqua re-
 manere commixta, pars cum aliis particulis alligata tertium
 174. aliquod substantiæ genus componere possit. Nec salium lixi-
 vialium materiam pro eadem habet, quæ antecedenter in sali-
 bus essentialibus erat, siquidem tota salis essentialis substan-
 tia ex humido, quod in mixto viget, desumitur, ut lixivialis
 non modo ex fluido, sed etiam ex sicca parte hauritur; dein-
 de fieri potest, ut sal essentiali neque omnino fixum sit, neque
 omnino macrum, cum sal lixiviale utrumque fere necessario
 sit. Sed neque quoad formam seu partium texturam conve-
 niunt utraque; in sale enim essentiali combinantur salia di-
 180. versa, in lixiviali non item. Denique ad acidi & alcali con-
 flictum, effervescentiam seu ebullitionem potius quam fermenta-
 tionem dicendam, progreditur, aciditatisque radicem in spi-
 culis quibusdam salinis vel per corpus, quod acidum nuncu-
 patur, dispersis, vel illud coagmentantibus ponit; ita tamen,
 ut spicula eadem in acutos angulos sint acuminata, quæ tol-
 lun-

luntur, si cum alcalicis misceantur, quatenus alcalia corpora sunt poros habentia, proportionatos ingressui angulosarum partium in liquido natantium, eosque vacuos, i. e. solo aere, vel alia materia subtiliori, analoga tamen aeri, repletos. Hinc vis illa, qua liquidi partes mutuo se urgent, & qua æquali undique existente eadem inter se manent libratae, si locum inveniatur minus resistentem, eo fluidum adigit, aut eas in eodem fluido solutas particulas, quæ illum possunt ingredi. Cum autem tales sint pori alcalium respectu acidorum spiculorum magis quam respectu aquæ, necessario intra poros alcalium acidæ cuspides urgentur, & in iis reconduntur. Nota Salium quoque est differentia, qua fixa alia, alia volatilia dicuntur. Fixum audit corpus quodlibet, quod adversus occurrentium agentium impetum suæ substantiæ unitatem & situm tuetur. Volatilitatis vero duplex est species, alia potentialis, actualis alia; illa conjuncto aliquo indiget, ut in actum exeratur, hæc totum in se complectitur, ad actionem requisitum. Ad potentialem volatilitatem requiritur, ut aliquid a calore pluri vel pauciori ad evolandum incitetur, partesque habeat comminutas, levisimas, & paucio nexu inter se conjunctas. Volatilium vero salium actualem volatilitatem habentium ea videtur esse natura, ut 1 partes habeant probe comminutas, non solum quantum ad solutionem, sed etiam quantum ad evolutionem requiritur; 2 laxo inter se vinculo unitas, aut cum aliis substantiis, si quas forte habent in eodem mixto combinatas; & 3 cum sulphure volatili arcte implicitas. Denique quod actiones salium attinet, illas in duas dispescit classes Autor Clar. Vel enim in corporibus hæc fiunt, quorum partes salia non sunt, vel exeruntur in mixtis, quorum compagem ingrediuntur. Ad priorem refert virtutem dissolutivam, præcipitativam, & coagulativam. Effectus vero, quos salia in mixtis, in quibus reperiuntur, exhibent, trium ordinum observantur esse; vel enim sal mixtis tribuit compactionem, soliditatem, & pondus, ad quod genus congelationes, & coagulationes referuntur; vel durationem, hinc arcentur dissolutiones, putrefactiones, inflammationes; vel propagationem & fertilitatem, unde fer-

men-

pag. 227.

243.

mentationes exoriuntur. De cætero, qua ratione Hombergi sententia in Tomo IV Histor. & Memorab. Acad. Reg. Scient. contenta, qua salium fixorum configurationes non primis earum particulis deberi, sed ab alcalibus, ex quibus cum acido aliquo commixtis emergunt salia fixa, deduci censet, cum sua conciliari possit, in Appendice docet Noster.

LA SPHERE DU MONDE SELON L'HYPOTHESE de Copernic, &c.

h. e.

SPHÆRA MUNDI JUXTA HYPOTHESIN Copernicanam, exhibita Regi; descripta, demonstrata & comparata cum Sphæris & Systematibus Ptolemæi & Tychonis de Brahe ab Abbate de VALLEMONT.

Parisiis, apud Prosperum Marchand, 1707, in 12.

Constat plag. 17 & Tabb. æneis 5.

Duo sunt, quæ hunc libellum commendant; clara nempe atque distincta phænomenorum universi ex hypothesi Copernicana resolutio, & novæ cujusdam Sphæræ nobilis juxta eandem ex cupro factæ atque Regi exhibitæ a *Johanne Pigeon* & *Johanne Baptista Delure* descriptio. Cum enim *Cap. 1.* evicisset, studium sphæræ mentem ad Deum elevare, ac contra Atheos mundi æternitatem asserentes disputasset, *Cap. 2* terminos, quorum in sphæra intelligenda usus est, *Cap. 3, 4 & 5* sphæram *Ptolemæi*, cum systematibus *Ptolemaico* atque *Tycho-nico* explicat, & *Cap. 6* novæ sphæræ delineationem quandam imperfectam subjicit, schemate eleganti quadantenus illustratam. Quo facto ipsam phænomenorum sphæræ ex hypothesi *Copernicana* solutionem aggressus, *Cap. 7.* de triplici motu *Tel-luris* differit, motu nempe vertiginis, translationis & inclinationis, & mox *Cap. 8* apparentias *Solis* explicat: ubi argutam prophetiæ *Malachiæ* cap. I, II affert interpretationem, ex his quidem suppositis derivatam, quod in omni instanti physico ali-cubi

cubi meridies existat adeoque religione Christiana per totum orbem disseminata semper alicubi sacerdotes sint ad altare & in choro constituti. In specie *Cap. 9. 10 & 11* ostendit, quomodo quatuor fiant anni tempestates, Sole in centro universi immobili posito; quomodo idem propter diversitatem angulorum, sub quibus radii superficiem in diversis partibus Telluris feriunt, aeris temperiem in quinque zonis producat; quomodo denique dierum inæqualitatem causetur, quæ 60 climatibus ortum dedit, ab ipso accurate definitis per præcipua, quæ singula continent, loca. Pedem promovet *Cap. 12 & seqq.* ad apparentias Lunæ, eclipses Solares ac Lunares, apparentias Mercurii, Veneris, Martis, Jovis & Saturni, nec non directionum, stationum ac retrogradationum enodandas. Damnat *Cap. 19* adspectus Planetarum & Astrologorum regulas, quibus nihil solidi inesse affirmat. Immo experientiam certam non haberi posse contendit, quia complures annorum millenarii elabi debent, antequam eadem redeat cœli constitutio, ita ut, quæ hodie est, a principio mundi nondum extiterit. De firmamentis & fixis *Cap. 20* dum agit, *Antonium Mariam Schyrleum de Rheita*, celebrem illum Capucinum, Oculi Enochii atque Eliæ Autorem, in solo Orione ultra bis mille stellas per telescopium observasse notat, simulque catalogum fixarum præ ceteris commendat, quem *Anshelmus*, monachus Cartusianus, ad annum 1700 condidit, & quem *Royer*, Architectus Regius, cum mappis cœlestibus in 4 Tabulas redactis anno 1679 edidit: ubi 1806 stellæ per 73 constellationes distribuuntur. Tandem *Cap. 21* prolixè exponit, quid in hypotheseos suæ favorem dicant Copernicani. Summa momentorum ibi propositorum huc redit: 1. Hypothesin Copernicanam non esse novam, sed tum ab antiquis (quemadmodum ex Aristotele, Cicerone & Plutarcho probat) tum ex recentioribus a *Nicolao Cusano*, Cardinali, 80 ante Copernicum annis in libro *de docta ignorantia* *Cap. 12* assertam; 2. multum tamen eandem perfecisse Copernicum, ipsiusque vestigia secutos esse reformatores Calendarii *Juliani* in correctione *Gregoriana*; 3. esse eam legibus motus & naturæ exacte conformem propter egregiam im-

primis harmoniam ac simplicitatem admirandam, nec 4. Sa-
 cris Litteris repugnare, cum de sensu Scripturæ sacræ in quæ-
 stionibus Physicis obscuris judicari nequeat, nisi ubi in Philoso-
 phia demonstratio adsit, & per testimonia celeberrimorum
 Scripturæ interpretum certum sit, non secundum existentiam,
 sed secundum apparentiam loqui Scripturam. Unde ex *Au-*
gustino urget, de quæstionibus Physicis obscuris ex Scriptura
 non esse judicandum, ne ejus autoritas penes profanos prosti-
 tuatur, si demonstratio contrariæ explicationis superaccedat:
 quemadmodum factum sit circa quæstionem de antipodibus &
 rotunditate Telluris a Patribus primitivæ Ecclesiæ impugnatam.
 Inter alia quoque observat, Scripturam in quæstionibus chro-
 nologicis annos unice numerare, mensium, dierum ac horarum
 appendicem prorsus negligere: qua de causa nunquam speran-
 dum sit, ut ex ea mundi ætas unquam exacte eruatur. Simili-
 ter miraculum Solis stantis per hypothesin *Copernicanam* meli-
 us explicari, quam per *Tychonicam*, modo cogitetur, quod
 Sol sit principium motus motu suo vertiginis vorticem cœli abri-
 piens, quodque in medio cœli existat. Denique 5. prolixè adstruis,
 Ecclesiam permittere, ut hypothesin *Copernicana* quoad motum
 Telluris defendatur, nec in Gallia pro oraculis haberi decisiones
 Sacri Officii Inquisitionis in istiusmodi quæstionibus, quas non in-
 telligunt; & 6. inconvenientias systematum *Ptolemai* & *Tychonis*
de Brahe recenset, quas inter præter falsitatem motus ☿ & ♀
 circa Tellurem in Ptolemaico refert multitudinem epicyclorum
 simplicitati naturæ e diametro oppositam; suppositionem non
 facile concedendam, quod scilicet primum mobile intervallo
 24 horarum Planetas omnes ab oriente ad occidentem trahat
 & Planetæ contra motu proprio in oppositum ferantur, nimi-
 amque motus rapiditatem. Enimvero cum palmarium in hoc
 opusculo sit descriptio novæ Sphæræ mobilis juxta hypothesin
 Copernicanam constructæ, eam huc transferre non piget. Dia-
 meter Sphæræ est $2\frac{1}{2}$ pedum, in cujus centro occurrit globus
 rotundus splendens, Solem repræsentans. Exterius quatuor
 circuli maximi conspiciuntur, firmamentum constituentes, Zo-
 diacus

diacus nempe, æquinoctialis & duo coluri. Zodiaci latitudo est 60 graduum; in ejus medio Ecliptica in 360° divisa comparet. Ipse in 12 signa; signum quodlibet in 30° dividitur. Polos Eclipticæ referunt duæ extremitates virgæ ferreæ totam Sphæram trajicientis. Æquinoctialis Eclipticam in 0° ♋ & 0° ♎ libræ secat, & suos itidem habet Polos a Polis Eclipticæ $23^\circ \frac{1}{2}$ remotos. Duo Coluri Zodiacum fulciunt. Quatuor hi circuli cum firmamentum repræsentent, stellis undiquaque ornati. Intra hos 6 circuli alii Planetarum vortices exhibentes conspiciuntur. Unus Tellurem cum Luna continet, reliquorum singuli singulorum Planetarum corpora globosa. Circulis nomina Planetarum incisa sunt, inscriptum quoque est tempus, quo suum circa Solem motum absolvunt. Globo terrestri vero inscriptos videas æquatorem, tropicos, circulos polares & polos, $23^\circ \frac{1}{2}$ ad planum, in quo hæret, inclinato. Appositi sunt duo circelli, Meridianum ac Horizontem designantes. Luna una cum Tellure circa Solem fertur, & circa Tellurem etiam intra 27 dies. Globorum pars a Sole averfa nigro colore tingitur. Coronidis loco horologium oscillatorium applicatur, quod simul circulis motum imprimit, atque tum horas, tum minuta, tum ætatem Lunæ, tum annum seculi monstrat, indice ultimo intra 100 demum annos revoluto. In magnitudine globorum & circulorum vera observari non potuit proportio, ob enormes Planetarum a Terra distantias & non minus enormem corporum Planetarum ad corpulentiam Solis rationem. Specialiora cum Autor non addat, hic nobis quoque subsistendum. Hanc vero descriptionem si cum ea conferas, quam *Guilielmus Bleau*, primus Sphærarum armillarium juxta hypothesin *Copernicanam* construendarum inventor, in *Institut. Astronomica de usu Globorum & Sphærarum coelestium ac terrestrium Part. 2 Cap. 2* tradit, Sphæram novam ab ejus Sphæris fere non nisi in eo differre deprehendes, quod mobiles redditæ fuerint: quo autem artificio id fuerit effectum, reticendum esse duxit Autor.

HISTORIA COLLOQUII FEVERENSIS INTER Lutheranos & Reformatos Anno 1576 instituti, una

cum Actis & conscriptis in eadem notis, nunc primum edita a D. JO. HENRICO FEUSTKINGIO, Seren. Principp. Servesta-Anhaltinis a Sacris Primariis & Consiliis Ecclesiasticis.

Servestæ Anhaltinorum, apud Heredes Christiani Fincellii, 1707, 4^{to}.

Constat 1 Alphas. 17 plag.

QUam operam summe Rev. Autor in tractandis edendisque doctrinæ Theologicæ monumentis Ecclesiæ approbavit, ut ex Actis nostris A. 1703 p. 334 a. 1705 p. 241 & A. 1707 p. 205 videre est, illam, præfenti opere in evolvenda historia ecclesiastica, de colloquio Jeverensi Lutheranos inter & Reformatos instituto, utilissime collocavit. *Octo in Capita* distributus est hic liber commentarius, exornatusque præfatio, quod ostendit, paucos admodum, & quosdam nimis leviter, præfens historiæ caput pertractasse, tum nihil fere ad illam condendam superfuisse monumentorum publicorum, adeo, ut ex fragmentis quibusdam, hinc inde dispersis, brevis enarratio fuerit colligenda. His prius confectis, ad ipsum rei institutum progreditur doctissimus Autor, & *Capite* quidem *primo* docet, Colloquium Jeverense, autore JOHANNE XVI, Comite Oldenburgico-Delmenhorsteni, cœptum esse atque habitum. Ad illum enim Comitem, extincto veterum Frisionum Dominatu, per heroicam Wimmekenensium Familiam, justo sanguinis ac successionis titulo, traducta erat Dynastia Jeverensis, postquam Maria, Princeps virgo, omnibusque laudibus ob religionem veram in regionem istam importatam & stabilitam superior, A. 1575 vivis excessit, atque ut JOANNES ille, antiquissima stirpe Oldenburgica, a Witekindo M. ducta, prognatus fuit, ita suprema ipse virtutis, doctrinæ factorumque gloria illuxit, dignus omnino, cujus res bello domique gestæ, cujusque negotia, ad promovendam servandamque divinam veritatem ab ipso suscepta, a celeberrimo Feustkingio percenserentur. In his fuit, quod turbas, ab Anabaptistis excitatas, indicto anno 1576 colloquio, per Hermannum Hamelmannum, Theologum
acu-

acutissimum, repressit, & cum acquiescere nollet varium illud ac protervum hominum genus, terra sua ejecit. Causa, quæ Colloquio Jeverensi habendo occasionem dedit, & *secundo Capite* a clarissimo Theologo exponitur, non fuit curiosa mentis temeritas, neque levitas animi dubitantis, uti Eibenstochio videtur, sed ingenuus veritatis amor pariter ac sincerus erga subditos affectus. Cum enim dissidia quædam de ritibus superessent, tollendis iis peculiaris ordinatio ecclesiastica, auctoritate Comitis, a Selneccero, propter id in arcem Oldenburgensem accito, tum & Hamelmanno, laboris socio, consignata, in ordinem redacta est. Huic plurimi Ecclesiarum Oldenburgensium Ministri subscripserunt, idem vero ut Jeverenses præstarent, non imperii cogentis vi, sed æquissimis rationibus, quas Cancellarius Joh. ab Halle explicuit, quæsitum est. Causa erat præcipua, quod inter Jeverenses obscuri quidam Sacramentariorum affectuæ vagarentur, quorum ut artes proderentur juxta ac Anabaptistarum calumniæ retunderentur, ecclesia vero extra omne confusionis periculum poneretur, efficiendum erat. Hac ratione patefactum est, Jo. Henr. Japetum, Conradum Quantium, & Joh. Meppelensem, Alberti Hardenbergii scriptis assuetos, Calvini placitis favere, quorum tamen primus, meliora edoctus, subscripsit constitutioni, reliqui vero duo idem recusarunt, causamque, ut colloquium institueretur, dederunt. Sua igitur constitit dignitas homologetico huic particularis Ecclesiæ a multis inde Jeverensis Ecclesiæ Ministris ob-signato, quorum nomina tandem toti enarrationi subjiciuntur. Locus, ubi colloquium institutum fuit, urbs erat Jevera, in Frisia Orientali, sicuti *Cap. III* edocetur. Inde haud procul conspicitur Insula Wangerogensis, in qua urnæ crematorum corporum, & antiqui numi quondam reperti sunt, licet id quidam Insulanorum pernegare malint. *Caput* hujus libri *quartum* enarrat eos, qui colloquio interfuerunt; & primo quidem adducuntur tres, ex Reformatorum Ecclesia, scilicet Joh. Henr. Japetus, *Schortensis*, Conradus Quantius, *Wadwardensis*, & Joh. Meppelensis, *Sillenstedensis*, Pastores. Japetus ordinationem commemoratam se comprobare confitebatur, si exciperentur.

Capita de Exorcismo, & de Coenæ Sacramento, in quibus tamen singulis corpus Oldenburgense doctrinam coelestem clarissime proponebat, unde Japetus quoque ab Hamelmanno instructus tandem subscribebat, sed Quantius & Meppelensis modo in Exorcismi ritum, modo in Lutheri Catechismum, modo in Coenæ & majestatis Christi mysteria irruebant. Quamobrem cum redire nollent, missi sunt homines, quorum tamen patrocinium Wempo quidam Oitensis contra Hamelmannum suscipiebat. Lutheranorum causam in colloquio tutati sunt, ex viris Politicis Vice Comes Burchardus a Steinberg, Vir doctrina atque usu rerum gravissimus & congressus moderator, cui junctus adstabat D. Jo. ab Halle, Oldenburgensi a Cancellis, eruditione æque ac consiliis dexterrimus. Halleum sequebatur Henr. Tilingius, cujus multa in Ecclesiam Bremensem, & postea Jeverensem, magnaue merita extiterunt. Præsentes etiam erant Hermannus Accumensis, Stadius Reinkingius & Theodorus ab Eyben, qui a pietate & eruditione commendantur. Ex ordine autem sacro præcipuas colloquii partes sustinuit Herm. Hamelmannus, cujus viri zelus & præstantia, ex scriptis, vita & dexteritate, in Synodo Lemgovienfi juxta ac Jeverensi cum summa eruditione demonstrata, ex memoriæ tandem felicitate plane singulari illustris, omnino flagitabat, ut ab Autore nostro pluribus, quam ab aliis factum est, illustraretur, tum contra calumnias ac hodiernorum quorundam teporem vindicaretur. Argumentum & ipse Colloquii, quarto Aprilis A. 1576 instituti, processus, qui *Capite quinto* subjicitur, respexit ad verenda illa mysteria de Baptismo & S. Coena. Jeveræ igitur differebatur de Exorcismo, quem apud Lutheranos non Papisticum esse ostendebatur. Progressio fiebat ad Sacramentum Altaris & doctrinam de unione Sacramentali, collata & explicata ex unione personali, quæ ut in colloquio defensa fuerit, ab Autore doctissimo exponitur, simulque declaratur, turbatores Jeverenses, duos istos præcipue, contra omnes admonitiones, negasse veram corporis & sanguinis Christi præsentiam in Coena; hanc vero gravissime assererat Hamelmannus, cujus argumenta contra objectum Evangelistarum dissensum, item de no-

de notione vocum *signi*, & quomodo Sacramenta sint gratiæ signa, porro de essentiali transmutatione, non stabilita, atque de particulis IN, CUM & SUB, postea de difficultatibus ex persona, ex natura humana, ex ascensione Christi allatis, ejusque præsentia & absentia modis, tunc de Coena Christi cum Discipulis habita, quasi in ea Servator corpus suum dare non potuerit, de jactato Patrum & Melanchthonis cum Reformatis consensu, de physica & Capernaitica manducatione, tum de duplici orali & spiritali usu, de manducatione denique indignorum ordine percensentur, illustrantur & confirmantur, tandemque in hanc rem commendatur Hamelmanni liber de Responsionibus ad dicta Patrum, rarus quidem ille, sed magna cum legentium utilitate adhibendus. Maximo vero ecclesiæ emolumento cessisse congressum Jeverensem, *Cap. VI* commentarii hujus monstratur. *Cap. VII* sistitur historia, quomodo Wempo Oitensis, victis Quantio & Meppelenfi auxilium ferre conatus fuerit, eodem, quo colloquium Jeverense habebatur, anno. Hic auctoritate Petri Rami & Casp. Oleviani elatus, Reformatorum dogmata defendere moliebatur, permulta contra Augustanam Confessionem, contra verba Coenæ, contra præsentiam materiæ coelestis proferens. Sed confusus tandem est Disputator, atque ad sua abire jussus. *Ultimo tandem Capite, VIII* nimirum, contra Strimesium, Ecclesiæ Reformatæ apud Francofurtanos Doctorem, & Jo. Josephum Wincklerum, Inspectorum Magdeburgensem, manifestum dedit Autor, recentissimos Reformatos idem sentire vel proponere, quod eorum majores apud Jeverenses olim docuerunt. Quem in finem ipse Strimesius, Burmannus, Leydeckerus, Werenfelsius, Vietor, Spanhemius, Salomon van Til, Braunius, Burnetus, Heideggerus, Pictetus, Melchior, Gauterius, Schenckius, Hulsius aliique producantur.

TRAITÉ DE LA GRAMMAIRE FRANCOISE.

i. e.

TRACTATUS DE GRAMMATICA GALLICA,

Auto-

Autore REINERO MARESIO (DESMARAIS) Secretario perpetuo Academia Gallicæ.

Amstelædami, apud Henricum Desbordes, 1707, 12.

Constat Alph. 1 plag. 9.

- pag. 1. **Q**Uantum hætenus celeberrima Academia Gallica puritati atque elegantia vernaculæ studuerit, inter omnes constat, ad utramque ut symbolam suam conferret doctissimus hujus libri Autor, dictæ Academiæ Secretarius perpetuus, hunc de Grammatica Gallica tractatum magna industria conscripsit. Ut paucissima delibemus, quamlibet linguam ait peculiari Grammatica doceri, si numerum, sonum & figuram literarum, nec non formationem, ordinem & connexionem verborum spectes, in multis tamen omnes omnium linguarum libellos
2. Grammaticos inter se convenire. Quoniam vero lingua Gallica fere tota e Latina sit formata, hinc Gallos plurima quoque Grammaticæ Latinæ præcepta retinuisse idem asserit, dividitque tractatum hunc in partes duas, quarum prima agit de numero, natura & valore literarum ac imprimis diphthongorum, nec non de orthographia, altera de singulis orationis partibus.
72. De Orthographia ubi agit, notat abusus in ea hætenus commissos, & refert viros subinde eruditos de emendanda scribendi ratione sollicitos fuisse. Hos inter primus *Georgius Trifsinus* producit, qui scribendi rationem Italicam emendare est aggressus, eumque in finem prolixas quasdam litteras ad Clementem VII Pontif. Rom. exaravit, addiditque hoc de argumento Opera alia Venetiis anno 1529 impressa. Idem negotium paulo post in lingua Gallica suscepit *Jacobus du Bois*, Medicinæ Professor, eruditus sub nomine Sylvii notus, edito hac
74. de re libro anno 1531. Majori cum cura idem argumentum tractarunt *Ludovicus Meigretus* & *Jacobus Pelletierius*, eoque scripta nonnulla annis 1545. 48. 50. & 55 publici juris fecere. *Petrus Ramus* inde Lector Regius in Academia Parisiensi orthographiam Gallicam, non minus ac alii, reformare studuit, hinc anno 1582 Grammaticam Gallicam novis characteribus conscriptam luci
80. publicæ exposuit. Enimvero hi omnes caruerunt successu &

approbatione publica; nihilominus tamen de eodem argum-
 to *Rambodus* quoque Massiliæ degens anno 1578 Lugduni librum
 quendam imprimi curavit, in quo docet, omnis obscuritatis p. 81.
 evitandæ gratia 44 consonantes & 8 vocales in linguam Gal-
 licam esse recipiendas. Anno 1668 simile quid conatus est
Ludovicus Leclachius in libello quodam, *Les veritables regles de*
l'Orthographe Françoise inscripto; ast nil novi ille, Autore,
 teste, protulit, sed tantum a Meigreto, Pelletierio & Ra-
 mo dicta repetiit. Ubi Noster porro de terminatione *ot* agit,
 mentionem facit elegantissimæ cujusdam inscriptionis. Cum
 enim Margaretha, Maximiliani Imperatoris Rom. & Mariæ
 Burgundicæ filia, anno 1497 e Flandria in Hispaniam trajiceret,
 nuptias illic cum Johanne, Ferdinandi & Isabellæ, Regum
 Arragoniæ atque Castiliæ filio, celebratura, magna oriebatur
 tempestas, adeo ut naves nonnullæ interirent. Hac in necessi-
 tate constituta Princeps, memor sponsaliorum antea cum Ca-
 rolo VIII Rege Galliæ initorum, nec tamen consummatorum,
 versus componebat sequentes sibi epitaphii loco inservituros,
 quos panno subtiliori involutos e brachio dependebat:

*Je suis Margot la gente Demoiselle,
 A deux maris mariée & pucelle.*

Quod quandoque in omnibus linguis tempus præsens pro fu-
 turo usurpetur, Autor noster clarissimis exemplis probat, e lin-
 guis Latina, Gallica & Italica petitis. Et quidem Italicam
 quod spectat, exemplum aliquod promit ex Historia Florenti-
 na, quippe *Dantem*, cum in congregatione quadam fuisset
 electus, qui ad Bonifacium, Pontificem Maximum, Legatus iret,
 dixisse ait: *S' io vò chi stà? s' io stò chi và?* De verbo *couvrir* agens,
 allegat *Malherbium*, qui Henricum Magnum Galliarum Regem ita
 loquentem introduxit:

*N' ay-je pas le coeur aussi haut;
 Et pour oser tout ce qu' il faut,
 Un aussi grand desir de gloire
 Que j' avois, lorsque je couvri*

M

D'ex-

181.

351.

416.

*D' exploits d'immortelle memoire
Les Plaines d' Arques & d' Yvri.*

p. 450.

Verbum *die* pro *dise* olim quandoque fuisse adhibitum, sequenti confirmatur Epigrammate:

*Colas est mort de maladie,
Tu veux que je plaigne son sort;
Que diable veux tu que j'en die?
Colas vivoit, Colas est mort.*

**Lebens-Geschichte aller Evangelischen Pastorum
Primariorum zu Lauban.**

i. e.

VITÆ ET ACTA OMNIUM ECCLESIAE LAUBANENSIS Evangelicorum Pastorum Primariorum ab anno 1525 ad præsens usque tempus. Autore M. GODOFREDO HOFFMANNO, Lyc.

Laub. Rect.

Laubæ, apud Aug. Vogelium, 1707, 8.

Constat 20 plag.

AUtor hujus libri doctissimus, juventutis studiosæ commoda ore pariter atque calamo hætenus quam felicissime ïvit promotum, & adhuc strenue promovet. Qua de re dubitare neminem sinunt scripta ejus alia, quæ commendatione nostra haud indigent. Præsenti in libro agit de Pastoribus Ecclesiæ Laubanensis in superiori Lusatia Primariis, qui eidem a Reformationis tempore ad præsens usque præfuerunt; qua occasione & alia profert ad Religionem cultumque Dei publicum ejus civitatis facientia. Quam par sit & utile vitas defunctorum, imprimis Ecclesiæ Doctorum, conscribere, docet in Præfatione, provocans ad Ebr. XIII, 7 ubi Apostolus Doctorum meminisse jubet; & in ipso Dei verbo utriusque fœderis fidelium vitas deprehendi consignatas, aque viris doctis, ut *Adami, Spizelio, Wittenio, Colbio, Frebero, Prætorio, Blumio & Schwertnero* Theologorum Vitas fuisse editas, ostendit. De cultu Dei Laubanensium ubi in ipso libro agit, tres ejus constituit Pe-
rio-

riodos, in quarum prima ipsi sermo est de Laubanorum gentili-
simo, quippe cum Lusatis reliquis Deos venerati sunt Martem at-
que Flin. Hac occasione & inquiritur in urbis Laubanae ortum,
& quamvis offendantur versiculi sequentes:

Nach Christ' Geburth neunhundert Jahr,
Die Stadt Lauban erbauet war.

attamen Nolter dictae urbis natales ad Seculum a N. C. deci-
mum refert. Altera Periodus agit de Laubanensium religione
ante Reformationem, ubi Henricus I Auceps anno 919 Veno-
dos, & sic quoque Laubanos ad Christianam fidem convertisse
dicitur, quo tamen tempore omnia tenebris Pontificiis involu-
ta fuere. Tertia denique Periodus sistit Laubanensium religionem,
qualis post Reformationem fuit, anno quippe 1525 repurgatam.
Recensitis inde quatuor urbis templis, ordine justo Pastores Pri-
marii Ecclesiae S. S. Trinitatis a B. Lutheri Reformatione ad no-
strum usque tempus enumerantur, nimirum *Georgius Hew,*
M. Ambrosius N, *Nicol. Greinewitzius,* *Joh. Frobenius,* *Valentinus*
Pauscopius, *M. Sam. Jauchius,* *M. Mich. Neander,* *M. Jac. Cole-*
rus, *Sigism. Svevus,* (*Schwabe,*) *M. Vitus Nuberus,* *M. Joh. Piti-*
scus, *Sigism. Svevus,* *Mart. Bohemus,* *Dav. Wisenerus,* *Joh. Hee-*
rius, *M. Sal. Hausdorffius,* *Joh. Muscovius,* & *M. Ant. Gottlieb*
Sanus. Ex his imprimis notari merentur Svevus atque Bohe-
mus, quippe qui varia edidere scripta ab Autore nostro distin-
cte consignata. Pastores Primarios excipiunt Diaconi Ecclesiae
Laubanensis, nec non Pastores, qui in pago *Geibsdorff,* ad juris-
dictionem Laubanensis Magistratus spectante, vixerunt, ut &
Cantores, qui a Reformatione ad hunc usque diem in illa urbe
ac pago officiis suis functi sunt, quibus sub finem hodierni Ec-
clesiae Laubanensis Doctores chorique Musici Directores acce-
dunt, quorum nomina referre supervacaneum ducimus.

JACOBI BURCKHARDI EPISTOLA AD JUSTUM
CHRISTOPH. BOEHMERUM, Polit. & Eloq. in Acad.

Jul. Prof. de JOANNIS CASELII erga Litteras me-
ritis, ejusque Lucubrationum
editione.

Wolfenbütteli, apud Gothofr. Freytag, 1707, in 4.

Plag. 10 $\frac{1}{2}$.

DOctissimus hujus epistolæ Autor de præclaris litterarum promotoribus bene mereri studet, quippe non tantum breviorē de Celeberrimi Christoph. Cellarii obitu epistolam, superiori anno mense Augusto p. 382 memoratam, verum & prolixiorē de celebratissimi Jo. Caselii erga litteras meritis conscripsit, cujus summam hic breviter exhibebimus. Natus est Caselius Goettingæ anno 1533, patre Matthia Caselio, primum in hac urbe Præceptore scholastico, post Sacerdote, qui Melanchthonem, Camerarium atque Sturmium quotidie in ore habebat, ut filium suum tantorum virorum fama ad paria studia incitaret. Prima litterarum monimenta commode satis in Gandersheimensi ludo, moderatore illius dexterrimo Christophero Norico, didicisse, semper posthac lætatus est ipse Caselius. Missus deinde est a patre Northusam, ut ibi Basilii Fabri & Michaelis Neandri institutione uteretur, quibus viris multum se debere professus est. Cumque etiam in patrio gymnasio, tum institui cœpto, aliquandiu fuisset versatus, Vitebergam abiit, Melanchthonis imprimis fama excitatus, præter quem præcipue ibidem admiratus est Vitum Vinsæmium atque Georgium Cracovium. Viteberga commigravit Lipsiam, ut Camerarium quoque audire posset, hinc Francofurtum ad Oderam & Rostochium, demumque Musas ultra Alpes habitantes invisere constituit, jussu imprimis Jo. Alberti, Ducis Megapol. cui Caselius ob moderationem, humanitatem atque eruditionem a Camerario fuerat apprimè commendatus. Prius vero quam iter hoc ingrederetur Caselius, ad Academiam Vitebergensem, in qua Philosophiæ Magister renunciatus fuerat, elegiam quandam edidit, amicosque suos valere jussit. Cum in Italiam venisset, legum quidem studium minime neglexit, præsertim Bononiæ degens, illos tamen præ ceteris ibi adivit, quos doctrina dicendique facultate præstare audiverat, & Sigonio fuit familiaris. Bononia discessit Florentiam, Victorii potissimum fama permotus, qui & ipsum ob insignes animi dotes, imprimis

mis vero Græcæ linguæ peritiam, valde dilexit. In Germaniam post peragratam Italiam reversus, Camerarium iterum salutavit, & a Jo. Alberto eruditionis specimen edere jussus, Rostochii Aristotelis de vita ac moribus Libros fideliter est interpretatus. Cum biennium fere in Academia hac docuisset, urbs per seditionem turbata est, & morbus exortus epidemicus. Civibus academicis hinc dissipatis, Caselius Principis sui indultu Alpes denuo transiit, Bononiæ vero in magnum vitæ discrimen subito incidit, sævo periculosoque morbo ita correptus, ut Medici aliquando de ejus salute desperarent. Quamprimum morbi vis aliquantum remiserat, Florentiam adulta hieme deportandum se curavit, atque inde valetudinis facturum periculum in amplissimas Italiæ urbes excurrit, Paulumque Manutium, Marcum Antonium Muretum, Vincentium Pinellum, Onuphrium Panvinium, Franciscum Robortellum, Petrum Angelum Bargæum, Melchiorem Guilandinum, Antonium Riccobonum, & multos alios sibi reddidit amicissimos. Pisas venientem Jureconsulti in ordinem suum summa voluptate retulerunt, cum intellexissent, legum civilium disciplinæ Bononiæ ipsum studuisse. Sed noster aperte est fassus, se ab eo tempore legum studium remissius tractasse, quod ad quietiorem & vitam & doctrinam natus maxime aptusque sibi visus fuisset. Italia post triennium relicta, per Comitatum Tirolensem, Austriam atque Saxoniam Rostochium petiit; quo in itinere multos iterum, novos amicos sibi paravit, quos inter primi fuere Joannes Crato, Augerius Gislenius Busbequius & Hugo Blotius. Rostochii vix iterum de studiosa juventute mereri inceperat, cum in aulam Megapolitanam vocaretur, ut Jo. Alberti filiorum educationi præesset. Officio hoc quadriennio diligentissime perfunctus, in Academiam se recepit, aulæ pertæsus. Hic erudiendæ juventuti tam sedulo operam dedit, ut ipse, quanquam modestissimus, affirmaverit, vix quenquam ex veteribus Græcis optimæ notæ scriptoribus extare, cujus non aliquam saltem partem, in Academia Rostochiensi pertractaverit. Rostochio Caselius in Academiam Juliam ad munus publicum subeundum est vocatus, ibique summa cum laude & diligentia docuit. Galli,

Belgæ, Angli, Dani, Poloni ejus eruditionem summam admirati, diligentissime eum observabant, amicitiamque ipsius per literas expetebant, non paucis etiam cognoscendi ejus gratia advenientibus. Ex his multi lucubrationes suas ad ipsum mittebant, ut eas corrigeret, suamque de illis perscriberet sententiam. Quam pura enim, casta atque Romana Caselianæ orationis fuerit indoles, Scaliger imprimis edisserit. Quin & ut Græcæ literæ in Germania florent, magis Caselii laboribus effectum esse, summus Casaubonus fatetur, testatus insuper, puriorem ac veram philosophiam per eundem illic conservatam esse. Conringio vero iudice, civilis prudentia a Romani juris peritis Caselii maxime studio est vindicata. Optimus tandem senex Anno 1613 prope octogenarius decessit. De ejus lucubrationibus non ex mole, sed ex præstantia, ut Noster loquitur, est judicandum. Nam & ipse eos ætatis suæ scriptores risit, qui male prodigi verborum volumina obrudere maluissent, quam sapientiæ impertire paginam; quasi plaustrum fœni in altum, exstructum pusilla arcula gemmis referta plaris esset æstimanda. Græcorum monumenta ipsius studio atque cura edita sunt sequentia: *Gregorii Nazianzeni Poematum quedam selectiora*. Ejusdem orationes duæ, prima ad Eunomianos. altera, cur in Pontum fugerit, nec non, *Epistola Græca de conscribendis Epistolis*: *Gregorii Nysseni epistola ad Eustathiam, Ambrosiam & Basilissam*: *Homeri Ἰλιάς sive nonus Iliados liber*: *Æschyli septem ad Thebas duces, Tragœdia*: *Dionis Chrysostomi de exercitatione oratoria Oratio*, ut & *de Regno Libri IV*: *Aristotelis de arte dicendi Libri tres*: *Demetrius Phalereus de elocutione Sopatri in Aristidis pro Rhetorica orationes, Prolegomenis Latinum Scholion adnexum*: *Æschinis Epistola*: *Chionis Heracleotæ Epistola*: *Phalaridis Epistola*: *Themystii Oratio, Basanista & Philosophus inscripta*, nec non *de Amicitia Oratio*: *Vituperatio philosophiæ ex Gorgia Platonis*: *Maximi Tyrii commentatio, quemadmodum discernendus sit adulator ab amico*: *Plutarchi libri de Curiositate & Loquacitate*: *Luciani Calumnia*: *Cebetis Tabula*: *Galenus libellus Quomodo quis & dignoscat & sanet animi sui affectus*: *Xenophontis Cyropædia, Agesilaus & libri de dictis & factis memorabilibus Socratis*:

tis:

tis: *Alexandri Aphrodisiensis de Fato liber: Platonis legum pro-
æmium, & alia.* Romanorum pauciora edidit monumenta; mul-
tis vero libris Præfationes præmisit, quas Autor noster p. 36 &
seqq. adducit. Quas vero lucubrationes ipse Caselius elabo-
raverit, quæ ad Poesin, Eloquentiam, Historiam & Scientiam
Civilem spectant, p. 36 sq. ordine enarrantur. De Epistolis quo-
que ejus varia leguntur p. 55 & seqq. deque convitiis, quibus
ipsum quidam affecere, p. 59 & seqq. Denique quantopere
hactenus eruditi optarint, ut cuncta Caselii scripta, maximam
partem nunc rariora, in unum volumen redigerentur, indicat,
doletque, nec ipsum Cl. Bœhmerum, ad quem Epistola hæc diri-
gitur, dignum Caselianorum operum æstimatorem, hactenus ty-
pographum, qui sumtus ferret, nancisci potuisse.

*THOMÆ RAVASINI, PARMENSIS, OPERUM POETICO-
rum Pars prior & posterior.*

Mutinæ, typis Antonii Capponi, 1706, 4.

Const. Alph. 1 pl. 2.

PArs prior Operum Poeticorum Cl. *Ravasini* sacra complecti-
tur, atque dicata est Serenissimo Principi Francisco I, Farnesio
Parmæ & Placentiæ Duci VII. Sicuti vero Salvatoris nostri
beatissimæ Matris cultui se totum devovisse passim Auctor de-
monstrat, ita in ejus laudem tres Libros heroico carmine ex-
ravavit, quos *Mariam viatricem sive Elisabetham a B. M. V. visi-
tatam* inscripsit; his subjunxit XIII Eclogas ad eandem præci-
pue directas, tum totidem Elegias, quibus unam pene Ma-
trem Virginem prædicat, cujus amore totum se teneri, in primis ex
Elegia IX patet, quam ita orditur:

Credideram, me posse aliquid committere cartis,

Quod non Parthenia de Genitrice foret, &c.

Sic lyrica quoque in ejus potissimum laudem conscripsit, qui-
bus prior Pars Operum Poeticorum absolvitur. Altera Pars
Georgica & Miscellanea continet, hinc primum duobus Libris,
quo prata velint studio cultuque parari, docet, totidemque
aliis de ficulnearum cultura agit. Inter Miscellanea carmen
in legulejum carpentem amores Parthenios eminet, quod Eclo-
gæ tres eodem fere spectantes excipiunt; cum vero in his in
cau-

causarum patronos justo acerbius invecus videri possit, monet, animum sibi esse, ut jurisprudentum & judicum æquitas & sapientia, scribarum fraudibus & commentis e regione positis, clarius elucesceret. Vineta postremo loco veniunt, quatuor Libris descripta, quorum primo vineæ sessilis requisita, secundo vitis arbustivæ culturam, tertio vindemiæ operam, & postremo vini ingenium doctissimus Poeta explicat, finitque tristi demortui nuper filii mentione, & totum opus his versibus claudit:

*Mærorem patris, nati testantia casum,
Transmittam seclis feralia scripta futuris,
Æternum monumentum, & nostri pignus amoris.*

L'IMMAGINE DEL VESCOVO &c.

id est,

IMAGO EPISCOPI REPRÆSENTATA VIRTUTIBUS Illustrissimi JACOBI BENIGNI BOSSUETI, Episcopi Meldensis. Sermo, in Academia Ecclesiastica Collegii de propaganda fide dictus, & auspiciis Serenissimi Delphini Gallia editus a PAULO ALEXANDRO MAFFÆO, Equite.

Romæ, apud Antonium Rossium, 1705, fol. plag. 7.

OBierat fama & doctrina illustrissimus Bossuetus, XII die Aprilis anni M DCC IV. Huic ut parentaret Romæ illustris Maffæus, sermonem coram membris Academiae Ecclesiasticæ, in atrio Collegii de propaganda fide, ut assollet, congregatæ, habuit, & Dedicatione ad Serenissimum Gallia Delphinum, Præfamine item ad Lectorem auctum deinde in lucem edidit. In eo postquam fundamenti loco posuit verba Apostoli ad Timotheum: *Oportet Episcopum irreprehensibilem esse, &c.* incredibiles defuncti Antistitis virtutes animi, corporis, ingenii, vocis deprædicat, diserteque narrat, quemadmodum ex Canonico, Archidiacono, Decano Metensis Ecclesiæ, cum concionem in Aula magno plausu habuisset, a Rege Christianis, primum Episcopus Condomensis factus, deinde educationi ipsius Delphini præfectus, eaque peracta, Meldensis Episcopus demum constitutus sit, atque isthæc duo munera per viginti tres annos vitæ suæ reliquos accurate obierit. Laudat & imprimis Christianis.

Regem, quod hujus virtutes æstimaverit, & in elogio Clementis XI P. M. Episcoporum Episcopi desinit.

* * *

ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Martii, Anno M DCC VIII.

JACOBI GUILIELMI IMHOFII STEMMA
Regium Lusitanicum, sive Historia Genealogica Familie
Regiæ Portugallicæ a prima origine usque ad præ-
sens ævum deductæ, cum Insignium
iconibus.

Amstelodami, apud Zachariam Chatelain, 1708, fol.

Constat 19 plag.

Non satis fuit Celeberrimo Imhofio, edidisse *Notitiam*
S. Rom. Germanici Imperii Procerum, Historiam Genea-
logicam Regum Pariumque Magnæ Britannia, Excellen-
tium Familiarum in Gallia, Italia & Hispania, atque auxisse Ta-
bulas Lohmeieri Genealogicas, verum & necessarium duxit luci
publicæ exponere Stemma Regium Lusitanicum, idque historicis
annotationibus gratius reddere & illustrius. Ita autem argu-
mentum hoc elegantissimum pertractavit, ut exhibeat impri-
mis Stemmatis Lusitanici conditorem Henricum Burgundum & ab
eo ortas Stirpes, & quidem tum Rectam, sed emortuam, XVII
Reges Portugalliæ Tab. I & II enumeratos, complectentem,
tum Collaterales, quas inter apparet, i Bragantina Tab. III, e qua
provenere Reges Portugalliæ novissimi, enatique sunt rami Mar-
chionum de Flechilla & Comitum de Oropesa Tab. III, Comi-
tum de Lemos, Marchionum de Sarria, Ducum de Taurisano
Tab. IV, Marchionum de Ferreira & de Villefcas, Ducum de
Cadaval (cujus familiæ pleniorẽ notitiam opera Cl. Pe-
tri Ambrosii Lehmanni ad se pervenisse Autor noster Nobilissi-
mus lubens fatetur) Tab. V, Comitum de Gelves, Ducum de

N

Veragua

Veragua Tab. VI, Comitum de *Faro* & de *Odemira* Tab. VII, nec non Comitum de *Vimioso* Tab. VIII: 2 *Alencastrensis*, seu *Lancastrica*, cujus rami Ducum de *Aveiro* & *Abrantes* Tab. IX, & Commendatorum Ordinum Avisiani & de *Coruche* Tab. X: 3 *Varia*, unde variae diversorum nominum familiae enatae, quarum tantum origines indicantur Tab. XI: 4 *De Turribus* cognominata, unde Comites de *Villardompardo* Tab. XII: 5 *Sosana*, cujus rami Dominorum de *Martagoa* & *Beringel*, Comitum de *Prado*, Marchionum de *las Minas*, Dominorum item & Comitum de *Miranda* ac Marchionum de *Aronches*, Tab. XIII & sqq. In Exegesi Historica deprehenduntur varia notatu dignissima, e quibus nonnulla speciminis loco sumus adducturi. De *Henrici*, stirpis Regiae Lusitanicae satoris, origine tam omnia ad liquidum esse perducta dicit Autor noster, ut nemo hodie inter Hispanos Gallosve sit, qui dubitet, quin a primis Burgundiae Ducibus, atque adeo ab ipso regio in Gallia stemmate, quod ab autore *Cape-tingicum* vocatur, genus duxerit. Qua vero tempestate, & qua ratione in Hispaniam profectus sit Henricus, diffidere adhuc auctores. Plerosque anno 1089 id factum esse affirmare, quo tempore Alphonfus VI Castellae Rex auxilia adversus Mauros, Hispaniam populantes, exciverit; at *Emanuelem de Faria & Sosa*, elegantem Epitomes Historiarum Portugalliae autorem, testari, exstare veteres chartas, e quibus pateat, jam anno 1073 Henricum Teresiae, Alphonfi Regis filiae, sponsum Comitemque in Portugallia fuisse, imo jam tum in Hispania illum egisse, cum Ferdinandus Rex, Alphonfi pater, mortem obiisset, (eam autem incidere in exitum anni 1067) cumque Roderici Cidi summa fortitudo inclaruisset, & viris generosae mentis, undique ad ipsum advolantibus, atque adeo etiam Henrico nostro exemplo fuisset. *Berengariam*, Sanctii I R. filiam, innuptam in Lorvanensi monasterio decessisse, *Eman. de Faria & Vasconcellium* tradere dicit Noster, at *Jo. Isaac. Pontanum*, Danicae historiae scriptorem, perhibere, illam fuisse uxorem Regis Waldemari II tertiam, & matrem Erici, Abelis & Christopheri Regum Daniae. De *Petro* Rege Lusitaniae octavo, ob ingenium immite *Rigoroso* dicto, refert, quod sinistram severitatis opinionem liberalitate

emendaverit, arbitratus, eo die se minime fuisse Regem, qui nullo in alios a se collato beneficio abiisset. Postquam idem spiritum efflasset, & jam gelidum corpus aromatis farciendum esset, revixisse eum magna adstantium trepidatione, advocatoque mox sacerdote, qui ipsi a confessionibus fuerat, ubi crimen, quod per oblivionem vivo exciderat, ei confessus esset, absolutionemque, ut loqui amant, accepisset, compositis iterum membris placide obdormivisse, vetustam in Alcobaciensi cœnobio famam esse, auctore *Vasconcellio*, tradit. De *Ferdinando* postremo Joannis R. filio narrat, quod cum frater Eduardus R. cum in Africana expeditione a Mauris ad Tingim circumventus & in extremum adductus fuisset discrimen, obsidem hostibus tradiderit, mansurum in eorum potestate, dum Septam non dederet; at illum pro infracto, quo præditus fuerit, animo, feruitate & captivitate perpetua premi, quam Septam cum rei Christianæ detrimento hostibus reddi maluisse, & sexto a captivitate anno post multas ærumnas decessisse. *Alphonsum V* dicit pacem cum Ferdinando & Isabella Castellæ Regibus Alcantaræ anno 1479 iniisse, visamque esse Autori *Historiæ de conjunctione Portugalliæ cum regno Castellæ* rem notatu dignam, quod in capitibus pacificationis istius discrete expressum fuerit, pacem fieri *in centum & unum annos*, posito, ut soleret, tempore finito pro infinito: quod tamen & vaticinii loco fuit, cum illa pax totidem plane annos duraverit. Sub *Joannis II* Regis Lusitaniæ XIII regimine conjurationem quandam ait fuisse coortam, cujus capita *Ferdinandus* Dux Bragantinus & *Jacobus* Dux Visei, ambo regia stirpe orti & uterque Regis affinis; Regem cognita conspiratione singulis ad se vocatis & officii sui commonefactis veniam dedisse; verum ad ingenium reversis & rebus novis denuo studentibus non amplius parcendum ratum, priorem capitis supplicio affici jussisse, alterum aliquanto post in cœnaculo paucis præsentibus pugione confodisse, additis verbis: *ito, Bragantino renunciato conjurationis exitum ab ipso inchoate.* *Sebastiani* Regis Portugalliæ expeditionem in Africam susceptam ubi recenset, cum inita apud Alcazaram d. 4 Aug. anno 1578 pugna decretoria victum, cum flore nobilitatis

p. 13.

14.

17.

tis Lusitanicæ desideratum, captum, & exorta de tanto captivo
 inter Mauros rixa, a centurione Mauro superveniente occisum
 fuisse, unius viri *Nonii Mascaregnæ*, qui oculatum se professus
 fuisset testem, fide constituisse dicit. Tantæ cladis nuntio ad
 Regni gubernatores, quos quatuor Sebastianus constituerat,
 Ulissiponem perveniente, studiose omnia ab iis celata fuisse,
 dum ea de re Henricus Cardinalis, Regis propatruus, ad quem
 Regni successio devoluta, certior factus esset. Postquam ve-
 ro fama de Sebastiani morte undique percrebruiisset, ritus
 (quos ex *Hieronymo Conestaggio* ut singulares refert) Lusitanis
 in Rege lugendo solennes institutos esse, & viginti post an-
 nos visum esse Venetiis, qui Sebastianum Regem se esse affir-
 maret, cujus historiam Noster prolixè satis refert. De *Hen-
 rico* Cardinale, post Rege Lusitaniæ, dum agit, a curiosis ob-
 servatum fuisse dicit, eodem temporis puncto lunam deli-
 quium pati cœpisse, quo ipse in deliquium animi incidere,
 illoque desinente & ipsum in vivis esse desiisse, cum eadem ho-
 ra ante 68 annos in lucem editus fuisset. De *Theodosio II*, Jo-
 annis Ducis Bragantiæ VI filio, refert, eum infaustæ Sebastiani
 Regis in Africam expeditioni interfuisse, atque in prælio Alca-
 zariensi captum, sed sine lytro in gratiam Philippi Hisp. R.
 a Molejo Hameto dimissum esse. Trajecto freto cum Gibel-
 terram appulisset, & nuntius de morte Regis Henrici allatus
 esset, a Duce Medinæ Sidoniæ, qui interesse Régis Philippi cen-
 suerit, habere illum in potestate, tanquam primogenitum Ducis
 Bragantiæ & Cathariæ, ad regni successionem adspirantis, ludis
 & spectaculis detentum eum fuisse, ita ut aliquandiu non ani-
 madverterit, in custodia se esse; doli tandem prudentem ad
 patrem in Lusitaniam scripsisse, non esse, quod se brevi expe-
 ctaret; nolle autem se detentionem suam vel tantillum præ-
 judicare juribus regni, & se justitiam longè vitæ suæ antepo-
 nere. Has literas patrem Almerinum ad Consilium Procura-
 torum regni misisse, & dolorem quidem magnum se ex filii ca-
 ptivitate percipere significasse, veruntamen non minori volu-
 ptati sibi esse, quod ille in ætate adeo tenera patriæ tam amans
 esset, seque, si opus sit, paratum esse, illum pro salute regni, tan-
 quam

quam victimam quandam sacrificare. Verum intra paucos dies Ducem illum filii dimissione, Regis Philippi jussu facta, metu illo liberatum esse. *Rodericum de Castro*, quem Petrus quintus, Comes de Lemos, e secundo matrimonio suscepisset, Archiepiscopum Hispalensem & Rom. Eccles. Cardinalem dixisse fratres *Sammartanos*, & Patrem *Anselmum* in Historia Geneal. familiæ Regiæ Gall. nec non *Rittersbusium* in Tabula Geneal. Comitum de Lemos; sed hallucinatos eos esse per errorem ex homonymia ortum: nimirum *Rodericum de Castro*, qui Hispalensem Ecclesiam rexerit, atque anno 1583 a Papa Gregorio XIII Cardinalis creatus, anno seculari mortuus sit octogenarius, non fuisse, nec esse potuisse per ætatem filium dicti Comitis de Lemos quinti, fuisse autem patris ejus *Ferdinandi Roderici*, quarti Comitis de Lemos, fratrem uterinum, ex Alvaro Osorio, cui Beatrix de Castro post Dionysii Portugalli obitum secundis nuptiis uxor obtigerit. Dictum vero Rodericum fuisse Archidiaconum Alcarazensem, Canonicum Toletanum, Inquisitorem & Assessorem Consilii generalis & supremi S. Inquisitionis. Christopherum *Colon*, vulgo *Columbum* dictum, nautam illum famosissimum, cum primum ex Americana navigatione, auspiciis Ferdinandi & Isabellæ Regum Hispaniæ suscepta, reversus esset, *Admirantis* titulum ab illis nactum esse, ob *admirandum* scilicet facinus detecti Novi Orbis, sicut nonnullis visum, originem vocis, qua deinde Præfecti marium insigniri consueverint, inde derivantibus. In numero liberorum, quos Petrus Rex Portugalliæ, antequam ad Regnum pervenerit, ex *Agnete de Castro* foemina formosissima, uxoris loco sibi habita, suitulerit, deprehendi etiam *Joannem*, qui a regno Lusitanico prope abfuerit, corpore quippe excellentem, plurimorumque studio munitum. Hunc, cum Ferdinandus Rex, ipsius frater, mascula prole destitueretur, facile successurum, nisi id ægre tulisset Regina, invidia erga sororem, quam ille in matrimonio habuerat, flagrantem, quippe vultu ac sermone ad fallendum instructo, sororium monuisse, *auræ populari & colori nimium ne crederet, esse sibi gnatam, virilis vicem sobolis fortassis expleturam, regni saltem hanc incapacem, eam qui ducturus sit, hunc æmulum ipsi fore*

p. 39.

41.

56.

aterrimum, vix superandum; quare haut optimo res ejus esse loco, quod matrimonii vinculo jam irretito integrum non sit illam ducere uxorem, quæ sola spem successionis in Regnum certam ei reddere queat; audendum igitur ipsi aliquid esse, aut spem Regni abjiciendam; enimvero pietatem & fidem privatas virtutes esse, quæ juvat, via generoso cretos sanguine ad potentiam imperiaque niti; sibi si relicta sit optio, malle se utique genero eo, quam sororio uti. Dulci hac Reginae persuasione deceptum Joannem conjugem Mariam adulterii falso insimulatam interfecisse. Hoc modo cum animo consilioque Reginae morem gessisse, & novis cum filia regia nuptiis viam fecisse sibi visus fuisset, illico a Regina de parricidio postulatum capitisque accusatum esse, adeo ut fuga discrimini se subducendi & in Castellam discedendi consilium ceperit. Ibi benigne quamvis exceptus & regia affinitate nec non Ducis Valentiaë Campestris titulo auctus fuerit, pœnam tamen non effugisse: a fratre enim novæ conjugis, Joanne I Rege Castellæ, Lusitaniæ regnum appetente, & jura sororii metuente, custodiæ in arce Toletana anno 1383 traditum esse, inque ea vitam finivisse.

NAAUKEURIGE VERSAMELING DER
gedenkvwaardigste Reyfen na Oost-en
VWest-Indien.

i. e.

COLLECTIO CURIOSA ITINERUM MEMORATU
*dignissimorum, ab A. 1246 usque ad hæc nostra tempora
in utramque Indiam, tum Orientalem, tum Occi-
dentalem, susceptorum.*

Tomi I, II, III, IV & V.

Lugduni Batavorum, apud Petrum van der Aa,
1706 & 1707, in 8.

Constat Alph. 6 & Figg. æn. plurimis.

QUam voluptatem Portugalliæ & Hispaniæ, nec non Ita-
liæ ac Magnæ Britanniæ Deliciæ, haud ita pridem & æ-
mulatim.

mulatim veluti typis exscriptæ apud multos excitarunt, eam itinerum maritimorum memoratu dignissimorum, quæ ab A. 1246 primum a Lusitanis vel Hispanis, & dein quoque a Belgis, Anglis, Gallisve usque ad hæc nostra tempora inita, in tomos, complures licet, collectionem vel renovaturam vel etiam aucturam non dubitavit Petrus van der Aa, Bibliopola Batavorum solertissimus & rei literariæ promovendæ avidissimus. Ac uti novo hoc instituto Rempublicam literariam, maxime vero Belgas suos sibi devinxit, utpote in quorum gratiam omnes itinerum Indicorum descriptiones Belgice prodeunt, ita vel ipsa deliciarum harum Indicarum copia, in frontispicio Tomi primi aliquot pagellis indicata, nos monuit, ut quorum itinerum vel navigationum descriptiones in hoc apparatu contineantur, & a quibus illæ conscriptæ, quave lingua primum editæ fuerint, rerum harum cupidis uno velut obtutu significemus, ubi modo id adhuc prius ex ipsius collectoris monito addiderimus, quod quædam harum descriptionum hodiernarum plane nondum hucusque juris publici factæ fuerint, aliæ vero nunc primum vel ex Lusitanica aut Hispanica, vel etiam Gallica aut Britannica lingua in Belgicam translatae prodeant, quodque priores saltem Collectionis hujus curiosæ tomis XVII hætenus prostent.

Ult vero hac vice de V prioribus (nam de reliquis alias dicemus) agamus, Tomo primo collectionis hujus primum exhibetur Descriptio itineris, quod A. 1246 & sequenti Joannes du Plan Carpin & Ascelinus Pontificis Innocentii IV auctoritate in Tartariam & adjacentes quasdam regiones susceperunt. Sequuntur, quæ Guilielmus de Rubruquis, Ludovici IX R. G. Legatus, cum A. 1253 per Tartariam aliasque regiones Orientales in Chinam primus ex Occidente iter faceret, observavit; quibus annexa est appendix ex Vincentii Bellovacensis Speculo Historico & Guilielmi de Nangis Vita S. Ludovici, ad legationem Guil. de Rubruquis eo magis illustrandam excerpta. Hæc excipiunt Navigationes omnium primæ a Lusitanis & Hispanis ab Anno 1419 usque ad A. 1490 ad explorationem terrarum ipsis incognitarum adornata. Ubi itinera post promontorium Non
& Bo-

& Bojador ad Africæ oras maritimas detectionem a Joanne, Alfonso, & Antonio Gonsalvez, Nuno Tristano, Ferdinando de Castro, Gomezio Pirezio, Lanzaroto, Diego d' Arambuja, Bartholomeo Diaz, Gonsala Sofano aliisque Lusitanis, ut & a Christophero Columbo, Genuensi, nec non Nicolao de Conti, Veneto, versus Indiam Orientalem mari instituta, numero XXVI, quæque terræ & insulæ orientales per itinera ista usque ad promontorium Capitis Bonæ Spei detectæ fuerint, ex *Joannis de Barros*, Regis Lusitaniæ Historiographi, Collectione Lusitanica & detectorum autographis enarrantur.

Tomo secundo continentur illorum itinerum maritimarum descriptiones, quibus ab altera parte Christopherus Columbus & Americus Vesputius Indiam Occidentalem gentibus Europæis cognitam maxime reddere cœperunt. Principem inter hæc locum occupat navigatio curiosa admodum & famigeratissima, quam Christopherum Columbum, Oceani tum Architalassum ab Hispanis constitutum, A. 1492 ad Indiæ Occidentalis oras, antea incognitas, omnium primum cum tribus navibus instituisse constat. Dein altera Columbi navigatio, A. 1493, nec non tertia ejusdem, A. 1498 instituta, ex ipsius Columbi codicillis commemoratur, inter quas tamen navigationes Historia itineris maritimi, a Vasco da Gamma in Indiam Orientalem A. 1497 facti, ob temporis rationem est interserta. Postmodum Alonsi d' Ojeda & Americi Vesputii navigatio in Indiam Occidentalem prima A. 1499 ac demum alia quædam Christ. Guerre & Perictonsi Nini navigatio in eandem Indiam eodem anno facta ex *Antonii de Herrera*, Regis Catholici Historiographi, Collectione itinerariorum Indicorum Hispanica, perinde ut ceteræ omnes (præter illam Vasci da Gamma) hoc tomo complexæ, recensentur.

Tomo tertio ea Lusitanorum itinera maritima exhibentur, quibus hi ab A. 1500 usque ad A. 1504 Indiam tam Orientalem quam Occidentalem petierunt. Ac primo quidem loco Historia duarum illarum navigationum ex *Jo. de Barros* recensione Lusitanica occurrit, quarum unam Pedralvarez A. 1500, alteram vero Joannes da Nova A. 1501 in Indiam Orientalem suscepit.

Et.

Et cum eodem tempore quinque Castellanorum & Lusitanorum itinera maritima in Indiam Occidentalem fuerint instituta, unum per Vincentium Yanes Pinzon, alterum per Diegum de Lepe, tertium per Peralvarez de Kabral, quartum per Rodericum de Bastidas & quintum per Alonsum d'Ojeda & Americum Vesputium, quod idem alterum hujus fuit iter in Americam; idcirco quinque horum itinerum Historia, ab Antonio de Herrera Hispanice primum scripta, alterum statim in hoc fasciculo locum obtinet. Huic tertio Historia regnorum & urbium Caranganor, Calicuth & Cambajæ in India Orientali, ut & incolarum earundem subjungitur, hausta ex ore Josephi, nativitate Indi, quem Petrus Aliares, Lusitanus, A. 1501 secum ex India in Lusitaniam adduxerat. Sequitur Historia duarum navigationum per celeberrimum, A. 1502 susceptarum, quarum una Antonius de Torres Nicolaum d'Obando, Hispaniolæ tum Governatorem constitutum, in Indiam Occidentalem transvexit, altera vero Christophorus Columbus quartam suam excursionem ad novas ejusdem Indiæ partes detegendas, est ingressus. Atque huic posteriori etiam navigationis per ancipitis Diegi Mendez de Zigura & Bartolomei de Fiesco A. 1503 ex Jamaica in Hispaniolam factæ Historia adnectitur. Tandem hoc tomo Narrationes duarum navigationum, quarum una Franciscus Albuquerque A. 1503 cum classe novem navium, altera vero Lopo Soares A. 1504 cum classe tredecim navium ad Indiæ Occid. oras appulit, ex Jo. de Barros Collectione Lusitanica sistuntur.

Tomus quartus itinera maritima ab A. 1504 ad A. 1506 in Indiam utramque facta enumerat. Ubi primum navigatio funesta per Franciscum de Porras, fugitivum, cum cohorte quadam perfida A. 1504 ex Jamaica in Hispaniolam instituta memoratur, qua occasione quomodo Porras per Columbi arma victorica devictus, tum quoque Columbi in Castellam ex India reditus, nec non dies ejus emortualis, quem in vicesimum Maji A. 1506 incidisse Historia Antonii de Herrera testis est, indicantur; una cum historia navigationis a Ferdinando Cortesio eodem tempore ex Castella in Hispaniolam Regis auctoritate susceptæ. Altero loco duæ navigationes, una admodum

celebris, a Francisco d'Almeida A. 1505 cum viginti & duabus navibus, & altera a Pero da Nhaya circa eundem & subsequen-tem annum cum octo navibus in Indiam Orientalem factæ, ex *Jo. de Barros* Collectione Lusitanica recensentur. Tertio navigatio Jo. Diaz de Solis & Vincentii Jacobi Pinzon in Indiam Occid. prima A. 1506, qua Jukatania detecta, ex *Antonii de Herrera* relatione Hispanica exhibetur. Cui quarto navigatio Tristani d'Acunha, anno eodem in Indiam Orient. cum classe quatuordecim navium instituta, ex narratione *Jo. de Barros* Lusitanica subjicitur.

Tomus quintus trium navigationum in Indiam Orient. & ad loca quædam ejus finitima ab A. 1506 usque ad A. 1508 Historias complectitur. Prima harum est navigatio & excursio prorsus heroica Alfonsi Albuquerquei, primum versus mare rubrum & dein in ipsam Indiam A. 1506 inita, ubi maxime Regnorum Ormuz, Goæ, Malaccæ, & quonam pacto illa per Albuquerqueum tum sub Lusitanorum potestatem redacta fuerint, Historia sat proluxa ex *Jo. de Barros* Collectione itinerariorum Lusitanica pertexitur. Tum navigationis Georgii de Mello A. 1507 in Indiam Orientalem factæ Historia legitur. Et demum navigationis a Georgio d'Aguiar A. 1508 in eandem Indiam factæ Descriptio additur.

Quæ in Tomo sexto & reliquis, quos modo Jacobi Jansz de Roy Iter inauspicatum A. 1691 in Insulam Borneo & Regnum Atchin e Belgio factum peculiari volumine anticipavit, navigationes vel itinera maritima continentur, eo ex tanto Itinerariorum Indicorum, lectu jucundissimorum & indicibus ubique necessariis instructorum, apparatu in proxime subsequentibus mensibus indicare non gravabimur.

VOYAGE DE GAUTIER SCHOUTEN
aux Indes Orientales.

i. e.

GUALTERI SCHULTZII ITER AD INDOS
Orientales.

Orientalis, cœptum anno 1658 & finitum 1665, ex lingua Belgica in Gallicam translatum.

¶ Tomi II.

Amstelodami, apud Steph. Rogerium, 1707, 8.

Alph. 2.

Syllogen itinerum, quæ Societatis mercatorum Belgicæ auspiciis in Indiam Orientalem suscepta sunt, quibusque fundamenta ad uberrimos proventus ex mercatura navali jacta sunt, in Actis nostris mense Augusto superioris anni exhibuimus, ad quam forte haud immerito hoc Gualteri Schultzii Iter referas, quod integrum nunc prodit. Atque idem etiam antea 1676 Germanice prodiit Amstelodami, quæ editio Gallicæ hoc nomine jure præferenda, quod in breviora capita distinguitur, rerum serie etiam in margine indicata, & subjuncto indice, quæ cuncta in Gallica hac desiderantur. Etsi vero supersedere recensu plane possemus, pauca tamen enotabimus. Postquam Bataviam celebre Belgarum in India emporium delatus est Autor, duro obstupuit supplicio, quo Indus quidam est affectus, quod comedisset opium, cujus usu ideo severa lege Indis interdictum est, quod in furorem manducantes agat, ut motus inter cives cieant, obviosque quosvis trucident, id quod maleferiato huic evenerat, quinque homicidiorum ex opii usu re. In insula Bouro pluribus incolis ex avita superstitione hæret, ut crocodilos ceu Deos venerentur, quandoquidem crocodilos omnes e concubitu cum virgine quadam Regia prodiisse fabulantur. In nucis moschatæ descriptione occupatus Noster, id simul observat, quod columbarum quoddam genus, atque aliæ quoque aves, sæpe gregatim advolantes, arborem fructu, quando plenius maturuit, omni exuant; sed, cum digerere nequeant, nuces excernant integras, ex quibus in fœcundum agrum delapsis, arbores progerminant, quæ tamen fructus ferant aliis leviores, & corruptioni citius obnoxios. In Indiæ diversis partibus prodigiosæ molis serpentes inveniuntur, quales ipse Noster in insula Macassar vidit, qui non minus homines quam bruta animalia adoriuntur, quæ integra diglutiunt, eo

voracitatis præmio, quod plerumque iis rumpuntur ilia. Quamvis autem feritate horribiles sint, veneno tamen carent, quod commodum accidit miseris quibusdam ex comitatu Auctoris, ab Indis captis, qui fame adacti e ventre pereuntis hoc modo serpentis aprum exemerunt, ac nullo periculo comederunt. Quanta Regum apud barbaros sit veneratio, eo exemplo patet. Cum enim Indicæ Societatis legati ad Monarcham Regni Aracan solenni pompa magnificoque apparatu introducti essent, quasi majestatis fulgoris impatientes, caput non tantum ad genua inclinare, sed & manibus oculos operire ad modum universæ Regiæ familiæ coacti sunt, quoad Rex per interpretem cum illis locutus est. Idem Rex non nisi intra quinquennium se semel conspiciendum offert populo, reliquum tempus in gynecæo transigit. Singulis autem annis præstantissimæ formæ puellæ duodecim in aulam accersendas curat, quæ postquam advenerunt, candida induuntur veste lineæ, atque per sex horas exponuntur solis radiis, ut sudor largius profluat, qui vestibis illis abstergitur, & post ornantur aliis; madidiores vero rei peritis traduntur, ut olfactu sanitatem corporis examinent, & bene olentes ad Regem introducant; reliquæ distribuuntur inter aulæ proceres. Virginei floris in hoc Regno tam exigua cura est, ut eum decerpere pro re parum digna habeant; unde profligatioris vitæ Belgas nautas conducunt pretio, qui puberibus virginitatem eripiant, eoque procis civibus gratiores reddant. Sunt præter hæc plurima, quæ Lectorem instruant & delectent, nobis illud insuper meminisse sufficiat, quod in fine rerum aliquot naturalium enarratio subjuncta sit, ab Auctore non visarum quidem, sed ab aliis communicatarum, quibus fides haberi tuto queat.

AN APOLOGETICAL VINDICATION
of the Church of England, &c.

hoc est,

*VINDICATIO APOLOGETICA ECCLESIAE
Anglicanæ, in qua respondetur adversariis ipsius, hereses
Angli-*

Anglicanas & schismata ei exprobrantibus. Autore GEORGIO HICKESIO, D. Th.

Londini, apud Gualterum Kettilby, 1706, in 8.

Constat plag. 15.

A Pologiam hanc jam ante duodecim fere annos primum publicavit eruditissimus Autor, cum non deessent ex Pontificiis, qui Ecclesiam Anglicanam non posse esse veram Christi Ecclesiam evicturi hoc argumento utebantur, quod in plures sectas sit divisa, cum contra vera Christi Ecclesia sit una, utpote corpori comparata in sacris, cujus caput invisibile Christus, membra cum ipso & inter se unita singuli veri Christiani, in una catholica Ecclesia viventes. Illam vero nunc secunda vice recudi passus est, quibusdam hinc inde additis, quæ in prior editione non habentur, quod nunc plures in Anglia exsurgant Deistæ, Athei ac Empectæ, ob schismata Ecclesiæ & contentiones fervidiores inter Episcopales ac Presbyterianos Christianam religionem prorsus deserentes, immo traedcentes ac Ecclesiæ ministros impostores nuncupare non erubescerent. Argumti igitur, quod a schismatibus ad veritatem Ecclesiæ oppugnandam desumitur, inefficaciam monstraturus primo ostendit, omnes omnino Ecclesias schismatum ac dissensionum infortunia experiri. Probat thesin suam inde, quod in omni Ecclesia reperiantur putrida membra, hoc est homines genio suo indulgentes & Diaboli ad schismata eos continuo stimulantis seductionibus aurem benignam præbentes. Neque vero hoc mirum videri debere: cum enim in Ecclesia dentur homines homicidii, adulterii, furti aliorumque flagitiorum, cur non & schismatum rei? Confirmat assertum suum plurimis exemplis ab Ecclesiis Apostolicis & ævo Apostolico proximis desumptis. Illas quod attinet, ad loca Scripturæ Matth. XXIV, 24, Actor. XX, 29, 1 Cor. XI, 18, 1 Joh. II, 19, Rom. XVI, 17. 18 &c. provocat; has vero quod spectat, in medium producit hæresin *Thebutis* in Ecclesia Hierosolymitana ortam, hæreticorum Ecclesiam Smyrnensem tempore *Ignatii Martyris* infestantium & humanitatem Christi impugnantium, *Simonis, Menandri, Mar-*

Cap. I.

cionis, Basilidis, Saturnini, Cerinthi, Carpocratis, Marcii, Ebionitarum, Valentianorum, Colarbofiorum, aliorumque plurimorum, inprimis Donatistarum & Arianorum. Cum cura etiam recenset schismata in Ecclesia Romana per Antipapas præcipue facta.

Cap. 2.

Quoniam itaque nulla unquam extitit Ecclesia, nec existere possit, nisi in coelis triumphans, quæ non schismatum ac hæresium ludibrio exponatur; perperam contra veritatem unius inde argumentum peti contendit. Certe qui in primitiva Ecclesia vixerunt, & meliores Logicos & Christianos meliores fuisse, quam ut tam futile argumentum proferrent. Ecclesiam *Corinthiacam* a *Paulo* dici Ecclesiam Dei, utut schismata in ea vigerent: quod & fecerit *Clemens Alexandrinus* in Epistola ad *Corinthios*. Similiter *Constantinum* Imperatorem in Epistola ad Ecclesiam *Alexandrinam* eam vocare catholicam, cum hæreticis *Melitanis & Arianis* abundaret: cujus exemplum secutus *Constantinus* filius in Epistola ad eandem Ecclesiam. Profert exempla alia, & ex adversariis quærit, quid factum fuerit de Ecclesia catholica, cum omnis fere orbis evaderet *Arianus*? Quid de *Romana*, cum *Liberius* Papa *Arianis* contra *Athanasium* subscriberet, cum alia schismata Antipaparum ac hæreses in ea exorirentur? Quid de *Constantinopolitana* tempore *Macedonii & Nestorii*? Quid de *Judaica*, cum schismata a *Corah*, cum a *Jeroboamo* fierent? Ostendit igitur, non unionem, sed res, in quibus uniuntur membra, commendare & justificare Ecclesiam.

Cap. 3.

Etenim cum exemplis plurimis confirmari possit, etiam inter hæreticos & impios perfectam dari posse unionem, qualem omnino fuisse constet inter *Aaronem* & *Israelitas* vitulum aureum divino cultu prosequentes, inter *Corahites* adversus *Mosen*, ac *Aaronem* rebelles, inter *Novatianos, Donatistas, Arianos*; non ad unitatem, sed ad doctrinam, cultum ac disciplinam Ecclesiæ respiciendum esse, si de ipsius veritate judicium fieri debeat. Probat ulterius, unitatem Ecclesiasticam posse esse effectum causarum culpabilium, propterea quod aliqui Ecclesiæ cuidam adhæreant vel per ignorantiam, vel per compulsionem. In priorum censum refert *Gentiles*, quorum superstitio *catholica* seu universalis erat ob ignorantiam, unde in tenebris sedere a Spi-
ritu

ritu Sancto dicantur. Et hinc factum esse pronunciat, quod Evangelium annunciatum magno cum applausu exceperint, quemadmodum Reformatoribus veritatem in lucem ultimo tempore producentibus, tantum non omnes in omnibus oris ab Ecclesia Romana defecerint, ita ut, *Paulo* excepto, plures proselytas nemo fecerit *Luthero*, Reformationis in *Germania* Protevangelista. Qua occasione monet, se pro certo habere, si *Hispanis* ac *Italibus* lectio Scripturæ sacræ atque concionum *Cypriani* & *Savanorolæ* concedatur, multos adhuc in istis quoque oris unionem Ecclesiæ Pontificiæ deserturos; Episcopos vocaturos Papam Collegam, Socium, Coepiscopum, ut *Cyprianus* vocavit olim Episcopum *Romanum*, nisi essent sub compulsione. Monstraturos tandem, plus dari in Ecclesia *Anglicana* unionis potentialis & actualis, quam in *Romana*. Primum probat, quod dentur in Ecclesia Pontificia dogmata, schismatum necessariæ causæ, e. gr. de suprematu Papæ & de transubstantiatione, quorum illud indoli Ecclesiæ ac praxi primorum Christianorum, hoc sensui, rationi, sensui plano ac grammaticali verborum institutionis, principiis omnium scientiarum contrarium; istiusmodi autem nil quicquam doceat Ecclesia *Anglicana*. Alterum satis manifestum arbitratur, cum non tantæ sint in Ecclesia *Anglicana* disceptationes, quantæ in Pontificia inter *Molinistas*, & *Jansenistas*, *Thomistas*, *Scotistas* & *Jesuitas* aliosque vigent. Postquam ita stabilivit, ab unitate & defectu schismatum ac hæresium non posse peti argumentum sanum ad veritatem Ecclesiæ comprobendam; in causas schismatum ac divisionum inquirat. Pro causa principali Diabolum habet, hoc est, integram societatem malorum spirituum, tanquam hostium Dei ac hominum cum Deo facientium. Probationem instituit per loca Scripturæ, Matth. XIII, 25, 1 Tim. IV, 1, Eph. VI, 12 & testimonia Patrum. Unde deducit, si Ecclesia in doctrina, cultu & regimine sit Apostolica, schismata non aliud probare, quam Satanam ipsi valde esse inimicum. Causæ principali instrumentalem jungit, homines nempe vel ignorantia, vel vana curiositate, vel ambitione, vel avaritia, vel altercandi libidine ad schismata ac hæreses inductos. Ignorantiam in causa esse, ut Scripturam

Cap. 4.

legen-

legentes sensum sibi pro arbitrio fingant, nihilominus tamen illam rectius aliis intelligere sibi videantur. Nimum curiosos quæstiones movere de rebus, quas nescire juvat, & Scripturam eum in finem legere, ut novas comminiscantur doctrinas, opiniones novas. Esse hoc hominum genus maximos Scripturæ adulteratores, ab Apostolo 1 Timoth. I, 4, II, 3. 4, 2 Timoth. II, 23, Tit. II, 9 notatur. Ambitionem hæresium multarum causam extitisse multis exemplis confirmat, *Thebuthis* nimirum, *Montani*, *Novati*, *Arii*, *Natalis Confessoris*, *Melitii* Episcopi in Ægypto. Quod avaritia ad schismata & hæreses inducat, patere ait per testimonium Pauli 1 Tim. VI, 5 & Judæ v. II, atque *Montani*, *Natalis Confessoris* aliorumque exempla. Simili denique ratione evincit, contentiosos & litigiosos homines hæreticos evasisse, utpote receptas opiniones & ritus oppugnantes verbaque aliorum captantes, quo habeant, de quo altercentur. His ita se habentibus, ex schismatibus adversus Ecclesiam *Anglicanam* nil posse concludi, nisi quod in ea fuerint & sint homines ignorantes, nimium curiosi, ambitiosi, avari, contentiosi: quæ est vi superius demonstratorum communis omnium Ecclesiarum calamitas. Tandem de remediis sollicitus rejicit schismaticorum extirpationem, tanquam verbo divino adversam, monens, si remediis utendum sit, quæ cum honore Ecclesiæ, misericordia Evangelii & vero Christianitatis spiritu consistunt, fieri non posse, ut omnia schismata præcaveamus. Non suffecisse huic fini miracula sanctitati, sapientiæ, infallibilitati & diligentia summæ juncta, teste praxi Apostolorum: nequam igitur Pontificios schismata impedituros, utut de infallibili judice gloriantur, inprimis cum inter ipsos nondum certum sit, quisnam sit infallibilis iste judex, aliis pro Papa, aliis pro Conciliis pugnantis. Quamvis vero Concilia schismata ac hæreses abolere prorsus non valeant, quemadmodum Concilium Apostolorum *Hierosolymitanum* controversiæ de circumcidendis profelytis ex Gentilismo finem imponere non potuit, nec Concilium *Nicanum* hæresin *Arianam* sopivit; Concilia tamen pro optimis adversus hæreses ac schismata remediis habet, siquidem catholica, vel nationalia, & libera fuerint. Suadet igitur

igitur tale concilium celebrari ad tollenda diffidia inter Ecclesiam *Anglicanam* & *Romanam*: etenim *Tridentinum* nec catholicum, nec liberum fuisse.

Accessit novæ huic editioni appendix schedarum ad schismata Ecclesiæ *Romanæ* pertinentium, quæ contigerunt sub *Urbano VI* Papa & *Clemente VII* Antipapa. Prolixa etiam præfigitur Præfatio, in qua *Presbyteriani* increpantur, illi imprimis, qui contemptim de communione Episcopali loquuntur & scribunt. Inprimis carpitur Autor libelli idiomate Anglico conscripti, cui titulus: *Principia religionis Protestantium explicata*; quod asseruerit, nullum Christianum obligari ad vitam in communione Ecclesiastica degendam; id nil quicquam facere ad vitam, aut doctrinam Christianam; nec Ecclesiæ Christianæ ullam competere potestatem compellendi homines ad communionem cum ipsa, multo minus ullum jus supereminens illi competere in hominem ullum; per baptismum neminem fieri membrum Ecclesiæ cujusdam particularis; characterem asseclæ cujusdam Ecclesiæ nullam superaddere characteri Christiani prærogativam; hominem posse amare Deum ac proximum, etsi non essent Episcopi, Sacerdotes, Decani, conventus Ecclesiastici; sacramentum Cœnæ in Christiana familia sine sacerdote, & altari posse administrari; primitus sine consecratione elementorum a sacerdote facta administratum fuisse; communionem Ecclesiasticam promovisse dominium cleri in laicos; & hujus generis alia. Inprimis multum indignatur præfationis Autor, dixisse non neminem odio erga Episcopales, se morte vicinum advocari jussurum aurigam suam, ut sibi sacramentum Cœnæ administret Archiepiscopi loco. Ad tollenda hæc scandala in linguam Anglicam a viris eruditis opera Christianorum primitivæ Ecclesiæ transferri optat, in quibus religionis veritas defenditur, commendans inprimis *Cypriani* Opera, quibus proximum a Scriptura locum concedens, e re futurum judicat, si candidati ministerii ex lege ea legere tenerentur & ad functionem Ecclesiasticam evehendi ex illis ab Episcopo examinarentur.

BIGAM DIFFICULTATUM PHYSICO - SACRARUM de gemmis Urim & Thummim dictis Exod. XXVIII, 30 & de cibo Samariæ obsessæ 2 Reg. VI, 25 &c. ad Illustrem DN. DE LEIBNITZ, Potentissimi Electoris Brunsvicensis & Luneburgensis Consiliarium, intimum scripsit CASPAR NEUMANN.

Vratislaviæ, literis hæredum Baumannianis, 1707, in 4.

Const. plag. 5.

JAM plures elapsi sunt anni, ex quo Autor summe Reverendus pro summa ingenii acie vocum Hebraicarum significatum, quendam essentialem rimari cœpit: quemadmodum videre est ex iis, quæ in Actis nostris A. 1696 p. 399 & A. 1697 p. 313 & seqq. hanc in rem dicta sunt. Lubens tamen fatetur, perfectam de literarum Hebraicarum hieroglyphica significatione theoriam in Genesi & Exodo linguæ sanctæ nondum fuisse exhibitam; sed *incertas adhuc atque dubias, crudas, immaturas & minus perfectas tunc fuisse opiniones suas*. Postquam igitur rem omnem plenius affecutus est, post diuturna experimenta ex instituto theoriam inventi hujus publice proponere decrevit, cujus nunc nonnisi breviarium aliquod exhibuit. Hanc autem literarum Hebraicarum hieroglyphicam significationem tradit. *Aleph* א est ipsi character activitatis & motus omnis in genere: *Beth* ב trinae dimensionis, ita ut verti possit i materia, corpus, substantia, res, aliquid, 2 locus, spatium, capedo, in, inter, intra &c. *Gimel* ג flexus & obliquitatis omnis in genere: *Daleth* ד alio factæ protrusionis atque promotionis: *He* ה præsentia & adessentia demonstrativa: *Vau* ו copulationis atque annexus: *Dsain* ז protrusionis vehementioris & arcte stringentis, qualis est, ubi res vel protrudendo stringitur & coarctatur, vel figura sua arcte exit & in acumen terminatur: *Cheth* ח societatis, consociationis, compositionis atque combinationis omnis in genere: *Tet* ט retractionis & recessus: *Jod* י extensionis & longitudinis sive in materia, sive in tempo-

ris

ris duratione : *Caph* ☩ versationis, curvatis, concavatis :
Lamed 4 adversationis, additionis, accessus, impulsus & pres-
suræ cujuscunque : *Mem* 2 amplitudinis & exemplationis in
quantitate tam continua, ubi latitudinem & dilatationem, quam
discreta, ubi multitudinem notat, hac tamen cum differentia,
ut *Mem initiale* & *apertum* ex amplitudinis illius complexu exi-
mat, *Mem finale* & *clausum* in eam deducat, *medium* pro ratio-
ne literarum antecedentium & consequentium utrumque fa-
ciat : *Nun* 2 propagationis ab uno ad aliud : *Samech* 3 cin-
cturæ & coarctationis : *Ajin* 5 objectivatis, obviatis, ob-
versationis : *Pe* 2 anfractus & anguli cujuscunque : *Tsade* 5
contiguitatis & arctæ successionis : *Koph* 2 circuitus, ambitus :
Resch 7 egressus, exterioritatis, extremitatis : *Schin* 3 numeri
ternarii gradusque tertii, id est, superlativi & summi : *Tav* 2
sequelæ, continuationis, successionis. Litteræ igitur Alphabe-
ticæ cum motum, materiam atque spatium, & varias motus at-
que situs modificationes Autori significant, voces ex iis com-
positæ proprie nonnisi res corporeas, incorporeas vero seu spi-
rituales metaphoricè denotare debent. Præterea ex appositis
exemplis, quibus hypothesin suam illustrat, liquet, significatum
vorum primigenium esse admodum vagum, ita ut emphasi ea-
rundem explicandæ unice inserviat, ubi aliunde constiterit,
quænam res per eas denotentur & quibus proprietatibus eæ-
dem gaudeant. Quare vorum *urim* & *thummim* significatum
essentialem traditurus, ex contextu sacro & locis parallelis an-
te omnia probat, 1 *urim* & *thummim* non fuisse res diversas,
sed unam eandemque rem diversis insignitam nominibus, quia
Scriptura ad pectorale Sacerdotis indicandum nunc utroque,
Exod. XXVIII, 30; nunc solo altero nomine, Num. XXVII, 21.
1 Sam. XXVIII, 6 utatur. 2 Fuisse ipsas illas duodecim gem-
mas, in monile aureum conjunctas, non vero aliud quid ab his
diversum, quia Moses hoc monile promiscue nunc per gemmas,
nunc per *urim* & *thummim*, Exod. XXXIX, 10. VIII, 8 descri-
bat, immo Exod. XXVIII per *urim* atque *thummim* gemmæ ex-
ponantur, & quando *urim* atque *thummim* in pectorali Sacerdo-
tis poni jubentur, addatur v. 30 ratio, ut portet Aharon judi-

cium filiorum Israelis super corde suo &c. 3 Lapidem hos pretiosos, ad gemmariorum leges sectos atque politos, suo quemvis gavisum esse fulgore, & 4 ut nomina tribuum insculpi possent, superficiem habuisse planam. His suppositis ostendit, vi hypothesium suarum *urim* significare res lucidas, micantes atque fulgentes: *thummim* res, quibus superficies est plana. Nam \aleph est nota activitatis, η vero exterioritatis. Quare syllaba $\aleph\eta$ denotat omne id, quod habet motum emicandi seu effluendi; adeoque *urim* sunt res lucidæ, micantes atque splendentes. Similiter \beth est nota amplitudinis & in quantitate continua latitudinem atque dilatationem corporis ejusque superficiem significat: \aleph sequelæ atque continuationis index. Ergo syllaba $\beth\aleph$ continuam vel continuatam superficiem amplitudinem denotat, seu superficiem planam atque æqualem: consequenter *thummim* sunt res planæ & superficiem æquabilis. Cibum apud Samaritas, durante obsidione, magni pretium 2 Reg. VI, 25 explicaturus, supponit 1 fuisse aliquod ab hominibus etiam in cibum adhibendum, saltem in casu necessitatis. 2 Columbas inter alia purgamentis etiam atque granis ejectitiis frumenti & leguminum ali solere: indeque stabilire annitur, vocem in textu Hebræo adhibitam *Chirjonim* vi literarum notare purgamenta atque ejectamenta columbarum. Etenim *Jonim* columbare quid denotare, cum *Jona* dicatur columba a motu (י) longe (ב) ab uno loco in alium fieri solito: initium primæ appellationis $\aleph\eta$ significare motum, ubi aliquid (\aleph) combinatur vel colligitur atque (η) eliminatur (י) longis ductibus. Tandem respondet ad quæstionem amici, num potus *Cassé* dicti aliquod in sacris detur vestigium. Videtur pro affirmativa esse locus 2 Sam. XVII, 28, ubi Davidi inter alia attulere fabas & $\aleph\eta$ tostum quid, qui de comœatu ipsi prospicere volebant. *Cassé* vero nostrum certum quoddam fabarum genus esse vulgo creditur, eæque pro parando potu torreri solent. Autor vero per principia sua illud *kali* expositurus supponit 1 per hanc vocem intelligi cibi quoddam genus, ruricolis Ruth. II, 14 & militibus in castris vitam degentibus 1 Sam. XVII olim usitatum, idque 2 aridorum mensura æstimatum, 1 Sam.

XVII, 17; atque 3 ad frumenta pariter & legumina pertinens, 2 Sam. XVII, 28: non tamen certam quandam eorum speciem constituens, sed arte factum. Inde ex principiis suis evincit, *kali* denotare attritum vel contusum quid, cum hp sit signum motus, qui sit (p) in circuitum vel circumcirca & cum (h) adversativo quodam impulsu, adeoque hp sit res, quam (p) circumagimus (h) movendo adversus eam (i) extensionem quandam longam, h. e. mortarii pilum. Egregia hæc sunt Autorisque ingenio digna: ast operæ pretium faceret ingeniosissimus Autor, si in notiones primigenias inquireret ac pro ea, qua valet, ingenii sagacitate notionum compositarum originem ex istis scrutaretur. Quod si enim characterum Hebraicorum ad notiones primigenias relationem quandam detegeret, sola illorum combinatio methodum inveniendi adsolvere poterat.

CATALOGO DEGLI ORDINI RELIGIOSI.

id est,

ORDINUM RELIGIOSORUM CATALOGUS,
eorumque indumenta in Iconibus expressa. Auctore
P. PHILIPPO BONANNO.

Romæ, typis Antonii de Rubeis, 1706, in 4.

Const. Alph. 1 pl. 15 & Figg. æn. 136.

Duplici idiomate nimirum Latino & Italico hic liber consignatus est, ut exinde non tantum in peritiores, verum etiam in rudiores, qui linguam Latinam non callent, quædam utilitas redundaret. Scopus autem auctoris est Ordinum religiosorum in Ecclesia militante Catalogum contexere, eorumque indumenta in iconibus accurate & affabre delineare. Equidem Auctor non diffitetur, jam multos in eodem argumento occupatos fuisse, inter quos numerantur Cardinalis a Vitriaco, Silvester Maurolicus, Aubertus Miræus, Paulus Morigia & multi alii magni nominis scriptores: interim tamen hoc Auctorem non deterruit, quo minus adhuc aliquid in hoc negotio præstari posse speraret. Quamvis enim jam multi monum en-

ta literis consignata de hoc argumento reliquerint, rem tamen plerumque ita comparatam esse ait, ut vel materiam non exhausserint, cum vix dimidium ordinum religiosorum enarrassent, vel etiam imagines imperito sculptori incidendas, nec omnes accurato calamo describendas curaverint, cujus generis volumen ab Anonymo auctore Gallo scriptum Amstelodami quoque anno superioris seculi octogesimo sexto in lucem prodierit. His causis inductus Auctor noster hunc laborem in se suscipere decrevit, ut quoad hoc argumentum, de Ordinibus scilicet Virorum Religiosorum, in unico volumine comprehenderet, quicquid in aliis vel dividitur vel occultatur. In hoc autem instituto ita versatur, ut primo vera brevique enarratione cujusvis Ordinis religiosi auctores, origines, approbationes a summis Pontificibus concessas rite exponat, quo facto vestium quoque formas & colores in subjectis imaginibus exhibere studet. Et ne forsan a veritate ullo modo aberraret, se hæc omnia ex diplomatibus Pontificiis, ex ipsorum Ordinum annalibus & probatissimis auctoribus eruere conatum esse testatur. Ceterum paginae hujus libri ita sunt comparatae, ut illæ in volumen aptari facile possint, & præterea, si placuerit, in planis tabulis disponi, ad ornatum eruditum parietum non solum religiosarum ædium, sed etiam earum, ex quibus non raro dependent imagines christianæ verecundiæ & honestati repugnantes. Quemadmodum igitur Auctor in hac prima parte Religiosorum Virorum Catalogum exhibuit, ita in secunda mox subsequutura Sanctimonialia, in tertia vero Ordines Virorum Equestrium repræsentare pollicetur.

*FERDINANDI CHRISTOPHERI HARPPRECHTI,
Jcti, Sacri Cæsar. Palatii Comitæ, diversorum Imperii
Principum & Statuum Consiliarii, in alma Tubinga An-
tecessoris, & in Summo Würtembergico Tribunali Asses-
soris Responsorum Criminalium & Civilium
Volumen V.*

Tubingæ, sumtibus Augusti Metzleri, 1707, in fol.

Alphab. 3.

SEPTUAGINTA septem Responsis, quæ quatuor priora Volumina, in Actis nostris 1706 mense Decemb. p. 531 indicata, continent, in quinto hoc Volumine octo alia indefesso labore addit Consultissimus Autor. Responsum septuagesimum octavum, quod primum obtinet locum, plenissime agit de hæreditaria successione Principis Viduæ. Septuagesimum nonum, immisionem ex *l. fin. C. de Edict. D. Hadrian. toll.* notabili disquisitione exponit. Octogesimum de Superioritate Territoriali ab Abbatissa quadam in pago aliquo prætensa, aliisque inde ortis controversiis tractat. In octogesimo primo & secundo varia crimina, blasphemix scilicet, abigeatus, furti, desertionis militiæ & atrocium minarum, expenduntur. Octogesimum tertium de fideicommissio conventionali sollicitam, ut ait Noster, dispectionem exhibet, quam continuat octogesimum quartum, in quo de jure detractiois, utrum in fideicommissio conventionali locum habeat, disquiritur. Octogesimum quintum proluxa de usufructu universonum bonorum, feudaliū & allodialium, illustri Viduæ ultima voluntate relicto, disceptatione finem huic Volumini imponit. Ut exemplum addamus, in Responso septuagesimo nono inter fratres & sorores cohæredes de immisionem ex *l. fin. C. de edict. D. Hadrian. toll.* aliisque controversiis connexis disceptatur. Primo quæsitum fuit, num filix, hæredes testamentariæ, immisionem in bona hæreditaria ex *d. l. fin.* obtinere possent? quod affirmandum censuerunt JCTi Tubingenses, cum omnia ejus requisita hic concurrant. Gemina fuit quæstio, an alia filia, ratione legitimæ, pariter ex laudata lege posset immitti? & licet interpretum nonnulli in negativam inclinent, affirmativa tamen Nostris placuit, cum & illa pro hærede habenda sit, ac requisita hujus remedii circa eam quoque locum habeant, adeoque non immerito, ratione portionis suæ, possessionem illa & petere & sperare queat. Præterea filius prioris matrimonii, ex pacto unionis prolium compossessionem sibi etiam deberi, existimaverat. Licet vero ejus intentioni haut obsit, quod

non

non ad remedium *l. fin. C. de edict. D. Hadrian.* sed ad interdictum *Quorum bonorum* confugerit, aut quod ex nonnullorum sententia remedium illud contra verum hæredem non competere censeatur; attamen JCTi Nostri eum admittendum non esse existimarunt, cum nec unio prolium, nec ejus requisita satis hæctenus fuerint probata, admissam etiam unionem tam mors parentis, quam in primis ejus revocatio, ob ingratitudinem filii facta, sustulerit, eaque non tantum per sententiam judicalem, triginta annorum lapsu roboratam, sed & ipsius filii agnitionem confirmata sit. Alia erat quæstio, an non filio illi, ratione eorum, quæ in testamento paterno ei assignata erant, possessio concedenda sit? Sed JCTi Nostri eam haut necessariam existimarunt, cum ceteri cohæredes ad faciendas illas præstationes sese profiteantur paratissimos, adeoque petitorium hic absorbeat possessorium. Junioribus filiabus mater necessitatem conferendi testamento remiserat, exinde illæ, se ad inventarium aliaque instrumenta edenda non teneri, concludebant; verum editionem eo fine esse faciendam, quo calculus recte iniri, ac, quantum cuique tribuendum sit, judicari queat, JCTi Nostri responderunt, insuper arbitrati, juramentum manifestationis ob cessantem suspicionem a filiabus illis nondum posse exigi, impensas vero litis propter arctam litigantium conjunctionem ac probabilem litigandi causam esse compensandas.

*G. A. STRUVII JCTI, DECISIONUM JURIS
Opificiarii Centum & aliquot; accesserunt Disputationes
tres, hanc materiam spectantes, curante FRIDE-
RICO GOTTLIEB STRUVIO, D.*

Jenæ, apud Tobiam Orlingium, 1708, in 4to.

Alph. 1½.

INter materias, quæ Jure Romano in usum Germaniæ non satis excultæ sunt, & de quibus adeo in scholis juridicis parum vel nihil tradi solet, est etiam Jus Opificiarium. Bene igitur de Jurisprudencia Germanica merentur, qui defectum illum solerti

solerti studio suppleant, quæ laus etiam manet Consultissimum Struvium, dum ex schedis paternis centum viginti & unam Decisiones, in quibus, testante operis titulo, casus selectiores Juris opificarii breviter & nervose, adjectis undique præcipuarum in Germania Facultatum Responsis, variisque tum publicis, tum privatis diplomatibus, deciduntur, collegit, easque cum tribus Disputationibus ejusdem argumenti, quarum duæ sub præsidio B. Patris anno 1684 & 1691, tertia vero a Joh. Wolfgang Textore Heidelbergæ 1654, habitæ sunt, publici juris fecit, ex quibus pro instituti ratione nonnulla delibabimus. In Decis. 1 ostenditur, quod clausula reservatoria, quæ in tribus ejusque privilegiorum confirmatione frequenter subjici solet, hoc operetur, ut Princeps recte contra illa, ob interesse publicum, dispensare possit, etiamsi tribus, præstita taxa Cancellariæ, titulo oneroso illa redemerit. In Decis. 13 docetur, quod, ex anticipato Parentum concubitu natus pro illegitimo habendus non sit, cum vitium conceptionis per subsequens matrimonium fuerit purgatum, nec proinde a tyrocinio repelli debeat, nisi peculiari statuto aut observantia aliud sit introductum. Ex doctrina Decis. 34 prohibitio attentata contra confirmata statuta collegii, quibus quædam alii collegio contraria continentur, non attenditur, donec jus prohibendi legitime probetur. Qui habet jus hospitandi concessum, ex decreto Decis. 60 potest quidem divertentibus, seu peregrinis, seu incolis, cerevisiam in domo sua præbere, at extra domum diven- dendi licentia ipsi per hoc non censetur concessa. Juxta Decis. 76 damnum, quod opifex in exercendo opificio per dolum vel culpam dedit, præstare tenetur secundum æstimationem a judice determinatam, & admittitur reus etiam hoc casu aliquando ad juramentum minorationis. Ex sententia Decis. 106 non sunt confundenda ephippiariorum, Sattler, & scytotomorum, Niemer, opificia. In Decis. 120 habetur, quod vicinus vicinum prohibere nequeat, quo minus in suo molendinum exstruat, licet id in præjudicium vicini vergat, nisi alter per legitimam prohibitionem & prohibiti acquiescentiam jus molendini habendi præscripserit. Decisio 121 opiliones, licet

Q

ctiam

etiam quandoque cadavera decoriare soleant, pro infamibus non esse habendas, nec pari nota cum excoriatoribus laborare, nec illorum liberos honestis tribubus arcendos esse decernit.

TRAITÉ DE L'ANTIMOINE &c.

i. e.

TRACTATUS DE ANTIMONIO, ANALYSIN CHYMICAM hujus Mineralis, congeriemque multarum operationum, coram Academia Regia Scientiarum cum rationibus necessariis recitatarum, continens. Autore NICOLAO LEMMERIO, ejusdem Academiae Membro & Medic. Doctore.

Parisiis, apud Joannem Boudot, A. 1707, in 8.

Alph. 1 plag. 6.

p. 1.

Quanta industria Experientissimus *Autor* utilissimam artium Chymiam & exerceat & doceat, *Cursus Chymicus*, vel novies ab eodem editus, atque a nobis in Actis A. 1683 p. 151 recensitus, cum quarta vice prodiret, luculentissime dudum demonstravit. Neque inferius testimonium de insigni ipsius solertia Chymica præfens de Antimonio perhibebit Tractatus, dum in *quatuor partibus* multos improbosque labores ordine refert, a Nostro in *Antimonio vel solvendo, vel sublimando, vel destillando, vel calcinando*, ab A. 1699, quo in Academiam Regiam Scientiarum receptus fuit, circumspicte susceptos. Antimonium namque, ceu minerale ponderosum, fragile, nigrum, splendens, perquam sulphureum, crystallinum, in lamellas sive strias longas dispositum, odoris & saporis expers, atque in multis Hungariæ, Transylvaniæ, Britanniaë, agri Pictaviensis & Alvernæ mineris juxta metalla proveniens, quamvis crudum in
 5. forma pulveris subtilissimi hominibus etiam interne propinatum, nunc ad vomitum vel secessum stimulet, nunc sudorem
 6. saltem moveat, prout aut acidum in ventriculo adsit vel desit, aut cum sulphure antea & lapillis cancrorum fuerit commixtum, quia

quia crudi tamen usus vix adeo tutus videatur, haud immerito varias prius operationes a Chymicis illud sustinere consuevit. Quemadmodum omnis autem solutio in genere menstruis, vel aqueis, vel spirituosis, vel salinis, vel oleosis, peragitur; ita in *Partis primi Articulis sex* varii sistuntur effectus, vel ab aquis vulgaribus, pluvia, rore, & aquis mineralibus, interveniente decoctione, vel a vino, spiritu vini simplici & tartarifato, spiritu saturni, acidisque lenioribus, spiritu videlicet veneris, aceto, ac multis succis expressis, fermentatis & non fermentatis, vel ab acidis potentioribus, spiritu vitrioli, sulphuris, aluminis, salis, nitri, salis armoniaci, aqua regia, vel a salibus alcalicis, tam volatilibus, spiritu salis armoniaci, quam fixis, oleo tartari per deliquium, & lixivius, vel a salibus falsis, v. gr. sale armoniaco, vel ab oleis denique diversis, digestionem subinde intercedente, in Antimonium annotati. Cunctorum scilicet istorum menstruorum talis ad Antimonium habitudo memoratur, ut hoc a menstruis aqueis, spiritibus ardentibus, spiritu æruginis, vitrioli, sulphuris, aluminis, ac spiritu salis armoniaci urinoso intactum relinqui, a vino & acidis lenioribus non minus, atque ab alcalibus fixis & oleis parum extrahi, a spiritu salis vero, salis armoniaci acido, nitri & aqua forti multum, potentius tamen ab aqua regia rarefieri & cum ebullitione plus minus fervida in calcem albam redigi, a nullo interim exacte dissolvi, satis elucescat. Cinnabaris quidem Antimonii sublimationis æque productum habetur, ac flores; flores nihilominus in *Partis secundæ Articulis tredecim* cum primis indigitantur, aut ab Antimonio solo, aut diversa proportione nitri, salis marini, aluminis calcinati, salis armoniaci, anatri, salis tartari, cinerum, calcisque vivæ, simul adjuncta, post sublimationem collecti, qui omnes in eo conveniant, quod non nisi volatiles & sulphuræ Antimonii existant partes, ab aqua regia vel spiritu nitri affuso nec ebullitionem, nec rarefactionem ulteriorem admittentes; coloribus autem & viribus inter se discrepent, in quantum salia diversa adjecta, diversusque ignis gradus administratus, floresque vel ab alcali volatili magis exaltati, vel ab acido plus minusve fixati fuerint. Destillationum septuaginta novem, in

p. 8.

31.

65.

P. 69.

totidem Articulis Partis tertiæ exhibitarum, aliæ cum Antimonio ipso, aliæ cum ejusdem Minera vel præparatis, v. gr. Antimonii hepate, sulphure, calce, regulo, floribus, cinnabari, & maximam quidem partem cum aliquo additamento, eoque aut uno, ex. gr. fabulo, nitro, saccharo, melle, musto, facibus vini, aceto, tartaro, spiritu salis, spiritu nitri, aqua regia, mercurio sublimato, argento, mercurio dulci, panacea mercuriali, mercurio præcipitato omnis generis, æthiope minerali, cinnabari vulgari, calce viva, urina, oleo olivarum, terebinthina, vel sapone, aut multo, v. gr. vitriolo, sale communi & nitro, vel saccharo & sale armoniaco, vel tartaro & nitro, vel vegetabilibus variis attenuantibus, aperitivis & antiscorbuticis, vel spiritu salis & vitrioli, vel aqua forti & spiritu salis, vel sale armoniaco & spiritu nitri, vel stanno nunc, nunc bismutho, nunc plumbo, cupro, argentove mercurio sublimato adsociatis, pro diversitate scopi, variata itidem sæpius proportione, fuerunt adornatæ. Tandem in *Partis quartæ Articulis triginta duobus* Calcinationes occurrunt, propter Antimonii aut vitrum, aut tincturam, aut regulum, cum simplicem, tum compositum diversum, v. gr. martialem, solarem, lunarem, jovialem, bismuthalem, venereum, & saturninum, aut hepar, aut Antimonium diaphoreticum, pariter varium, institutæ. Cæterum quo magis operationum nonnullæ ab aliis dependent, eo minus vitio Autori dandum est, quod inter dissolutiones de magisterio & sulphure antimonii, inter sublimationes de vino & tartaro emetico, inter destillationes butyri Antimonii, de cinnabari ejus, pulvere algaroth sive mercurio vitæ, & Bezoardico minerali, atque inter calcinationes, de multis Antimonii tincturis, floribus reguli Antimonii, vino emetico ordinario, tartaroque emetico, una egerit.

209. quibus duo cum primis haud silenda videntur: primum, majorem cinnabaris quantitatem ab Antimonii minera, quam ab Antimonio ipso, obtineri, plus tamen cinnabaris ab Antimonii partibus tribus & mercurii sublimati partibus quatuor, quam

448. ab alia quacunque proportione acquiri; deinde sulphuris Antimonii præsentiam in hujus tinctura cum sale tartari elicita, adeoque tincturæ talis a simplici tinctura tartari differentiam,

in-

Fig. F.




Fig. B.




Fig. C.




Fig. D.




Fig. E.






Fig. A.



1850



1850



indubiam esse, postquam, tincturam tartari eodem temporis momento paratam, nec æque rubicundam evadere, ac laudatam tincturam Antimonii tartarifatam, nec similem odorem sulphureum spirare, nec post aliqualem spiritus vini abstractionem in colore exaltari, multo minus post omnem spiritus vini evaporationem oleum crassum & nigrum relinquere, Autor per experimenta certo cognovit.

*C. G. HECKERI, PATRICII GEDANENSIS,
Descriptio Micrometri Heveliani.*

Annus plus minus circumactus est, cum ex museo, in quo nonnullæ adhuc suppellectilis Astronomicæ Hevelianæ asservantur reliquæ, Micrometrum nactus sum, cujus ingeniosæ machinulæ fabricam ita comparatam inveni, ut si in ea quædam, ad majorem observandi *ἀκριβείαν* facientia, immutarentur, exinde Micrometrum omnibus numeris absolutum compositum iri, nullus dubitaverim. Quod postquam ex voto successit, haud inutilem me facturum operam confido, si accuratissimi commodissimique Heveliani instrumentioli structuram, cujus excellentiam usû comprobatam habeo, in gratiam eorum, qui astris invigilant, cum publico communicavero.

Ipsius Micrometri fabricam & descriptionem, adjecta simul si consulas schemata, sic habeto :

Tam Figura *A* quam *B* integram, quæ ex orichalco confecta est, repræsentat machinulam, & quidem ex ea præcipue parte, quæ oculare vitrum, cum tubo decenter infixam est, respicit. Figura *A* refert Micrometrum eo usque clausum, donec priores duo pili se mutuo tangant vel coincidant. In Figura *B* vero apertum videre est Micrometrum, h. e. pilis, quantum possibile est, ab invicem diductis. Ceterum machinula hæc composita est ex quatuor potissimum partibus, per Figuras *C*, *D*, *E* & *F* expressis. Inter has Figura *C* præcipua est, & corpus quasi machinulæ exhibet, quoniam reliquæ omnes huic vel affigendæ veniunt vel inserendæ. Exhibuimus autem in ejusdem delineatione ipsius faciem posticam, sive illam, quæ a

lente oculari averfa debet esse, quod ipsum in Figura *D*, secus autem in reliquis observari necessum fuit. Huic Figuræ *C* inter rectas *ab*, *cd* applicanda veniunt Figuræ *D* latera *no*, *pq*, ope quatuor lamellarum, quarum duæ, *ef*, *gh*, in Figura *D*; reliquæ duæ, *ik*, *lm*, prioribus directe superimpositæ, & cochleis mutuo firmatæ, in Figura *A* apparent; quæque propterea ultra rectas *no*, *pq* porrectæ sunt, ut laminas *ab*, *cd*, utrinque comprehendant, quo tota Figura *D* intra dictas laminas fiat mobilis, & levi negotio huc illuc versus latera *ac*, vel *bd*, impelli possit. Cavendum autem hic summopere, ut parallela *no*, *pq* latera, tantum inter se distent, quantum latera *ab*, *cd*, quoque parallela, & ut dictæ quatuor lamellæ laminas oblongas *ab*, *cd*, utrinque tangant, nec hiatum aliquem relinquant, unde mota Figura *D* vacillare possit. Transversa quoque, quæ in Fig. *C* spectatur, trabecula *xy*, ita aptanda, ne motus Figuræ *D* ab illa impediatur. Una quoque ex supra dictis lamellis, puta *gh*, ita fabricata sit oportet, ut in ejus medio inveniatur foramen (matricem dicunt) intra cujus spirales crenas chalybea cochlea debite volvi queat. Prope hujus cochleæ alterum extremum, esto tympanum vel rotula dentata *rs*, volubilis cum ipsa cochlea *tu*, tanquam axe suo, in cujus altero extremo *t*, cuspis clavuli *w*, in Figura *C* spectandi; alterum *u* foramini rotundo, quod Figuræ *E* centrum est, immittitur, ut tantum supra orbem *E* figura quadrata promineat, quantum sufficit ad firmandum eidem gnomonem $\beta\gamma$, cujus altera extremitatum cuspidata est, ut divisiones in orbe distinguat & numeret; altera vero manubriata existit, quo ejus ope axis cochleatus *tu* in orbem agi, & mediante matrice *ff*, vel attrahere Figuram *D*, vel a tympano *rs* propellere possit. His ordinatis, tandem & Figuræ *F* latera *de*, *en* crenæ, quæ apud $\kappa\lambda$, in Figura *C* apparet, ita committenda, ut intra illam tota Figura *F* libere quidem sed sine nutatione moveri possit. Rotula dentata, quam in dicta Fig. *F* vides cochleato axi affixam, ita ordinata esto, ut dentes ejus dentibus rotulæ in Figura *D* expressis sint similes quidem, at numero duplo plures; axis quoque, qui per matricem ω transit, axi Figuræ *D*


ræ *D* prorsus assimilis sit, excepta longitudine, quæ illius tantum debet esse subdupla. Axios vero hujus extremitatum altera *6* intra parvulum foramea excipiat paxillus *z*; altera autem *7*, quæ ceres sit oportet, convenienti sibi foramini π , quod in Figura *E* vides, in quo cardinis vice fungi debet, inseritur. Notari autem velim, hujus axis cardines *z* & π ita debere esse dispositos, ut unius rotulæ dentes interstitiis dentium alterius rotulæ debite implicentur, quo conversione dupla rotulæ minoris, major rota, dum singuli dentes singulos protrudunt, semel (cum duplo plures, ut supra dictum est, dentes major rota habeat) in orbem agatur. Porro advertendum, in Figura *F* lamellæ ρ δ ϵ η aliam quadratam *2 3 4 5* quatuor clavulis *8, 9, 10, 11*, ex parte postica affixam esse, cujus duo *2 3, 4 5* latera non tantum ultra priorem lamellam multum eminent, sed & acuminatæ existunt, eo fine, ut hæ ipsæ crenis, quæ tubo optico insunt, possint immitti, & hac ratione Micrometrum tubo applicari, ibidemque ita firmari, ut circularis foraminis centrum Δ cum axe tubi ad sensum conveniat. Tandem & orbis *E*, cochleis ν , γ , bene firmetur, ne cochleati rotularum axes paxillis *w z*, quibus insident, excidere possint. His rite peractis, jam facile erit cuique ex dictis videre, si manu index orbiculi *E* in alterutram partem volvatur, Micrometrum iri apertum, & quidem ita (quod caput rei est) ut distantia inter duos pilos media semper futura sit in axe tubi, idque semper obtentum iri, sive magis, sive minus Micrometrum aperiatur. Dum enim Figura *F*, ut dictum, firmiter Tubo cohæret, volvendo gnomonem, ope longioris cochleæ *t u*, trahitur Figura *D*, cui duo pili, in lamella *i k* incurva sunt annexi, versus *E*; sed & Figura *C*, mediante altera cochlea *6 7*, una cum Figura *D*, (cum ipsi inhæreat) propellitur versus δ . (vid. Figuram *A*). Ast dum rotula minor duplo citius volvitur, quam major rota, pili Figuræ *D* affixi duplo plus moventur versus *E*, quam pili Figuræ *C* versus δ . Ergo dum duplo citius versus *E* pergunt, quam cum ipsa Fig. *C* versus δ , tantum recedet a δ Figura *D*, quantum Figura *C* eo accedet: hoc est, duo pili, qui se antea in centro foraminis tangebant,

con-

conversione gnomonis utrinque æqualiter a se mutuo recedent. Hac ratione obtinetur, ut quis diametrum apparentem stellarum Micrometro dimensurus, eam, dum inter pilos capit, hoc ipso etiam stellam in medio tubi sit habiturus; imprimis si & hoc accedat, ut pilus transversalis mp \perp per stellæ centrum transeat. Quantum autem referat objectum dimetiendum habere in medio tubi, non est, ut hic multis disquiramus, cum hujus rei necessitas jam a pluribus sit animadversa. Quod autem nemo hucusque, quod sciam, transversalis pili, qui prioribus normaliter incumbit, & per centrum foraminis transit, mentionem fecerit, mirum, quod sine illo exactam stellarum distantiam Micrometro dimetiri impossibile sit. Etenim cum sola Perpendicularis veram inter duas Parallelas distantiam metiatur, illa ignorata, nunquam de vera distantia poterimus esse certi; quin potius arguere, omnes sine hoc transversali pilo institutas huc usque distantiarum observationes fuisse justo paululum majoris. Cum autem ad absolutæ perfectionis Micrometrum non tantum requiratur, ut accurate eo observari possit, sed & expedite & commode, cum una eademque nocte plures, intra breve temporis spatium, habere observationes quandoque necessarium sit; hinc quid & hac in parte nostrum præstet, dicendum. Primo itaque duos cuique lateri addidimus pilos (quibus etiam plures adjici possent) quo diametri apparentes aut distantia, inter se multum differentes, absque multa gnomonis rotatione, (qua alias opus est, cum Micrometri apertura multum immutanda venit) mox propiores, mox magis inter se distitos adhibendo pilos, prout commodum fuerit, capi possint. Imo & ita aptata est hæc machinula, ut si quis non pilis, sed & istis lateribus uti velit, hoc commode fieri possit, gyrando nimirum tam diu gnomonem, donec ipsa latera conveniant & omnem fere aperturam claudant. Secundo observandum, nos lamellam lm , versus Π , \odot acuisse, ut mediante illius acie, divisiones in utroque latere expressæ & suis numeris insignitæ facilius distinguantur; divisionum initio factò, ubi priores duo pili se mutuo tanguant; numeris autem indicantibus, quot conversionibus gnomonis pili inter se distent: adeo

adeo ut ex his numeris & illis, quæ in orbe *E* expressi sunt, statim certiores fieri possimus de accurata Micrometri apertura, & inde Tabellam aliquam construere. Quod si quis cum Clarissimo Auzonto existimet, ejusmodi divisionibus fidere, nimis esse lubricum, quod hoc supponat fabricam Machinulæ, supra quam fieri potest, accuratam; is, ubi tempus suppetit, ipsa, a Clarissimo Viro, ope Microscopii, præscripta (vel alia) methodo, distantia filorum rationem inire poterit: sed si tempus huic negotio impendendum ad alias protinus vocaret observationes, non video, quæ melius omnibus semet insequentibus observationibus vacare possimus, quam divisionum ope cujusvis observationis aperturam ordinem consignando, ac deinde, cum observationis tempus præterlapsum & nobis commodum fuerit, juxta consignatos numeros Micrometrum restituere, & distantiam pilorum tum demum ope Microscopii, juxta præscriptum D. Auzonti, metiri; ubi apparebit simul, quantum mensuræ istæ inter se consenserint. Plurimas cautelas hic adhibendas, solertiæ & ingenio observatoris, cum brevitati studeamus, relinquimus.

Majorem adhuc fructum ex hac Machinula percipiet, qui tubo, cui applicatur Micrometrum, addiderit semicirculum in suos gradus divisum, sed ita suspensum, ut ejus diameter pilo Micrometri (vel transversali, vel alii, prout necessitas id exegerit) sit parallela; ceterum ita librari queat, ut tubo, ad quamcunque elevationem erecto, semicirculi planum nihilominus maneat perpendiculare, neque hujus plani situs perpendicularis unquam mutetur, etsi semicirculi diameter a plano horizontali, usque ad 45° . declinet. Mediante quippe tali semicirculo, errantium stellarum loca, dummodo Fixæ alicui (cujus locus supponitur esse cognitus) tam propinqua fuerint, ut cum eadem simul in Micrometro videri possint, exactissime poterimus dimetiri. Observata enim ope Micrometri



Fixæ *A* a Planeta *B* distantia *A B*, eodemque tempore angulo *C A B*, quem Allidada sive perpendiculum semicirculi metitur, in triangulo spherico *A B C*, rectangulo ad *B C*, juxta notas trigon. sph. leges, innotescet
R
latus

AC, altitudinum differentia, & BC, distantia errantis a verticali, quam obtinebat fixa tempore observationis. Quæ obiter solummodo meminisse hac vice sufficiat. Ceterum de structura Micrometri confer Tabulam II.

D. JOANNIS WESTPHALI, ACADEMICI
Curiosi, Pathologia Dæmoniaca.

Lipsiæ, apud hæredes Lankisii, 1707, in 4.

Constat plag. 20.

Obsessionum diabolicarum vulgo creditarum ut nullo non tempore, ita vel nostro hoc seculo plura prostant exempla, quas inter illa potissimum notanda venit, qua puella Zittaviensis anno 1701 & 1702 fuit vexata, cujusque historia ad Virum summe Reverendum Dominum D. Valentinum Ernestum Lœscherum a M. Grunewaldio, Verbi divini Ministro & Catecheta Zittaviensi, transmissa & D. Westphalo communicata fuit. De qua meditationes quasdam in chartas conjecit hic, easque Ephemeridibus Academiae Leopoldino-Imperialis Naturæ Curiosorum Anno ultimo Decuriæ III sub titulo *Epilepsia secundi gradus a fascino cum catalepsi admiranda* inseruit, postea correctiores & auctiores paulo Collectori Novorum Literariorum Hamburgensium sub *Pathologia Dæmoniaca* titulo inferendas transmissit. Quam Pathologiam Dæmoniacam subcisivis horis revisit, erronea quædam correxit, dubia & obscuriora a curiosis sibi opposita ex principiis Physico-Magico-Medicis, non minus Sacræ Scripturæ, quam Celeberrimorum Virorum Historiis ac Observationibus, ut & Actis quibusdem Inquisitionalibus de Veneficis & Sagis confirmavit, diaboli in homines, bestias, aves, insecta &c. se transmutandi, nec non sagas in montem Brueterum vehendi impotentiam, indeque ortam idololatriam fascinatam erudito orbi commonstravit.

Scilicet puella hæc Zittaviensis anno 1701 die 7 Decembris locum, in quo aqua ex ollula in gyrum quasi effusa ac dispersa videbatur, supergressa, mox horrore membrorum, vespere nausea, vomitu, lipothymiis & subsequenter oculorum aliarumque partium, quin & totius corporis miris convulsionibus

busprehendebatur; sæpius cataleptico-ecstatica reddebatur, de præsentibus & præteritis prudentes cædebat sermones, futura prædicebat &c. Ipsa ægra vetulam accusabat quondam, a qua tanta sibi pararentur mala, hinc varias ejus describebat actiones, & quo in angulo hypocausti laterent media incantatoria, detegebat. Mortua denique vetula die 21 Junii subsequenti anni omnia phænomena remiserunt & evanuerunt. Morbum hunc Autor noster vocat Epilepsiam secundi gradus, vulgo dæmoniacam, alias cursivam, saltatoriam, & rotatoriam appellatam; cujus explicatis phænomenis, allegatisque parallelis exemplis, causam occasionalem fascino, proximam materialem effluvia liquoris aquei, (qui forsan decoctum hyoscyami aut similis vegetabilis phantastica vi præditi fuit) prope fores effusi, medium clavem, quam incantatrix circa baculum suum aliquoties gyravit, & reliqua magica in hypocausti angulo reperta constituit. Quibus tamen solis mira illa phænomena & extraordinaria symptomata, sed his ipsis, mumia microcosmica spirituosam vitali tam puellæ, quam incantatricis vetulæ imprægnatis, hujusque idea desiderii & intentionis malitiosæ, illiusque idea odii contra vetulam signatis & sigillatis adscribenda esse existimat. Ipsum enim modum seu rationem formalem in firmissima incantatricis imaginatione ac in propriam animam ac mentem impressione consistere putat, mediante qua effluvia dicti liquoris, omnesque cum clave, baculo, ac reliquis mediis magicis actiones, hisque mediantibus omne suum desiderium & intentionem malitiosam, addita dubio procul simul adjuratione quadam, formaliter ad solam hanc puellam direxit hæc. Cataleptica facta fuit puella, & de præsentibus ac præteritis prudenter loqui, & futura prædicere potuit, quatenus animæ influxu ad centrum ovale intercepto, hujusque sensationibus & reliquis in cerebro functionibus ad tempus impeditis, mens immortalis omniscia ab illius ac corporis commercio separata intellectu suo divino egit. Mens equidem, tanquam auræ divinæ particula cum corpore animali nostro non intime aut hypostatice commixta, nec ullum cum hoc ejusque œconomia & functionibus commercium habere, sed

mediante anima, tanquam vinculo spirituoſo connecti & uni-
 ri, & per ſolam inhabitationem in nobis quieſcere ſtatuitur.
 Quo reſpectu a Philoſophis & Theologis immaterialis & im-
 mortalis vocari ſolet, non quaſi per ſe omnis materiæ hujusque
 certæ diſpoſitionis, ſtructuræ aut modificationis, formæ nimi-
 rum ſpecificæ, qua ab aliis ſpirituofis ſubſtantiis diſtinguitur,
 expers ſit, ſed quatenus tanquam pars componens hominem,
 quidem conſtituat, & a ceteris animantibus diſtinguat, nulla-
 tenus tamen, tanquam materialis ſubſtantia ab hominis corpo-
 re dependeat, multo minus cum eo intereat; hacque ratione,
 materialem eſſe & ſimul mortalem non repugnat. Extra pa-
 roxyſmum vero catalepticum puellam noſtram inſolitam rerum
 cognitionem & futurorum præſcientiam per ſomnium addidi-
 ciſſe putat Autor Clariffimus; ſiquidem in ſomno corpus ſi-
 militer fere ac in Catalepsi mortui inſtar jacet, mens vero tan-
 tum viget & vivit, adeoque a ſenſationibus & mundanorum
 impreſſionibus vacat, atque a vinculis animæ liberior ad reci-
 pienda coeleſtia idonea & multo divinior eſt. Atque talia
 ut plurimum in ſubjectis frigidioribus & placidioribus, uti ſunt
 hypochondriaco-melancholici, phlegmatici & pituitofi, obser-
 vantur; quorum iſti propter ſalia acriora, rigidiora, & aſpe-
 riora in maſſa ſanguinea, hincque ſpiritus craſſiores, quaſi te-
 nebricoſos & in motu tardiores naturaliter ſunt taciturni, & co-
 gitabundi; hi vero una cum illis a ſuccis ſeroſis, mucilaginoſis,
 aut uberiore chylo dulci in actionibus ſegnes, torpidi, tædioſi,
 ſomnolenti &c. paucos ſpiritus gignunt, unde citiſſime ſomni-
 ant. Ubi vero ſpiritus animales nimis ſubtiles, nimiumque
 mobiles ſunt, mens illis incarcerata brutis illis & ſenſitivis ap-
 petitibus adeo immergitur, ut altioribus & profundioribus me-
 ditationibus vacare non poſſit. Reliquæ ex impreſſione ido-
 lolatrica ortæ apparitiones, ridiculæque diaboli infernalis, nunc
 in monachum aut viros nigros, nunc in leones, boves, canes,
 lupos, feles, glires aliaque ſexcenta animalia metamorphoſes ex
 Autoris ſententia nil aliud ſunt, quam ipſorum dæmoniaco-
 rum, ſic dictorum, phantaſmata a teneris annis ab infantum nu-
 tricibus & gerariis atque parentibus aliisque animo impreſſa.

Cessa-

Cessationem denique paroxysmorum in puella cum incantatrix morte ex consensu mumiali, hujusque actione in distans deducit Noster. Cum enim vetula incantatrix firmissima imaginatione ac in propriam animam impressione effluvia liquoris omnesque cum mediis magicis institutas actiones ad puellam direxerit, factum, ut extincta per mortem corporea anima, antea tamen e medio sublatis instrumentis magicis, ideæ hæ malo animo impressæ simul deletæ fuerint, & cessante causa effectum quoque magicum cessare oportuerit.

Huic tractatui adjunxit Autor Clarissimus *Judicium Physiologico-Medicum, de Cura Sympathetico-Magnetica, omnibus æconomis & rusticis familiari, contagii cujusdam equini, contumulatione infecti alicujus equi morituri felicitè peracta; ut & observationes & experimenta Chymico-Physica, de prodigiis sanguinis, in specie de massa cruenta spumosa mense Julio & Augusto anno 1700 piscina publica σμικρο-Lissaviensi prope Delitium supernatante. In priori actum hunc neutiquam fascinatorium, nec superstitiosum, nec Magiæ licitæ contrarium appellari posse, sed ad curationes sympatheticas & magneticas potius referendum esse, adeoque causas suas naturales agnoscere edocet. Quas ut explicet, supponit: Effluvia aerea aut spirituosæ maligna vel contagium venenosum unicam saltem animalium speciem afficiens cum hujus principio ac spiritu vitali atmosphærico uniri & ita specificari, ut deinde nullam aliam speciem nisi sibi appropriatam afficere, idque ex confermentatione mumiali contagii cum spiritu animalis, & tam propter communicationem præsentaneam, quam etiam in distans, mediante spiritu mundi, similem spiritum vitalem symbolizantem afficiente. Hinc si equi morituri spiritus vitalis contagio inquinatus sub contumulationis actu propter imminentem & anxiosam suffocationem tot tantisque cruciatibus submittitur, & simul anxie morienti animali una alteraque phantasia, hacque mediante memorato spiritui seu animæ vitali novæ quædam ideæ, novusque character imprimuntur, necessario spiritus vitales aerei individualium specierum præsentium & distantium una cum contagio uniti, propter symbolum unitatis & mumialem consensum mediante spiritu mundi æthe-*

reo eandem alterationem eundemque characterem persentiscunt, ac eo ipso contagium simul venenosum aereum alteratur, suffocatur, atque sic crasis illius penitus destruitur. Quæ eo feliciter succedunt, si cum hac actione conjuncta fuerit fortis impressio, & fides, tam heri, utut absentis, quam operantium familiarium, qui ut plurimum rationibus physicis destituti omnia, quæ agunt, fide simplici & carbonaria forti impressione magnaque fiducia operantur. Ex posterioribus massam illam cruentam ranas esse, si non pisces simul, didicit, tempore hyberno ordinarie sub aquis in profundo lacuum latitantes, aut in piscinula congelata aut a muco coacervato plurimis ab annis non expurgata suffocatas, inque putrilaginem redactas; aut quod eodem recidit, ipsum ranarum aut piscium sperma credidit, quorum alterutrum successive alteratum & cum terra piscinæ martiali, sale terreo-vitriolico imprægnata confermentatum & in chylum quasi mucilaginosum resolutum & rarefactum, tandemque ab aere nitroso, adjuvante radiorum solarium calore in sanguineum huncce colorem, ceu ipsum prædictorum animalculorum sanguinem digestum fuit.

NOTES SUR LE CONCILE DE TRENTE.

i. e.

*NOTÆ IN CONCILIUM TRIDENTINUM, CIRCA
ea, quæ ad Disciplinam Ecclesiasticam pertinent.*

Coloniæ, apud Balthasarem d'Egmont, 1706, 8.

Alph. 1 plag. 1.

ET si explicationem Tridentinorum Canonum sibi reservavit Romanus Pontifex, tamen Autor, ejus cetera auctoritatem reveritus, licere sibi putavit, ut suppresso nomine eos, qui ad disciplinam Ecclesiasticam pertinent, Canones conferret cum Patrum sententiis, Conciliorum aliorum Decretis, Pontificum rescriptis & celebriorum Juris Canonici interpretum sententiis; quæ ipsa est hujus libelli indoles, juxta Canonum Tridentinorum seriem tradentis farraginem variarum, Historicarum æque
ac Le-

ac Legalium, observationum, ita tamen, ut quantum ad recentiora, ad Galliam præsertim respiciatur.

Animus Auctori est, æquitatem Tridentinorum scitorum ostendere; quamvis non dissimulet, passim illis inter Gallos contradici, maxime in rebus ad matrimonia, xenodochia & pauperum curam pertinentibus. Ita vero se gerit, ut ferme in medio persistens, & Tridentinis patribus honorem summum habeat, & Regis procerumque Gallicorum ac Parliamentorum jura illæsa velit. In Conciliorum nationalium & congregationum Cleri Gallicani decretis enarrandis multus est, neque prætermittit ea, quæ ex Suavi & Pallavicino ad Synodi Tridentinæ Acta peculiariter spectant. Sic fuse disserit de dissimulatione nominum auctoribus librorum interdicta *p. 3*, de Theologalium origine *p. 9*, de Monachorum jure concionandi *p. 17*, de residentia Episcoporum, quam vocant, *p. 27*, de beneficiorum pluralitate *p. 113*, de jure patronatus *p. 252*, de peculio Religiosorum *p. 335*. An Episcopi dispensare possint? erudite disputat *p. 272*. De jure Capitulum Cathedralium, præsertim sede vacante, non perfunctorie agit, interque alia observat, illud a Panormitano arctissime adstringi, ampliari vero a Rebuffo, *p. 158* & cum olim nullum fuerit, a trecentis vel quadringentis circiter annis ortum esse, *p. 159*. Auctorem Decreti Tridentini de matrimoniis tantopere laudati, quem P. Suavis ignoraverat, Franciscum Belcarium, Episcopum Metensem, esse docet *p. 294*. Ut gustum aliquem libri demus, enotabimus quædam, quæ de exemptione Monasteriorum *p. 56 seq.* dicuntur. Ex veteri Ecclesia trahuntur exemptionis exempla, videlicet Hieronymi & Monachorum Bethleemiticorum, Episcopo Hierosolymitano non subditorum, Monachorum, quos Concilium Arelatense Episcopo subesse voluit, & Afrorum quorundam Religiosorum, Episcopi suæ provinciæ jurisdictionem defugientium. Additur, quod inter Græcos olim Exarchi Monachorum fuerint, non impedito jure utentes, quodque Monasteria multa soli Patriarchæ Constantinopolitano subfuerint. Ex Gallicana historia adducuntur exempla exemptorum Monasteriorum Lirinensis, S. Dionysii, Corbiensis, S. Mauritii & Luxoviensis, narraturque, Gregorium

gorium M. Papam multis præsertim Monasteriis jus *ἀνομιίας*, ut sic dicam, Ecclesiasticæ contulisse. Multa Monasteria sic dicuntur fundata, ut soli Pontifici subessent, v. gr. Fuldense, Cluniacense, &c. debilitatisque Episcoporum juribus, etiam annulum, mitram aliaque Episcoporum signa Abbatibus fuisse concessa, quamplurimas vero exemptiones Avenionensi schismati deberi, cum utriusque partis Pontifices talibus privilegiis adstipulatores sibi mercarentur. Hinc de fundamentis jurium utriusque partis, & Episcoporum, & Monachorum, prolixè agitur. Interdum historiæ litium de disciplina Ecclesiastica percuriosè recensentur, v. gr. quæ A. 1655 inter Episcopos quosdam & Vicarios Parisiensis Dioceseos iisdem sacris interdicens gesta sint, p. 87, quæ A. 1667 & A. 1675 circa Parochos mobiles, vel temperarios, Aquis Sextiis acciderint, p. 133, nec non quæ A. 1677 in Parisiensi Parlamento circa Thesin Hullierii, Doctoris Sorbonici, de causis matrimonium dirimentibus acta sint, p. 316 sq. ubi Talonii, Advocati Gener. Regii, Oratio contra eos, qui jus circa matrimonia Ecclesiæ ut peculium tribuunt, integra legitur. Id unum nolimus reticere, quod p. 313 Ludovicus Pius cum Bavaro confundi videatur.

Accesit huic libro *Dissertatio de receptione Concilii Tridentini in Gallia*; in qua Auctor primum recenset, qua ratione Claudius Sanctius Espencæus aliique Ecclesiæ Gallicanæ nomine illi contradixerint, Pontifices & Clerus Gallicanus ejus receptionem frustra quæsiverint; credit tamen, tacite hætenus illud etiam in rebus ad disciplinam pertinentibus receptum, eamque rem pro divina habendam. Nihilominus in ea est sententia, posse Rempublicam Ecclesiæ statutis, si illi noxia vel eadem non legitime publicata sint, contradicere. Idem XIX causas a Præside Parlam. Paris. le Maistre, & XIII alias ab Antonio Hottomanno collectas, propter quas admitti hoc concilium in Galliis non possit, recenset. Ceterum in toto suo negotio admodum ambigue se gerit, ut nunc Concilii auctoritati, nunc Gallicanæ Ecclesiæ juribus servire videatur.

LE THEATRE SACRÉ DES CEVENNES, &c.

hoc est,

*SACRUM CEMMENI THEATRUM, SEU NARRATIO
diversorum portentorum in hac Occitania
parte nuperrime editorum.*

Pars I.

Londini, apud Robertum Rogerium, 1707. in 8.

Constat plag. 10.

Fama præterito anno percrebuit de novis quibusdam in Anglia Prophetis, qui multas Londini turbas dederunt, ut ad eas componendas publica Magistratus autoritate in illos fuerit animadversum. Eminent inter eos *Elias Marien, Johannes Cavalier & Durandus Fagus*, qui sæpissime in ecstasin prolabentes, mira corporis totius concussione membrorumque omnium agitatione facta, non modo præsentis ad pœnitentiam ac pietatem sinceram adhortantur, sed & futurorum contingentium prædictionibus fidem verbis addunt. Cum vero de status sui extraordinarii ratione coram judicio interrogarentur, non modo ipsi, sed & alii complures plurima jurato enunciarunt, quæ fidem humanam superare videntur. Quæ igitur integra testium nubes de similibus ecstasibus in Cemmeno Occitaniæ monte factis sancte attestata fuit, *Maximilianus Misson*, notissimus Itinerarii Italici Autor, in unum volumen collegit, atque ideo sub suo nomine publici juris fieri voluit, ut novis Prophetis contra aliorum sinistra judicia Apologiæ loco essent. Propositum nempe est Editori evincere, quod a sex circiter annis in monte illo Cemmeno magnus hominum omnis ætatis ac utriusque sexus extiterit numerus, qui fuerint & adhuc sint in statu isti simillimo, in quo ipsorum conterranei supra nominati nunc *Londini* deprehendantur. Optime *Missonius* de novis hisce Prophetis sentit, eosque ab omni crimine, cujus insimulantur, liberos pronunciat: id quod sedula inquisitione facta se deprehendisse ait. Vocat homines humiles, mansuetos, patientes: omnem ab iis præcul abesse affirmat *προσωποληψίαν*, fraudem omnem,

omnem, artificium omne: molimina ipsorum ad Deum glorificandum, homines sanctificandum unice tendere: statum eorundem circumstantiis adeo miraculosis nobilitari, ut nihil absurdius sit, quam eos in ægrotantium aut fanaticorum numerum referre. Quare tandem eos appellare non veretur instrumenta admiranda in manu Dei, per quæ sapientia ejus ac omnipotentia ardua & stupenda patravit. Agedum igitur in scenam quoque nostram producamus testes supra indicatos, *Johannem* nempe *Vernet*, *Petrum Chaman*, *Johannem Cabanel*, *Johannem Castanet*, *Jacobum Bresson*, *Jacobum Mozel*, *Claudium Arnassan*, *Jacobum du Bois*, *Guilielmum Brugier*, *Johannem Cavalier*, *Davidem Flotard*, *Sibyllam de Brozet*, *N. de Caladon*, *Eliam Marion*, *Mariam Chauvain*, *Saram Dalgone*, *Elisabetham Charras* & *Durandum Fage*, ut intelligamus, quæ ratio *Missonio*, circumspectæ prudentiæ viro, judicium tam mite tamque insigne de novis Prophetis persuaserit. Summam vero eorum, quæ juramento confirmarunt, ita habeto. Ab initio præsentis seculi personæ longe plurimæ utriusque sexus & ætatis cujuscunque in montibus Occitaniæ frequentissime, inprimis in conventibus noctu in sylvis ac speculis metu persecutorum celebratis, in ecstases extraordinarias prolapsæ, & post insolitos corporis tremores, purissimo idiomate Gallico, (quo extra ecstasin loqui non dabatur) voce distincta, *παρρησία* ineffabili, ad pœnitentiam & vitæ sanctimoniam præsentibus adhortatæ, idololatriam Papisticam & omnem reliquam superstitionem abominatæ, peccatoribus induratis duriter comminatæ, & Deo viventibus infinitas benedictiones pollicitæ sunt: nunquam tamen controversias Theologicas, quas diversarum religionum doctores non sine fervore inter se agitant, tetigerunt. Certe *Johannes Vernet* anno 1702 mense Majo Monte Pessulano infantem 13 aut 14 circiter menses natum & linteis adhuc involutum, in præsentia 20 minimum hominum, durante ecstasi voce distincta ac per omne conclave perceptibili mirabilia Dei annunciantem atque ad pietatem infucatam exhortantem summo cum stupore audivit. Ibidem *Jacobus du Bois* infantem inspiratum & mense ætatis decimo quinto Gallico idiomate prophetantem

tantem admiratus est. *De Caladon* foeminam rusticam, omnium rerum ignaram & ne tria quidem verba Gallica extra ecstasim combinare valentem, maxima cum facundia in ecstasi Gallice perorantem prædicat. In ecstasi affirmavit puella, non se, sed Spiritum Sanctum per ipsam loqui: & plures affirmarunt, se extra ecstasim repetere non posse, quæ in eadem dixerant. Immo *Johannes Cavalier* publice coram judicio *Londini* mense Januario anni proxime elapsi professus, se non esse causam suarum in ecstasi agitationum, nec unquam ea loquendi intentionem habere, quæ loquatur, sed sponte veluti verba ex ore fluere. Ab inspiratione subita morum mutatio in adultis facta, quæ inspiratos non nisi ad malum fugiendum, bonum committendum perduxit, & continuum ipsorum exercitium in precum effusione, librorum piorum lectione, psalmorum cantatione & conversatione cum sui similibus constitit. *Flotardus* inspiratorum minimum 8000 numeravit & anno 1703 Ducem *Rolland* cum integro fere ejus exercitu in inspiratione vidit. Audiamus vero & portenta, quibus novos Prophetas doctrinæ suæ veritatem confirmasse ferunt. Secretas scilicet aliorum cogitationes publice præsentibus aperierunt. Aderat *Jacobus Mozel*, cum inspiratus 4 foeminis curiositatis gratia ad concionem accedentibus exprobraret, quod neglectis precibus cubitum irent, nec ipsæ confessionem urgenti factum negare possent: & *Johannes Cavalier* sibi ipsi tale quid obtigisse confessus est. Etenim annos 16 natus una cum aliis in conventum inspiratorum venit, visurus, quidnam rerum ibi gereretur. Dixit puer in ecstasi, adesse quosdam, quos sola curiositas eo vocaverit, illiusque characterem adeo graphice delineavit, ac si intima cordis ejus perscrutatus fuisset. Cum exitum meditaretur, alius in ecstasi prolapsus affirmavit, adesse quendam, qui malo animo huc accesserit & nunc exitum paret, quæque hic secum cogitaverat, palam enunciavit. Valde igitur commotus *Cavalier* Deum supplex invocavit & ad sermonem patheticum, quem puer legere nescius cum omnium admiratione ac commotione summa idiomate Gallico, quo loqui alias nesciebat, recitabat, summe attentus perstitit. Domum reversurus in via lacrymis, preci-

bus ac internis commotionibus locum dedit, reversusque & ipse in similem ecstasin prolapsus est, atque triduo jejunans nec sitim, nec famem ullam sensit. Multa futura contingentia certo prædixerunt, ex. gr. hostium adventum, victoriam ab hostibus reportandam, nonnullorum captivitatem ac liberationem ex carcere: quæ omnia eventu, tempore sæpius definito, comprobata. Prædixerunt etiam felicitatem Ecclesiæ, ruinam Babylonis instantem & *Monte Pessulano* puer 8 annorum Protestantium in Gallia restitutionem. Sæpius aura psalmodum cantu dulcissimo resonuit, nullo cantore præsentem, nec humana voce ad istam dulcedinem producendam sufficiente. Non tamen omnes confluentes melodiam Angelicam percipere poterant, ut nonnulli ipsa psalmodum verba distincte notarent. *Elisabetha Charras* jussu Spiritus 9 dies ab omni cibo ac potu abstinuit. *Clary* cum in inspiratione dixisset, duos adesse exploratores, hique tandem rem confessi a patruo *Johannis Cavalier* (cui idem nomen) veniam peterent; nonnulli simulatum miraculum affirmabant. Ille igitur eos increpans flammam excitari jussit ac per horæ quadrantem mediis in flammis incolumis perstitit, donec extinguerentur, ne ullo quidem crine læso. *Durandus Fage*, unus ex illorum numero, qui ligna ad struem apportarunt, testatur, cum *Clary* flammam ingrederetur, præsentem fuisse spectatores 600 milites & totidem homines alios utriusque sexus ex locis vicinis concurrentes, & flammam non modo ipsum undiquaque circumdedisse, sed & supra caput ejus coaluisse. Similiter *Elie Marionis* frater ad scepticos præsentem convincendos Spiritus jussu ventrem cultro ingente percussit, ne minima quidem vulneratione facta: ipse vero *Marion* præsentibus multis in luce meridiana sanguineas effudit lacrymas easque copiosas. Cum anno 1705 mense Octobri duo inspirati ad rotam & rogam damnati fuissent, & brachiis ac cruribus fractis rogo imponerentur, e mediis flammis de rogo descenderunt: mox vero a furente milite in eas repulsi inter celebrationes nominis divini animam efflarunt. Tenendum nimirum, quod, ecstasibus invalescentibus, Rex Galliarum graviter in inspiratos animadverti jusserit: multi enim miserrime

truci.

crucidati, multi in carcerem coniecti. Quoniam vero liberorum culpa (si quidem status iste extraordinarius culpæ nomen meretur) parentibus imputabatur; hi ipsi in infantes sæpius sævierunt ac liberos inquisitoribus sponte obtulerunt, ne criminis, cuius insimulabantur, participes fierent. Sed ecce parentem filiolum ad inquisitores deferentem, quo pœnam, quam metuebat, effugeret, mox iis adventantibus in ecstasi prolapsus, dono vaticinandi ex filio in patrem translato. Talia fata dum inspiratos eorumque asseclas premebant, a Spiritu iussi arma contra Regem capiebant, omnia negotia sua inspirationibus conformiter dirigentes, nullo milite excubias agente, hoste licet vicino, quia Deum excubias agere persuasissimi erant, cui voluntatem suam prorsus permiserant. Producit etiam *Missonius* locum ex Historia Fanaticismi nostri temporis, quam idiomate Gallico *de Brueys*, Monte Pessulano oriundus, Parisiis 1692 edidit, in quo de similibus inspirationibus ab anno 1688 in *Delphinatu* factis agitur. Refert enim hic Autor, dicto tempore in *Delphinatu* inventos esse 500 aut 600 utriusque sexus, qui se pro Prophetis & a Spiritu S. inspiratis venditarunt, iisque mox accessisse infinitum aliorum numerum, ita, ut minimi conventus fuerint 400 vel 500, majores vero interdum 3000 vel 4000 hominum. Dixisse Prophetas ad congregatos: Fratres, respiscite, agite pœnitentiam, finis mundi appropinquat: respiscite a peccato ingenti frequentandi missam: Spiritus S. loquitur per os meum. Ipsos misericordiam obtestatos fuisse, imprecationes adversus Sacerdotes, Ecclesiam, Papam, imperium Antichristi, Missam evomuisse; ejurationem religionis Protestantium exprobrasse aliis, & instantem Papatus ruinam prædixisse; militum contra eos missorum atrocitatem judicumque minas risisse, ac in carcere duriter habitos, immo mediis in suppliciis inspirationes suas adhuc defendisse. Librum *Missonii* Anglice vertit *Lacy*, Nobilis Anglus, cumque sæpius cum cura inspiratorum Londinensium statum examinasset, tandem & ipsi donum prophetandi concessum est: quemadmodum videre est ex ipsius libello, idiomate patrio de iis, quæ in ecstasi pronunciavit, publicato sub titulo: *The prophe-*

tical warnings of Jean Lacy. Multum obtestatur, nunquam se talem statum desiderasse; sed Deum potius rogasse, ne tale quid adversus ipsum decerneret. Nunc tamen illum sibi exoptatissimum profitetur: animam enim in ecstasi gaudio ineffabili perfundi & constanter ad Deum erigi. Est alias animus ejus ad melancholiam minime propensus; abundat opibus, gaudet sanitate, in optimo vigore constituitur. In ecstasi Græce ac Latine loquitur, quarum linguarum vix rudimenta in pueritia didicit; & extra ecstasim his idiomatibus quicquam vel scribere, vel eloqui impossibile ipsi est. Immo fatetur, se inspiratum in vernacula lingua verbis ac phrasibus uti, quæ ignoraverit, antequam ea pronuntiaret. E quibus omnibus se convictum esse ait, quod Deus in se operetur. Expectat etiam summa cum fiducia donum sanandi ægrotos, a Deo sibi promissum. Multos & Anglos & Gallos in similes ecstases incidere, & interiores adstantium cogitationes manifestare notat. Addit multos Socinianos his mirabilibus adductos venerari Sacrosanctam Trinitatem. Edidit etiam *Fatio* libellum, cui titulus: *Avertissemens prophetiques d'Elie Marion*, hoc est, Exhortationes propheticæ *Elie Marionis*: idemque misis studiis Mathematicis, quibus hactenus inclarescere studuit, inspiratos constanter sequitur, omniaque diligenter litteris mandat, quæ in ecstasi loquuntur.

A NEW VOYAGE AND DESCRIPTION OF
the Isthmus of America.

hoc est,

ITINERARIUM NOVUM ET DESCRIPTIO ISTHMI
in America. Autore LEONELLO WAFERO.

Londini, apud Jacobum Knapton 1704, in 8.

Constat plag. 20 & Tabb. æn. 4.

Cum Autor de itinere suo Americano in genere differuisset, ad descriptionem Isthmi Americani progreditur, cui fluvius maximus nomen *Darien* dedit. Agit autem prolixè de figura ac situ istius regionis, de tempestatibus statis, de arboribus earum-

rumque fructibus, de plantis, de animalibus quadrupedibus, reptilibus, volatilibus & natatilibus, de incolis eorumque moribus, consuetudinibus, lingua, modo numerandi &c. Accessit huic editioni secundæ Historia naturalis illius Isthmi, a quodam Societatis Regiæ Anglicanæ Socio conscripta, una cum expeditione *Nathanaelis Davis* ad fodinas auríferas in *America Hispanica*. Nos more nostro quædam notatu digniora excerpemus. Memorabili exemplo Autor edocet, propter montium viciniam ac declivitatem a lapso imbri flumina ita intumescere, ut extemplo agri vicini toti obruantur, aqua ad aliquot pedum altitudinem assurgente, intra paucas tamen horas in alveos suos refluenta. Lepidus est mos Indorum, quo phlebotomiam administrant. In flumen scilicet descendunt, ægroto in saxo ad ripam confidente, cuius totum corpus sagitta undiquaque feritur, donec forte fortuna vena aliqua vulneretur: quo facto miris gestibus triumphant. Nec illepidus est mos eorundem jurandi per dentem suum, manu eidem imposita. Inprimis vero attentionem merentur, quæ de oraculi quodam responso referuntur. Indi nimirum, Autore ac sociis ejus quærentibus, ecquando navem aliquam adventuram suspicarentur, incantatores suos (*Pawawers* vocant) accersere, ut Dæmonem aliquem advocarent atque ab eo tempus navis adventuræ discerent. Hi ergo post vela omnis generis avium ac bestiarum voces imitantur, silentia subinde vociferationibus interponentes. Ast nulla ipsis cum redderetur responsio, Anglos ex ædibus expellunt, atque clamoribus per integræ horæ spatium frustra denuo continuatis, ipsorum etiam vestimenta ejiciunt. Respondit tandem oraculum, decimo abhinc die duas adfore naves; statim mane auditum iri tormenti primi sonitum, ac paulo post sonitum alterius; unum ex sociis vita privatum iri & abituros tormenti unius jacturam facturos. Prædictioni quam accuratissime respondisse eventum, Autor asseverat. Mireris porro Indorum in piscando ac triturando ruditatem: grana enim digitis ex aristis evellunt, & in fluviis limpidis pisces visos insequuntur natantes, donec cavitatem aliquam ingressos manibus extrahere detur. Panis usum ignorant; grana frumenti tosta in varios usus lapidibus comminuunt. Tempus per arcus a Sole sive motu diurno, sive annuo descriptos computant, cum
nulla

nulla dierum in hebdomades divisio ipsis nota sit. In numerando ultra centenarium non progrediuntur, numeros majores per capillorum fasciculos, numerum ineffabilem per capillos omnes indigitantes. Nomina numerorum præcipua sunt *1 conjugo*, *2 poquah*, *3 pauquah*, *4 pakequah*, *5 eterrah*, *6 indricah*, *7 coogolab*, *8 paukopah*, *9 pakekopah*, *10 anivego*, *11 anivego conjugo* &c. *20 toola boguah*, *40 toola guannah* &c. Dum *anivego* pronunciant, manibus ambabus applaudunt, moxque *anivego conjugo*, *anivego poquah* &c. pronunciantes digitos manus dextræ successive applicant digitis in sinistra respondentibus. Viginti per *toola boguah* exprimentes bis manibus applaudunt, & dum triginta per *toola bogua anivego* enunciant, ter plausus repetunt. Et mares & foeminae nudo incedunt corpore: hæ ab annis pubertatis pudenda utraque, isti penis non nisi hastam velant, scroto omnium conspectui relicto. Mares semper lamina argentea vel aurea, quæ lunæ semiplenæ figuram æmulatur, os tegunt: foeminae ejus loco annulo circulari utuntur. Unus maritus multas ducit uxores, ipsum submisse venerantes ac servitia omnia præstantes, plagis tamen nunquam afficiendas nec verbis duriter tractandas. Adulteria in utroque sexu capitis poena digna censentur: gratiam tamen recipit uxor, si marito factum sponte confessa juret, se vi adactam fuisse. Crines uterque sexus prælongos alit, ac foeminis in ipsa cute avium, quadrupedum, hominum, arborum &c. figuræ depinguntur. Illud prorsus mirabile existit, reperiri inter ipsos peculiare quoddam hominum genus a reliquis toto cælo differentium. Cutem enim habent candidam ad instar capillorum equi albi: interdium distincte non vident, immo lucem diurnam ferre nequeunt oculi eorum; optime ad lunare lumen cernunt. Liberi ex ipsis nati reliquis Indis assimilantur minime parentibus suis. Dicuntur autem foeminae albos parere liberos, si gravidae frequenter in luna oculos defigant. Regio vallibus & collibus obsita: in istis rivi plerumque decurrant. Animantium, imprimis piscium, magnus numerus; ast non magna bestiarum varietas. Jumentis nostris carent; muribus & gliribus abundant: unde feles ab Europæis illuc delatas in pretio habent. Aves ibi reperias varii generis, quas inter aliquæ nobis ignotæ. Idem de arboribus ac plantis dicendum.

ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Aprilis, Anno M DCC VIII.

2. HORATII FLACCI VITA ORDINE CHRONOLOGICO sic delineata, ut vice sit Commentarii Historico-Critici in plurima & præcipua Poetæ Carmina, quæ veris redduntur annis, &c. Auctore JOANNE MASSON, A.M. & E.A.P.

Lugduni Bat. apud Andream Dyckhuysen, 1708, 8.

Alph. 1 & plag. 2.

CUM antiquitatis studio ductus diligentissimus *Massonius* scriptores quoscunque antiquos versaret sedulo, larga messis ipsi subnata, unde plura antiquitatis capita, hactenus vel plane ignorata, vel obscure tantum cognita, illustraret, illustrium auctorum fata detegeret, ac ordine pertexeret, eorum scripta recenseret, suisque temporibus singula assignaret, atque a pravis recentiorum interpretationibus vindicaret. Hujus singularis in veteres studii primum specimen Horatii Vita exhibet, quam secuturas alias, non vane pollicitum esse doctissimum Auctorem, Ovidii Vita docet, quam prodiisse modo, ex Ephemeridibus ad nos delatis discimus. Antequam vero Vitam Horatii ordiatur, monitum Lectorem vult, epocham ab Urbe condita, quam adhibet, Varronis esse, cum aliis & Cl. Dacerio Valerii Flacci rationes se magis probent, quas ille in Fastis a se ordinatis, vulgo Capitolinis dictis, secutus est. Interim discrimen illud non adeo magnum est, cum uno tantum anno diversæ æræ discrepent, consulibus conveniant. In ipso opere, ubi Autor historici partes tuetur, frustra sperabit Lector justos commentarios in Horatii poemata. Qui enim Grammaticis

maticis tenentur delitiis, iis satisfacturum spondet summum Britannicæ Criticum, Richardum Bentlejum, cujus opus jam prælum exerceat, quo plures emendationum centuriæ certis criticis regulis suffultæ Horatium summopere dilucidabunt. Tandem omne pravorum affectuum erga alios vitium a se vult alienum haberi, & a Cl. Dacero, cum quo vix unquam ipsi convenit, veniam sibi promittit, quod ipse Vir clarissimus jam fidem dederit, se non ægre laturum, quando quis errores suos confutaverit. Hæc generatim de ordine operis; ipsam Horatii vitam ab Auctore plenius descriptam ad ejus methodum in compendio exhibebimus. Natus Poeta est anno U. C. juxta Varro- nem DCLXXXIX, ante Christum LXV, L. Aurelio Cotta & L. Manlio Torquato Coss. patre libertino, exactionum coactore. Patriam habuit Venusiam Dauricorum coloniam, nec ante septimum ætatis annum relicta patria in Urbem deductus videtur. Puerum pater liberalibus artibus voluit imbui, & ipse morum filii custos fuit integerrimus. Præceptorem postea in litteris nactus est Horatius Orbilius, qui ex militia Romam transiens majore fama, quam emolumento, docuit Grammaticam; hunc audivit Homerum præcipue ex more ejus temporis interpretari; quippe & Græcam linguam in pueritia doctus est adeo, ut carmina Græca componeret. Anno ætatis XVI vel XVII, C. Claudio Marcello & L. Cornelio Lentulo Coss. togam virilem eum sumfisse pro hujus ævi consuetudine, conjectura est. Inde ante bellum civile Athenas studiorum causa profectum esse Poetam, evincitur ex Epist. II. L. I. vers. 43 — 45; an vero ætatis anno XX vel XXI id factum fuerit, & num Ciceronis filium & alios nobiles Romanos comites habuerit, non audet Auctor asserere: nec cui philosophiæ parti potissimum dederit operam, cujusve sectæ nomen addixerit, satis constare putat. Quanquam enim aliquando Epicuri doctrinam prodidit, mox tamen quidvis sentiendi libertatem sibi vindicavit. Vigesimo secundo & tertio ætatis anno Brutum sectatus, tribunatum militare ab eo obtinuit, at cæsis sequente anno Bruto & Cassio, fuga sibi consulere coactus est, & proximo post anno in Italiam rediit pressusque inopia cœ-

pit versus facere, quibus Virgilio primum & Vario innotuit. Hujus inde opera ad Mæcenatem admissus tantas ab illo opes nactus est, ut tranquille vitam duceret, imprimis prædio, quod Mæcenatis liberalitate acceperat, multum delectatus. Sed antequam tantas divitias consecutus est, scribæ munus aliquandiu gessit, quo demum relicto, Musis se totum consecravit, & notabiliores rerum in Urbe vicissitudines carminibus decantavit. Anno Horatii XLVI vel XLVII Virgilius in itinere in Græciam, quorsum ad perficiendam Æneidem tendebat, quod ut bonis avibus susciperet, precatus ille fuerat, obiit. Noster etsi veræ virtutis custodem vigilemque & satellitem se jactet, attamen jam senio confectum puerorum amoribus nefandis indulgisse confiteri non erubescit, Oda I. L. IV, quam pertinere ad annum ætatis XLIX vel L, Auctor reputat. Obiit tandem Vates anno U. C. DCCXLVI, ætatis suæ LVII, C. Mario Censorino & Asinio Gallo Coss. En vitæ Horatii chronologicam seriem, ad instituti nostri regulas primis lineis adumbratam. Sed ex his quoque aliqua observemus, quæ ad carmina Horatii, quæ singula accurate examinavit, notat non ubivis obvia, inspersis passim, quæ elegantiorum literarum avidis sunt in delitiis. Sic quando fassus est Horatius, se nec claro nec ingenuo patre natum esse, sed libertino, docet Massonus & pluribus demonstrare adlaborat, patrem ejus servum fuisse manumissum, quales uti alias liberti, ita hac ætate etiam libertini dicti sunt, filii autem eorum ingenui, quod in gratiam Horatianæ ingenuitatis adnotasse juvat, & ne in eosdem cum Viris claris Flottemanvillæ, Torrentio & Dacerio, qui hic notantur, errores incidamus. Togam virilem sumsisse Horatium antea docuimus anno XVI vel XVII, qua data occasione multa disputantur de ætate togæ apta, quæ hic fuit minimum annorum quindecim: verum sub Imperatoribus aliquando maturata, annoque XIV exacto toga fuit tradita, quam temporis distinctionem negligentes Torrentius & Dacerius lapsi sunt. Diem Martii XVII, *Liberalia* dictam, togæ virili dicatam fuisse, discimus ex Ovidio, at morem tamen eum non fuisse perpetuum, Noster ex Ciceronis filii exemplo palam facit. Pugna inter Octaviani

& Bruti Cassique exercitus ad oppidum Philippos commissa est, quod ita Macedoniae & Thraciae conterminum fuit, ut promiscue referatur ad alterutram: hinc error retegitur Torrentii, qui translocavit urbem illam in Thessaliam, quæ quidem hallucinatio condonari facilius potest, quam ista, quia Philippos urbem unam aliqui faciant, ad quam bis pugnatum sit, semel inter Pompejum & Cæsarem, & iterum inter Triumviros & Brutum atque asseclas, qui error, quamvis loca aliquot centum milliariis distita confundat, veterum quidem auctoritate nititur. Ubi de servo, cum quo Horatio ingens fuit discordia, mentionem injicit p. 110, qui

Superbus ambulabat pecunia

Cum bis ter ulnarum toga,

ad hæc verba Poetæ Scholiasten a Cruquio editam scribit annotare, togam nimis longam hic significari, cum quo Noster facit, & cum Cruquio rejicit Porphyriionis, quæ & Aldo Manutio placuit, sententiam, quasi justa toga mensuræ sex ulnarum fuerit. Multo autem absurdiorum pronuntiat eorum interpretationem, qui statuunt, hujus mensuræ fuisse laticlaviam, & durius excipit Cl. Dacerium, qui errorem errore probare visus sit, dum asserat, tribunos fuisse laticlavios, eorumque togam hujus mensuræ fuisse, quorum tamen alii fuerint laticlavii, alii angusticlavii; addit & nunquam togam, sed tunicam tantum dictam fuisse laticlaviam. In fine subnexa sunt addenda & emendanda, quæ propriis locis inferenda erant; in his meminit Auctor fratris sui Samuelis Massoni, qui sibi in addendis hisce fuerit monitor, & ut sciat Lector, quæ Horatii carmina in hoc opere exponantur, elucidentur, & suis annis adscribantur, eorum hic licet conferre syllabum, cui rerum & verborum index subnectitur.

SOPHOCLIS TRAGOEDIÆ AJAX ET ELECTRA,
nova Versione donata, Scholiisque veteribus, tam ante-
hac, quam nunc primum editis, illustrata; accedunt No-
tæ perpetuæ & variæ Lectiones. Opera THOMÆ
JOHNSON, A. M.

Oxonæ,

Oxonæ, e Theatro Sheldoniano, 1705, 8.

Alph. 1 pl. 8.

UT consuleretur commoditatibus Studiofæ Juventutis, quæ integra veterum Poetarum, Oratorum ac Philosophorum Opera concinne satis edita nancisci vix potest, doctissimus *Thomas Johnson* aliorum Anglorum exemplo e Sophoclis Tragædiis *Ajacem & Electram* elegit, ediditque elegantissime, in quibus quid præstiterit, indicabimus. Sophoclis genus & vitam e *Suida* & alio vitæ Sophoclis antiquo Autore, nec non Tragædiarum argumenta Græca, in aliis quoque Sophoclis editionibus inveni- enda, Græco idiomate præmisit, textum Græcum non modo ad fidem præstantissimarum editionum, Aldinæ, quæ Venetiis anno 1502, & *Adriani Turnebi*, quæ Parisiis anno 1553 prodiit, sed etiam codicum manuscriptorum optimorum emendatissi- mum, typo lectorem ultro alliciente nec facile dimittente niti- dissimo exhibuit: versionem novam harum duarum Tragædia- rum, quali olim *Joachimus Camerarius* easdem ornaverit, addi- dit, in qua versionem *Viti Winsemii*, quæ in aliis editionibus plerisque additur, planiorem magisque perspicuam reddidisse videtur. Scholia Græca cuilibet paginæ subjecit, non ea tantum, quæ olim in editione Romana anni 1518 inveniuntur, atque in aliis editionibus communiter repetuntur, sed & illam partem Scholiorum, quam *Demetrius Triclinius* collegit, quæ tamen et- iam in editione Genevensi anni 1603 ab *Henrico Stephano* re- censentur; quin & alia Scholia prorsus inedita e duobus codici- bus Bibliothecæ Bodlejanæ & Laudiano exscribi curavit. Va- rias Lectiones etiam & pauculas Notas suas ad calcem cujusli- bet Tragædiæ adjecit. Illas e codicibus manuscriptis supra- nominatis, & ex editione Aldina & Turnebiana desumpsit: in- his vero nonnunquam etiam id egit, ut textum sine manuscri- ptorum aut editorum codicum ope felici σοχασμῶ emendaret, ut in *Electra* versu 437, ubi de mendo nulla omnino suspicio, pro πνοαῖσιν ποαῖσιν legendum esse arbitratur, item in *Electra* versu 1410 pro verbis Νεακόνηλον αἶμα χερῶν ἔχων ob in- solentiorum Metaphoram ἐν μάχαιραν ἔχων reponendum pu- tat.

tat. Sæpius phrasin auctoris sui explicat, & obscuriores ejus sententias dilucidius explanat, cujus rei illustre exemplum habes statim ab initio Ajacis versu 2, ubi phrasin interpretibus vexatissimam *πειραν ἀρπᾶσαι* ex ipso Sophocle, locis aliquot collatis, ita explicat, ut auctoris mentem extra controversiam ponat, totamque adeo phrasin nihil aliud significare indicet, quam consilium sive molimen aliquod hostium deprehendere, arripere & mature intelligere. In obscurioribus explanandis quid præstiterit, vide sis in Electra versu 242 sq. ubi Electra satis obscure inquit:

Μήτ', εἶτω πρόσκειμαι Χρησῶ,
 Συνναίωμι ἔυκηλῶ, γονέων
 Ἐκτίμοις ἰσχουσα πτέρυγας
 Ὀξύλονων γόνων.

Quæ Noster ita explanat. Cum mortuorum res agitur, negligentem esse, turpe est, adeoque nec apud ejusmodi homines ullo sim in pretio, qui parentes negligunt defunctos, nec si cui accubem viro bono, cohabitentem quieta, sistendo nimirum lamentorum acute sonantium alas (sunt enim suæ lamentis alæ, quibus ad superos datur ascensus) unde deprehendat parentibus impia. Paria habes ad versum 495 seq. Ubi *ἀμιλλήματα γάμων* invasisse dicuntur Ægypthus & Clytemnestra, id est, talia sponsalia, quorum cupido adegit eos ad nefandam cædem Agamemnonis: quare isti congressus vocantur *ἀλεκίρα καὶ ἀνυμφα*, quia thalami jura violata erant. Proprios porro Auctori suo dicendi modos seu idiotismos diligenter observat. Cujus exemplum capias licet, ubi ad vocem *εἰργασαι* in Aj. v. 22 notat, illam Atticisimo quodam Sophocli usitatissimo active esse explicandam, quod pluribus exemplis confirmat. Ad vers. Aj. 282 vocemque *προσέπλο* p. 236 hoc de Tragœdiarum Scriptoribus monet: multas apud ipsos crebro voces occurrere, quæ nativam vim non retineant, sed laxiori sensu usurpentur, ut h. l. vox *προσέπλο*, quam per *advenit* explicandam putat. Ita *δερμάω* pro simplici *βαίνω*, *ἔρπω*, serpendi sensu prorsus omisso, *προ-*
σιζάνει

σιζάνει pro *adest*, nullo ad corporis posituram respectu habito, apud Sophoclem adhiberi docet, ac hujusmodi *ιδιώματα* auctorem alium ab alio distinguere statuit. Aliorum præterea versiones frequentissime a Nostro emendantur. Sic versum
112 Aj.

χαίρειν Ἀθήνα, τᾶλλ' ἐγὼ σ' ἐφίεμαι,

quem alii ita verterant: *avere Minerva in aliis te jubeo, vel cæteris in rebus, tibi quod gratum est, fieri velim*, in hunc potius sensum interpretandum merito censet: *vale Minerva: cætera tibi ego permitto*. Idem factum ad v. Aj. 620. p. 238 apprehendes: ut innumera alia loca taceam. Circa metrum etiam non raro singularia notantur; v. gr. ad v. Aj. 127. p. 235 in vocibus τέκνον, τέχνη, σαθρός, σέψω, ὕπνῳ primam syllabam corripī: ad v. 1209 Aj. Ἐυρώθη idem in metro valere, quod ἐυρωθῆ, quæ vox quanquam in Lexicis non reperiatur, hoc tamen non tanti esse putat, ut aliquem teneat, cum plurimæ absint optimæ notæ voces. Tandem & Scholiastæ sententiam interdum Noster confutat, & Poetam suum a solœcismi suspicione liberat. Hoc agit ad v. Aj. 179 p. 235; hoc & ad El. v. 482 p. 224 satis ingeniose præstat. Quæ, ne justo prolixiores nunc simus, curioso harum rerum Lectori indicasse sufficiat.

TRAITÉ CONTRE L'IMPURETÉ.

i. e.

TRACTATUS CONTRA IMPURITATEM.

Auctore J. F. OSTERVOLD, Pastore Ecclesie
Neocomensis.

Amstelodami, apud Thomam Lombrail, 1707, 12.

Alphab. 1 pl. 3.

Reipublicæ literariæ jam satis innotuit Clarissimus Auctor, Reditis hæctenus moralis argumenti libris, ex quibus mira ejusdem dexteritas in tractandis hujusmodi rebus abunde clucescit. Quemadmodum vero idem omnes animi vires

res eo intendit, ut collapsum pietatis studium pro virili restituat, & ad hunc finem obtinendum non tantum voce verum etiam calamo utitur, summe necessarium ipsi visum fuit, ex Theologia Christiana hoc potissimum argumentum, quod in præsentis libello sistitur, diligenter pertractare, cum impuritatis vitium hunc terrarum orbem ferme inundaverit, ac multi homines in eo continuo volutentur, quod gravissima mala exinde resultantia, nec non media ex hoc tuto emergendi ipsis lateant. Totus liber duabus partibus absolvitur, & prima quidem pars agit de impuritate ipsa, & in quinque sectiones divisa est, in quarum prima ante omnia demonstrare conatur, impuritatem esse peccatum, id quod tum ex lumine naturæ, tum ex sacra Scriptura satis liquido constare, Auctor asserit. Quod enim ad prius attinet, ipsam omnino naturam nos docere, homini licitum non esse affectibus pro lubitu indulgere, sed esse quosdam certos limites atque regulas, quibus cupiditates humanæ sint circumscribendæ. Jam vero ad hunc affectum coerendum regulis matrimonii nil melius fingi aut excogitari posse, siquidem matrimonium a sapientissimo Creatore ceu fundamentum totius societatis humanæ constitutum fuerit, e contra vero impuritas hoc utilissimum institutum plane evertat. Quod si enim hoc vitium pro re licita atque indifferenti haberetur, plerique matrimonium propter multa incommoda, quibus laborat, inire recusarent. Præterea docet, homines omni tempore ex hac parte consensisse, ut scilicet impuritatem ceu rem turpem atque infamem respexerint, quæ honesto homine minime sit digna. Quamvis enim vulgo credatur, scortationem a Paganis pro re licita fuisse habitam, tantum tamen abesse, ut hæc monstrosa opinio, quam Poetæ tantummodo quidam dissolutioris ingenii proferre non erubuerunt, singulis Paganis imputari queat, ut contrarium potius ex sapientiorum scriptis atque legibus a Gentilium legislatoribus latis abunde elucescat, quod nimirum non modo adulterium, sed etiam simplex scortatio apud ipsos pro re turpissimam atque virtuti & naturali honestati maxime repugnante reputata fuerit. Postquam igitur Auctor his & multis aliis argumentis, quæ hic recensere longum foret, demonstraverat, impuritatem

ritatem ipsis naturæ legibus adversari, jam ad argumenta ex sacra Scriptura tum Veteris tum Novi Testamenti deducta progreditur, ubi imprimis observat, Christum & Apostolos non modo adulterium, sed etiam quæcunque alia supra disertis verbis prohibere, & de hoc vitio sæpius quam de ullo alio sermonem instituere, præterea in enumeratione plurimorum vitiorum idem plerumque primo loco collocari. Hac occasione Auctor satis fuse explicat Caput sextum prioris Epistolæ ad Corinthios, in quo Paulus Apostolus Christianos fere per totum istud caput ab hoc vitio graviter & copiose dehortatur. Ubi per phrasin, qua Paulus affirmat, impuros in proprium corpus peccare, non illud tantum Apostolum innuere voluisse, Auctor existimat, quod impuri proprio corpori noceant & varia mala sibi ipsis accersant, cum multa alia sint peccata, quæ itidem corpori ejusque sanitati noxam inferant. Hinc Paulum propter duas potissimum causas ita loqui sibi persuadet, primo quoniam non aliud peccatum tam directe destruat unionem nostram cum Jesu Christo, quam hoc ipsum, siquidem ille, qui cum scorto copulatur, unum fit corpus; ac proinde corpus hujusmodi hominis non amplius esse Christi membrum, & per consequens eos, qui huic flagitio sese addicunt, maximam sibi ipsis inferre injuriam & sic in proprium corpus peccare. Secundo Apostolum propterea hisce verbis uti Auctor dicit, quod impudicitia, cum sit res turpis atque infamis, magis quam ullum aliud peccatum corporibus & personis nostris labem inferat, & maximam infamiæ notam nobis inurat, quemadmodum Paulus alibi etiam loquatur: Gentes nimirum animi sui cupiditatibus indulgentes in tantam incidisse impuritatem, ut ipsi sua corpora in sese deturpaverint. Cum igitur Auctor hætenus evincere fatigisset, simplicem scortationem esse peccatum, jam ad adulterium perveniens neminem dubitare posse ait, quin hoc sit atrocissimum scelus, quod ipsam humani generis societatem omnemque justitiam penitus evertat, quo factum sit, ut etiam Gentiles adulterium omni tempore ceu abominandum crimen reputaverint, id quod iis, qui in historia & antiquitatibus non plane hospites sunt, satis notum sit, sic enim, verbi gratia, Plutarchum

de Lacedæmoniis testari, ab iis adulterium pro re impossibili & plane incredibili habitum fuisse, cujus, teste eodem Plutarcho, non alia fuerit causa, quam quod in hac civitate delitiis, rebus fraveolentibus & luxui locus non relinqueretur. Sed præter loca e sacra Scriptura adducta, ex quibus atrocitas hujus delicti patet, Autor itidem memorat, quid veteres Christiani de eodem statuerint, quorum monimenta literis consignata ostendant, ab ipsis adulteros ad multos annos Ecclesia ejectos esse, quin etiam tempus fuisse, quo non recepti sint in Ecclesiam, nisi instante mortis hora. Quid quod Cyprianus in Ep. ad Anton. testetur, quosdam de Episcopis eo usque progressos fuisse, ut dandam pacem mœchis non putaverint & in totum pœnitentiæ locum contra adulteria clauserint. Quamvis vero hac ex parte modum excesserint, inde tamen constare dicit Cl. Ostervaldus, quantum horrorem hujus delicti veteres Christiani conceperint. In sectione secunda Partis primæ funestum statum, in quo impuri homines versantur, Auctor pathetice describit, & simul formidanda mala, quibus involvuntur, disertis itidem verbis ob oculos ponit. Tertia sectio fontes impuritatis, unde profluit, v. gr. ignorantiam, educationem, libros impuros, vitæ genus & spem impunitatis maximam peccandi illecebram, enarrat. Quarta autem sectione respondet ad frivolas excusationes, quæ ad extenuandum hoc flagitium adhiberi solent. Et denique quinta agit de officiis eorum, qui hujus sceleris rei sunt, si veram pœnitentiam agere & sic æternas flammæ effugere velint.

Post primam igitur Partem absolutam Auctor in secunda agit de Castitate, ubi prima sectio docet naturam castitatis, secunda exponit incitamenta, quæ nobis calcaria subdere debent, ut tanto magis hanc virtutem sectemur, tertia denique media, quibus castitas comparari potest, diligenter enarrat. Quæ singula prolixius recensere velle, non immerito ab instituto nostro alienum videri posset, imprimis cum hujusmodi sit argumentum, quod plerisque eruditis minime ignotum; utinam modo plures huic notitiæ convenienter vivant!

ENTRETIENS DE MAXIME ET DE THEMISTE.

i. e.

COLLOQUIA MAXIMI ET THEMISTII, SIVE
Responsio ad Tom. X Biblioth. Sel. Clerici, & Jaque-
lotii Examen Theologiae Balianae.

Roterodami, apud Reinier Leers, 1707, 12.

Alph. 1 plag. 9.

Quæ variis hæctenus scriptis agitata est controversia inter Bælium, Clericum & Jaquelotium, ne quidem Bælio demortuo prorsus est assopita. Edidit enim post fata Bælii amicus quidam ejus hanc paulo ante obitum ab ipso conscriptam, sed non consummatam, responsionem, qua adversarios durius tractat, læsamque velut patientiam suam prodit. Duæ sunt libri partes, peculiaribus etiam instructæ titulis. In prima respondet ad ea, quæ Celeb. Clericus, post reciprocata aliquoties contentionis ferram, Tomo X Bibliothecæ Selectæ ipsi opposuerat. Hic ingeminat, omnes Clerici accusationes meris niti suspicionibus, & longe fortiores contra eundem produci posse, quod v. gr. Trinitatem personarum divinarum neget, nec non æternitatem suppliciorum post mortem & peccatum originale, quodque quiescentes hæctenus Arminianas controversias resuscitet. Se vero, ait Bælius, non aliud quid fecisse, quam quod omnes absoluti decreti propugnatores faciant, quod nimirum scripserit, dubia contra illud aliaque mysteria ex rationis penu adducta, per eandem solvi non posse. Præterea zelum Clerici pro veritate fictum & nimis ferum esse ait, tandemque de naturis plasticis & Origenismo nonnihil disputat.

Altera pars examinat *Jaquelotii Examen Theologiae Balianae*. Hic Bælius conatur adversarium suspectum de Arminianismo & Enthusiasmo reddere, ut par illi pari reddat, sæpiusque asseverat, illum a Decretis Synodi Dordracenæ per alienum esse. Ceterum in ea Bælius sententia persistit, mysteria Christianæ religionis repugnare notionibus communibus atque a ratione nimis valide impugnari. Cum primis vero multum impendit operæ, ut doctrinam de permissione lapsus Adami magis magisque implicatam difficilemque reddat, omneque contra illam

dubiorum genus conferat, quo nomine etiam gratias sibi deberi opinatur.

MEMORIE HISTORICHE DELL' ANTICHISSIMA
e nobile Città d'Osimo.

id est,

COMMENTARII HISTORICI DE PERVETUSTA
& nobili urbe Auximo. Auctore LUDOVICO
MARTORELLO.

Venetiis, apud Andream Polettum, 1705, 4.

Alph. 2 pl. 14.

DUdum equidem fas erat in scenam hanc literariam producere limatissimum Opus, nisi serius paulo ad nos fuisset transmissum. Digestum illud a solertissimo Auctore decrepita jam ætate, annum nimirum secundum & septuagesimum agente, ea fide & industria, ut peragratis veteribus marmoribus monumentisque Auximatum, excusisque insuper tabulariis publicis Urbis pariter & Episcopali, bis mille & amplius antiquissimorum diplomatum membranaceorum, quæ bonam partem in hoc volumine integra exhibentur, sollicite se pervagatum esse, in Præfamine profiteatur. Nos more nostro potiora saltem quædam ex tam opulenta farragine delibabimus. Urbs ipsa

- L. I. c. 1. *Auximum* (Italis *Osimo*) uti incertæ est sed antiquissimæ originis, ita amplissimam maximique olim nominis eam fuisse, Velleji, c. 2. Plutarchi, Procopii aliorumque testimoniis conficitur. Colonia eo deducta Romanorum Ann. U. C. 573 Sext. Julio & Luc. Oreste Coss. & Triumviralem juris dicundi Magistratum, & Prætorem c. 4. in reliquas *Auximania* partes (id enim antiquissimum nomen Provinciæ fuit) imperium exercentem indepta est, Municipii etiam, quod in veteri lapide memoriæ proditum invenitur, honorem aliquandiu obtinuit. Dehinc & Piceni totius, & quæ c. 3. pars illius erat, Pentapoleos caput facta, post Romam Gothis ereptam, non tam victricibus *Belisarii* armis expugnata, quam dolo circumventa est. Sed nec ipsis Byzantinis Principibus diuturna hæc possessio fuit. Nam & brevi post Longobardis in ditio-

ditionem cesit, & his ipsis demum a Carolo Francorum Rege superatis, cum aliis nonnullis Pontificii juris, Hadriano I sedente, facta est. Ab eo tempore usque ad Friderici Ænobarbi in Italiam adventum, hoc est, ad A. 1154 quo fato usa sit, haud peræque annotatum reperitur, hominibus illius ævi armis potius, quam literis intentis, Archivis quoque plerarumque Italiæ civitatum ætatem istam minime excedentibus. Hoc certe constat, sub memorato Principe filioque Henrico VI Imperio atque Sacerdotio continua fere æmulatione inter se collisis, Auximum etiam, quæ Pontifici favebat, cum adversæ factionis civitatibus haud raro neque infeliciter depugnasse. Friderico tandem II valido cum exercitu Marchiam Anconitanam A. 1228 penetrante, excidio Spoletanorum, quod septennio ante contigerat, admonita, sponte se suaque Cæsari submitit, factum id indigne, adeo ferente Gregorio IX P. M. ut urbem cum cæteris juribus, tum imprimis libera hæctenus neminique Metropolitanorum subjecta Sede Episcopali, qua jam inde a primæ sui Antistitis St. Luperci temporibus eminuerat, privandam existimaret. Duravit hæc infelicitas usque ad excessum Imperatoris, quo tandem Tarenti A. 1250 insecuto, cum Anibaldum agnatum Alexandri IV P. M. contra Manfredum filium naturalem Friderici, copiis suis adjuvasset, & Sedis Romanæ gratiam, & amissam dignitatem Episcopalem postliminio recuperavit. Et hæc quidem principia fuerunt majorum calamitatum & turbarum, quæ insequentibus temporibus civitatem illam miserum in modum afflixerunt. Ludovico Bavaro imperante, quod Gozzolinorum civium suorum tyrannide oppressa Gibellinis partibus iterum nomen dedisset, Johannis XXII Avenione tunc temporis in Gallia commemorantis fulmine percussa, & Urbis titulo & amplissimis possessionibus exui meruit; quæ causa probabiliter reddi potest, quare Episcopi illius, non ut ante, *Auximanensis Civitatis*, sed *Diaeceseos* saltem *Auximaniæ* istis fere temporibus in veteribus chartis salutati deprehendantur. Etsi vero sub Urbano V rursus inter urbes censerî cœperit, non multo tamen post evenit, ut ob culpam eorundem Gozzolinorum res novas molientium sibi imputatam, & mero & mixto Imperio indigna de-

L. I c. 5.

L. II c. 1.

c. 2. 3. sq.

c. 5.

c. 6.

c. 8.

L. III c. 2.

c. 3.

c. 4.

c. 8.

- L. IV c. 4. clararetur. Evedto ad fastigium summi Præfulis A. 1433 Eugenio IV, patria Veneto, Francisco Sfortiæ hostilibus armis Marchiam invadenti sub certis conditionibus subjecta, post decennium demum & Pontificis & Alphonsi Arragonum Regis exercitu in vicino posito freta, virtute civium suorum iterum se in
- c. 12. libertatem vindicavit. A. 1476 acerrimo conflictu cum Anconitanis agros ipsius hostili manu infestantibus congressa, non absque ingenti strage edita superior ex acie recessit. Extat memoria tam præclaræ victoriæ elegantissimo carmine expressa ab Antonio Onufrio, Auximate, inserta hisce Annalibus p. 327 seq.
- L.V c. 1. 2 Sed ingentem lætitiâ post paucos annos interceperunt improbi Buccolini conatus, hominis turbulenti ingenii, & ad evertendam patriam plane nati. Is illustri patre Guzzone ex primoribus civitatis oriundus, favore plebis, quam multis largitionibus sibi conciliaverat, abutens, d. 3 April. A. 1486 per cædem Optimatum quorundam, reliquis fuga sibi consulentibus, tyrannidem urbis occupat. Cincta inde civitate gravissima a Pontificiis copiis duce Trivultio obsidione, post multas utrinque velitationes, tandem arbitro Laurentio Mediceo, eo conventum, ut Buccolino commissorum quidem venia concederetur, Auximum autem Domino suo legitimo rursus restitueretur. Huc usque fere Auximatium Annales porriguntur; nec enim limites Sæculi XV multum excedunt. Quæ subjiciuntur p. 423 sq. recensionem *Episcoporum, Judicum & Celebrium Virorum Auximanensium* continent. Ceterum non Antiquitatum solum Romanarum studiosis, sed & illis utilis videtur liber, quibus Italiæ statum, qualis Sæculo XIII & XIV fuit, paulo penitius investigare propositum est.

JOANNIS LINDER, MED. DOCT. WERMLANDIÆ-Sueci, de Venenis in genere & specie
Exercitatio.

Eugduni Batavorum, apud Andream Dyckhuysen, 1708, 12.
Constat $\frac{1}{2}$ Alphab.

IN præsentî tractatu omnia, quæ ab Auctoribus de venenis habentur, in unum Catalogum redigere, eorumque naturam & qua-

qualitates introspeciendo, ac uberius examinando ad certas classes & summa veluti capita referre, adque solidorum & fluidi in corpore organico leges mechanicas deducere & explicare placuit Clarissimo Auctori. Venenum quanquam Latinis veteribus vocabulum μέσον fuerit, utriusque significatus, & boni & mali, sequiore tamen tempore pro eo tantum adhiberi coeptum est pharmaco, quod corpus humanum sub parva sui mole diversa ratione lædere potest; cujus tres summæ ab Auctore nostro constituuntur classes: ita ut venena sint vel corrosiva & acria, vel obstruentia, vel narcotica seu soporifera. Venena corrosiva & acria sunt, quæ deglutita ventriculum & tubulum intestinale pro majore sua vel minore acredine, particularumque suarum vel aculeata & acuminata figura, vel ancipiti spiculorum acie per parvam superficiem pungunt, fodicant, irritant, secant, corrodunt, lancinant, inflammant, excoriant atque exulcerant; hinc vel singultum, vel vomitum, vel febrem, vel spasmos convulsivos & succussiones vel diarrhœam serosam, vel dysenteriam, intestinorum ulcera, alvinarumque fæcum foetorem teterrimum pariunt. Quinimo agunt in ipsum nostrum vitalem liquorem ejusque vasa. Nam ex spiculo sive fixo sive volatili inter fibras corporis vivi elasticas sese interponente vas ex illis fibris constans oscillat, liquido canalibus in spiculi extremitatem eminentem insultante, adjuvante salis volatilis motu spontaneo. Ita quidem ut si acredines hæ fuerint leves, impulsusque etiam levis ipsius fluidi, solidumque flaccidum, titillatio tantum oriatur, ex majori autem particularum infixarum acie, fixitate & pondere partisque solidæ majori tensione & liquidi incumbentis fortiori incurfu ruptio fiat, & solidi corrosio. Ex quo sequitur, robusta corpora, quæ vividius oscillant, vimque elasticam majorem possident, ab acribus venenis magis affici, quam debilia, tarda & flaccida. Sanguinem interim corrosiva venena coagulant, ejus globulos & totam misturam discerpendo, ut tenuissimæ particulæ amendantur per vasa lateralia, reliquæ vero crassiores difficilius loca angusta trajiciant; vel globulos sanguineos transfigendo, sicque sanguinem ad motum ineptiorem reddendo. Per acria ista motum vasorum oscillatorium

Cap. I.

Cap. II. III.

IV.

V.

torium augentia sanguis & resolvi potest, dum plurimis canalium contractionibus in minores dividitur particulas, & juxta quoque crassescit, dum ex majori calore corporis per istum fluidorum ad solida attritum excitato tenuissima quæque exhalant, coeuntibus reliquis in offam grumescentem. Atque talia corrosiva venena ex triplici Naturæ Regno cum brevi symptomatum inde propullulantium historia examinat, inque pestis causam præ ceteris inquirat Noster. Venena obstructiva sunt, quæ particulis suis vel viscosis vel cretaceis & arenosis varias in corpore obstructions efficiunt, vasis tenuibus & locorum angustiis sese firmiter agglutinando, inque iisdem pertinaciter hærendo, unde atrophia & labeles, calculosæ concretiones, alvi constipatio, febres, aut interceptio anhelitus tragica sæpe ac lugubri scena observata fuerunt. Quodsi enim visciditas ad conicos arteriarum fines rectissimos vi cordis detrudatur, nec inde propelli possit, ibi hærebit hæc, & accedente liquidorum continuo a tergo impulsu vas dilatabit, cumque eo in unum quodammodo coalescet. Vas sic obduratum vicina comprimendo dolorem primo obtusum excitabit cum levi horripilatione ex denegato sanguinis in superficiem corporis influxu; & cor, quod parum sanguinis accipit ab obstructis partibus, conatur quidem eum per arteriam expellere, sed ob resistantiam majorem in conicis arteriarum finibus omnis ejus systole & diastole est inanis, & frustranea, licet cita & creberrima: unde vasis majoribus cruore turgentibus obstructa extremitate conica laterales rami comprimuntur, vel & interdum ampliantur, & sanguis per angustiora varie rotatur, varioque sic ad illa particularum ejus attritu calor ingravescit febrilis, corde simul quocunque modo in contractiones crebriores proritato cum pulsu frequenti. Interim viscositas hæc stagnans ad conos arteriarum ultimos mora sua & impulsu liquidorum viciniorum, præsertim si cordi propior hæserit, varie conteritur, alcaliescit, exasperatur, ac dum acre alcalinum sanguini vasisque vicinis impertitur, vasa inde compuncta valide oscillant, præ cæteris autem cor. Sed quando obstructio aliqua & collectio viscida aut liquidi cujuscunque extra vasa fit, eodem quidem liquorum vicinorum appulsu &

actione

actione varia primo mutatur in pus bonum, blandum, æquale & non acre, si vero pro ratione loci illud suppuratum ex corpore nequeat exprimi, nec in vasa resorberi, parili repetito solidorum fluidorumque incurfu ex pure blando transit in pus acre, fœtidum, saponaceum, alcalinum: & si insignis acredo fuerit, obstructionis magnæ, vicina solida corroduuntur, & corripuntur gangræna, quam sphacelus excipit, huncque mors. Eidem viscido per vasa circulanti, sed tarde meabili, si acredo quædam pariter meabilis intermixta fuerit alcalina, muriatica, salina, aut oleosa, illa quidem pars, quæ levior, a corde per carotides ad cerebrum evibratur, & maniam vel apoplexiam excitat, crassior vero & gravior ad inferiora quidem vasorum cava abdominalia demergitur, ita tamen, ut crassiores particulæ ad laterales cœliacas, mesentericas renalesve detrudantur ramos, & mali hypochondriaci existant autores, solidioribus ac subtilioribus libere & linea magis recta majora vasa trajicientibus. In glandulosas vero partes fortiter impactum viscidum humido omni plane discussio inque venas proximas absorpto induratur, & scirrhum producit. Sed & solidæ partes ad obstructions suam tribuere symbolam norunt, deficiente scilicet sua contractilitate. Qui elasticitatis defectus vel naturaliter alicui accidere potest, a primis initiis ortus, vel ab otio & vita quieta; aut quando villi vasorum musculares viscidis particulis quoad interstitia nimium repleti ad oscillandum segnes evadunt, & debiles hinc liquida contenta in glandularum angustiis sistuntur; aut quando fibræ canalium ex. gr. ex calidi potus abusu madefactæ flaccescunt, laxantur, debitumque pro fluiditate humorum conservanda tensionis contractilitatisque amittunt gradum; aut quando stamina hæc vasorum nervea ex inopia ferossæ partis vel diuturna & vehementi oscillatione a naturali indole vel frigore siccescunt & arescunt. Tertio loco narcotica & soporifera examinantur venena, idque discriminis inter utraque constituitur, quod hæc simpliciter somnum efficiant, illa vero stuporem inducant partibus solidis. Mechanismum horum quod attinet, existimat Noster, ea pro saporis sui naturalis indole, vel ipsa etiam fermentata & vinosa nervorum cerebri

Cap. VI.

- principia & nervos ipsos adurere, & constringere, ita ut reddantur stupidi, insensibiles & indolentes, nihilque fluidi transmittant, quamdiu status ille cerebri perdurat. Et si talia ipsos cerebelli vitales nervos contingant, vitam tollere apta sunt. Ut taceamus, liquida per narcotica magis aut minus coagulata, exilissimos cerebri mæandros obdurare, distendere & comprimere. Opiata tamen peculiare quid obtinent, quod scilicet secretiones immodicas omnes sufflamment. Idque contingere existimat. Autor Clarissimus, quod opiata particulis lævibus & politis suis, dum primo propinata sunt, vasorum latera titillent, sensumque lætitiæ producant, hinc vasa omnia majora corrugentur, fibrillæque contrahantur, sicque, osculis & orificiis minorum vasorum ex majoribus derivatorum occlusis, secretiones cessent. Ex quibus omnibus liquet, solum motum vel interne vel externe excitatum pure mechanicum omne mutationum genus in corpore animali posse perficere, tam quoad solidas, quam fluidas partes. Sic etiam solo motu spirituum animalium, quos subtilissimam aquam esse credit, mutato, tot inde interdum exultare incommoda, & mala, quot vel ex ipsissimo assumpto veneno possent generari. Hoc interim observatum est, pro varia recipientis venenum dispositione diversimode etiam id scenam suam absolute, i. e. dari venena respectiva. Fascina quanquam a plurima hominum parte arte diabolica peragi credantur, Autor tamen noster cum nihil hic nisi phisicas rationes reperiat, magica omnia res maxime naturales pronuntiat, philtrea vero & pocula amatoria superstitiosa & vana non minus dicit, ac raptum puerulorum & commutationem cum filiis gigantum, quin potius in talibus infantibus acredinem quandam sub viscido tegmine latentem subesse existimat, quæ rachitidem inducat. Ad quam classem & ligaturas neonuptorum, succubos & incubos refert.
- IX. Post hæc signa refert, quæ in cadaveribus venena eorumque species post se relinquunt; prudentem tamen jubet esse Medicum Politicum, ne venena in corpore genita pro talibus propinatis habeat, sicque sibi vel Judici imponat. In venenorum curatione ad classes eorum jubet respicere, & quæ circa febrium acutarum & pestilentialium, ut & chronicorum morborum curam faci-

faciendum sit, inculcat. Tandem qua ratione indagare venena alimentis commixta conveniat, docet. Inter illa vini & aquæ bonitas vel pravitas ut per præcipitantia vel per reagentia nuncupata, quæ acidi & alcalini salis dominium & præsentiam manifestant, sit cognoscenda, fusius commemorat.

*LEGES EXPERIENTIARUM FUNDAMENTALES,
exhibite a C. WOLFIO.*

Quicquid per intuitum perceptionum nostrarum cognoscimus, *experiri* dicimur. Quare cum eadem ab objectorum externorum in sensus nostros actione pendeant; experientia singularium est, non universalium. Ad experientiam igitur provocans, casum singularem afferre debet, tum ut judicare liceat, quænam per intuitum nostrarum perceptionum innoverint, tum ut appareat, qua ratiocinii forma ex intuitu cognito deductum fuerit, quod inde derivatum. Cavendum præterea, ne per experientiam cognita ultra suos limites extendantur. Super suis perceptionibus si mens reflectit, hoc est, si in totali partiales multas distinguit, aut se distinguere non posse, animadvertit; notiones format, in casu quidem primo distinctas, in altero confusas: quemadmodum ostendimus in his *Actis Mens. Nov. A. 1707 p. 508.* Et quoniam hæ notiones aliis formandis ansam suppeditant, §. 4 *Sched. cit.* eas *primigenias* appellare libet. Patet adeo, nos notionum primigeniarum certitudinem per experientiam cognoscere. Quis enim dubitet, ens istiusmodi notis distinctum, quales notio formata involvit, possibile esse, cum tale existere experiatur? Ne vero unquam contra notionum illarum amplitudinem peccetur, semper habenda est ratio notarum, quas involvunt. Duplex nimirum notionum est usus. Alter in eo consistit, ut rem oblatam recognoscere valeamus, hoc est, ut nobis constet, rem oblatam esse illam, quæ hoc vel isto tempore, hoc vel illo loco nobis occurrit, aut cui hoc vel istud nomen tribui solet: qui certe haud exiguus habendus, quoniam rebus externis ad perfectionem nostram promovendam opus habemus, adeoque eas recognoscere debemus. Et tum quidem perinde videtur, si ve no-

tio nostra distincta fuerit, sive confusa. Est tamen distinctarum præ confusis prærogativa insignis: illæ nimirum cum aliis absente objecto communicari possunt, hæ minime, utut absente objecto in eo reproduantur, qui objectum præsens aliquando sibi eandem ingenerasse recordatur. Multa hic utilia nec in vulgus nota dici poterant: verum enim vero ea non sunt hujus loci. Alter notionum usus est aliorum ex illis deductio, quæ tum per notarum, quas involvunt, evolutionem, tum per plurium notionum inter se collationem absolvitur, mutuos rerum respectus manifestantem. Tum vero notionum amplitudo sancte custodietur, si quæ cum notis, ex quibus notio distincta componitur, necessarium nexum habentia intuemur, nunquam alii rei tribuamus, nisi in qua notas illas distincte discernimus. Omnis, quæ hac in parte oriri solet, confusio inde petenda, quod, dum multa de una eademque re percipimus, nullam ejus certam notionem formamus; sed nunc hac, nunc ista nota ad eam recognoscendam utimur. Experimur ulterius aliqua fieri posse, hoc est, rei uni competere vim mutandi alteram: id quod dum contingit, rem A in alteram B *influere* dicimus, & motus, quo A mutat B, influxus ipsius A in B vocari solet. Experientia igitur cognoscuntur rerum mutui in se invicem influxus ac inde pendentes mutationes. Cognitionis hujus casus triplex. Aut enim mutatio sola in sensus occurrit, aut una cum ista causæ, hoc est, res influentes percipiuntur, aut denique ipse etiam influxus distincte percipitur. Quemlibet horum casuum esse probabilem, exempla obvia confirmant. Si mutatio sola in sensus incurrit, per experientiam non aliud constat, quam hoc vel illud fieri posse, seu rem aliquam mutationem quandam subire posse: nondum autem intelligitur, quibus positis causis atque conditionibus & quo posito influxu id possibile sit. Quodsi itaque consideremus, qualis res ante istam mutationem fuerit, & qualis a facta mutatione existat, atque cognitiones nostras per præcedaneas vel experientias, vel ratiocinationes acquisitas recolentibus succurrant, quæ illam mutationem efficere valeant; cavendum est, ne per experientiam causas illas nobis innotuisse arbitremur: alias de veritate cognitionis se-

curi debitum ratiocinii examen negligemus. Si una cum mutatione causæ in sensus incurrant, non autem earundem influxus; per experientiam nobis innotescit, vel facta rerum quarundam combinatione aliquid fieri, vel unum alterum subsequi, vel quædam una fieri. Si ex rerum contiguitate sequatur mutatio, imprimis subitanea; quin una mutationis alterius causa existat, dubitandum non est. Ne vero experientia facile abutamur, cum cura observandum est, quibus positis aliquid sequatur: quoniam enim nihil absolute possibile nisi Ens a se, quod uti omnes realitates ita & possibilitatem in gradu absolute summo possidet, sed quicquid possibile, non nisi sub certis conditionibus possibile est, (prout facile demonstratur,) quænam sint illæ conditiones, possibilitatis characteres, omnino scrutandum. Alias profecto pro possibili assumemus, quod possibile non est, & quicquid ex istiusmodi experientiæ principiis confusis deducitur, ipse eventus erroneum comprobabit. Certus autem evades, quibus positis aliquid fieri queat vel a priori, vel a posteriori. A priori indagabitur, si earum rerum, quæ in assumpta hypothesis ponuntur, notiones investigentur distinctæ, modo ex schediastate supra citato facile eruendo, & per earundem collationem inquiretur, num iis positis, quod factum est, fieri debere concipiatur. Quod enim ob mera possiblea fieri posse concipis, illud ipsum utique possibile existit: quod non negabit, qui vel sola *Euclidis* elementa primis labris degustavit & causam certitudinis demonstrationum meditatus est. A posteriori ad eundem certitudinis gradum pervenies, si denuo factis iis, quæ propositionis tuæ hypothesis suppeditat, denuo fieri observas, quod alias fieri observasti, & sub determinatis quibusdam conditionibus fieri posse collegisti. Inprimis hic quoque considerandum est, quicquid in esse alterius influit, illud determinatis agere viribus, atque omnem effectum viribus productricibus proportionalem esse. Ne igitur possibilitatem ejus, quod fieri per experientiam cognovimus, ultra suos limites extendamus, vires accurate æstimari debent. Atque hic usus esse debet experimentorum instrumentis pretiosis institutorum: & potissimus veræ Physicæ scopus est, virium, quibus agunt res naturales, leges eruere ac erutas ad

usum indigentiae vitae humanae, nec non ad aestimandam Numinis perfectionem transferre. Si unum alterum subsequi, vel quaedam una fieri experiamur; nondum sufficiens nobis est inferendi ratio, quod unum alterius causa existat, quae enim constanter connexa sunt, eorum vel unum est causa alterius, vel utrumque a communi causa dependet; quae saepius se mutuo excipiunt vel comitantur, ne quidem communem causam habere debent, sed sine communi nexu una existere possunt; utrumque saepius accidere in tempore omnibus rebus communi sufficit. Denique si ipse influxus nostros feriat sensus, apprime observanda sunt, quae de accurata virium aestimatione modo dicta sunt, ne in conclusionum deductione paralogismos committamus inferentes, quod inferri non debebat. Haec ipsa ratio etiam exigit, ut perscrutemur, numqua influxus pars sensus nostros forte effugiat: ubi repetenda sunt, quae paulo ante de possibilitatis characteribus constituendis in medium protulimus. Has experientiarum leges in usum privatum jam ante aliquod temporis intervallum erutas publice commemorare libuit, cum videam in virorum etiam insigni judicio praedictorum scripta errores subinde irrepere, quia ad illas non satis respiciunt, quodque plurimi reperiuntur, qui, dum experientiis continuo student, ignorant tamen, quomodo experientiis utendum. Nostra vero methodo qui experientias tractaverit, non modo singularium notitia animum imbuet, sed & ad universalium cognitionem certo pede promovebitur. Formabit enim notiones distinctas, quae universales sunt & universalitatis suae characteres involvunt, vi quorum res multae, sed semper sine errore cognoscuntur: formabit judicia hypothetica de possibilibus, quorum hypothesis certissimas universalitatis notas prodit & thesium ad singularia applicationem dexterrime moderatur.

AN ESSAY TOWARDS THE THEORY
of the ideal or intelligible World.

h. c.

TENTAMEN DE THEORIA MUNDI IDEALIS

*lis seu intelligibilis. Pars secunda. Autore JOANNE
N O R R I S.*

Londini, apud S. Manschip & W. Hawes, 1704, in 8.

Constat Alph. 1 & plag. 15.

Atributa divina esse prima possibilis atque ex hoc æterno fonte rerum omnium reliquarum ideas promanasse, dudum notavit Illustris *Leibnitius* in Actis nostris A. 1684 p. 540. Mundus igitur idealis ab omni æternitate in Deo extitit, cui cum per omnipotentem nutum existentiam superadderet, ex non apparentibus fiebant visibilia omnia. Hunc mundum idealem in prima operis sui parte descripsit Cl. Autor: cujus cur in Actis nostris nulla facta fuerit mentio, non satis meminimus. In parte altera, de qua jam nobis quædam dicenda, relationem mundi idealis ad mentem nostram expendit, *Cartesii* atque *Malebranchii* doctrinas Metaphysicas utplurimum defendens. Capite igitur primo de principio cogitationum ubi disquirit, cogitationes cum *Cartesio* ad animam refert, addita hac ratione, quod cogitatio sit nobilissima operatio, quam in nobis deprehendimus, adeoque ad nobilissimam partem, quæ est anima, referenda. Animam seu substantiam cogitantem esse diversam a corpore seu substantia extensa, cum eodem *Cartesio* & ejus asseclis probat, quod hæ duæ ideæ sint diversæ, diversitas autem idearum rerum ipsarum inferat diversitatem. Esse autem diversas, cum iisdem evincere conatur, quia substantiæ cogitantis ideam habemus, utut de substantia extensa dubitemus, immo eam prorsus non dari ponamus. Addit, quod Ens summe perfectum, qui Deus est, ideam extensionis excludat, non vero ideam cogitationis; quod Deus substantiam cogitantem creare possit, quæ non sit extensa; quod extensa sine cogitatione actu producat. Unde infert, ex substantia extensa non magis fieri posse cogitantem, quam ex quadrato circulum: Deum scilicet extensam non posse reddere cogitantem, nisi essentiam ejus prorsus immutet. Cap. 2 de anima brutorum notat, quod, utrum cogitationes habeat, nec ne, cum intimam eorum essentiam ignoremus, sine revelatione divina innotescere nequeat. Probabilius tamen esse commonstrat,
bruta

bruta animabus rationalibus carere. *Cap. 3* octo proponit cogitationum divisiones. Distinguit eas 1 in formales & objectivas; 2 in directas & reflexas; 3 in cogitationes perceptionis & volitionis; 4 in activas & passivas; 5 in simplices & complexas; 6 in claras & confusas; 7 in abstractas & concretas; 8 in puras & impuras, & sub finem cogitationem cum visione comparans, multa ex *Malebranchii* Dialogis Metaphysicis desumfit. Cogitatio formalis est ipsi actus, quo cogitamus. Eum ignorari, ait, quod cognitionem mentis, adeoque & operationum ejus, non idealem, sed sensualem habeamus. Cogitationem objectivam sumit pro objecto ideali, non reali, ad quod cogitatio refertur. Apparet itaque, cum cogitatione Autoris objectiva coincidere Scholasticorum formalem, quibus objectiva est ipsum objectum reale externum. Ceterum omnem cogitationem formalem vel mera perceptione absolvi, vel per modum desiderii fieri, notat Autor addens, quod semper sit similis ac uniformis naturæ, ita ut omnis diversitas ab objectiva ipsius parte sit petenda. Cogitationem directam dicit, si actus in suo ideali objecto terminatur; reflexam, si in se ipso. Terminos hos figurativos pronuntiat, a motus determinatione mutuatos; aut clara mentis idea carentes dicere non posse, quidnam sit illud, quod in cogitatione cum motus determinatione similitudinem inferat. Differentia inter perceptiones & volitiones per experientiam stabilita, illas in intellectuales, quibus res extra nos & a nobis distinctas; & in sensuales, quibus intime nosmet ipsos persentiscimus, subdividit. Hac occasione carpit Scholasticos, quod operationes intellectus in simplicem apprehensionem, iudicium & discursum dividant, cum discursus sit quoque iudicium, quo propter datam rationem aliquid esse iudicamus, & iudicium ad voluntatem pertineat. Nec patitur, scientiam dici propositionem, cui assensum præbemus ob evidentiam perfecte cognitam, sed nudam perceptionem facit. Assensus vero ipsi est triplex, præbitus 1 testimonio seu auctoritati; 2 evidentiae incompletæ; 3 evidentiae completæ. Ille fidem, is opinionem, hic consensum plenum constituere dicitur. Præterea assensum dividit in mediatum & immediatum: quorum ille in nuda duarum idearum comparatione, hic

ne, hic in mediatione ideæ tertiæ fundatur. Pro activis habet omnes volitiones; pro passivis omnes perceptiones sensuales; pro activis ex parte, & ex parte passivis perceptiones intellectuales. Ad cogitationes complexas judicia refert: perceptiones simplices vocat, si mens solas expendit ideas; ast compositas, si simul eorum habeatur ratio, quæ inde resultant. Omnem tamen perceptionem simplicem esse quoad actum, ut non quoad objectum. Perceptionem complexam seu perceptionem relationis idearum aut veritatis esse, quæ proprie scientia vocatur, quæ itidem vel immediata, principiorum scilicet, diciturque intuitiva, vel mediata, nempe conclusionum, diciturque demonstrativa. De cogitatione clara & confusa dum differit, in multis *Cartesianorum* placita approbat; ast in eo tamen *Cartesium* perstringit, quod inter ideam claram & distinctam distinguat. Ipse inter claritatem cogitationis & claritatem expressionis distinguit, atque hanc ad terminorum definitiones redire notat, claritatem vero perceptionis criterium veritatis cum *Cartesianis* facit. Abstractionum duplicem indicat usum, quod 1 claritati, 2 extensioni idearum inserviant. Distinctionem inter puram & impuram cogitationem non minus ad voluntatem, quam intellectum refert. Actionem voluntatis dicit puram, si perfecte voluntaria; impuram, si ex parte voluntaria, ex parte involuntaria. Respectu intellectus perceptionem puram vocat rerum immaterialium, impuram materialium. Ubi una de distinctione inter intellectum purum & imaginationem disputat. *Cap. 4* distributionem objectorum sensibilibus generalem in suas species affert & *Cap. 5* adstruit, quædam objecta intelligibilia immaterialia, ut cogitationes nostras, divinas ideas atque Deum imprimis ipsum, immediate & per se intelligi; reliqua vero mediante idea. Dei profecto nullam dari ideam ab ipso distinctam, ipsumque nobis intimius præsentem esse, quam ulla res alia. Optime probari obiter monet, quod Deus existat, quia, nisi existeret, immediate eum non perciperemus, cum non entis nullæ sint affectiones. Quod omnia objecta materialia, ac forte etiam quædam spiritualia per idearum mediationem, nequaquam vero per se ipsa intelligantur, inter alia *Cap. 6* hoc argu-

mento stabilire fatagit, quod sub scientiam cadant, quæ necessariorum ac immutabilium; res vero immateriales immutabiles existunt, non quatenus in rerum natura existunt, sed quatenus in ideis suis latent. *Cap. 7* argumentis potissimum *Malebranchii* evincere studet, objecta materialia non emittere ullas species ipsi similes, nec eas, si vel maxime emitterentur, perceptibiles futuras. Disputat etiam contra *Lockium*, & refellit vulgatum illud: nihil est in intellectu, quod non fuerit in sensu. *Cap. 8* negat, ideas a mente produci, cum nullius istiusmodi virtutis sibi conscia existat, & ideæ ex natura sua sint improducibiles, utpote, æternæ, necessariæ, immutabiles. Addit alia argumenta a *Malebranchio* mutuata. *Cap. 9* eorum opinionem rejicit, qui ideas a Deo in nobis creari asserunt, *Malebranchii* argumentis denuo confusus. Urget præterea, ideas a Deo successive in nobis creari non posse, quod omnes una habeamus, cum omnes res cogitare velle possimus. *Cap. 10* ejusdem *Malebranchii* argumentis illorum sententiam impugnat, qui res a mente percipi defendunt, dum proprias modalitates contemplatur, cum modalitates a substantiis distinctæ concipi nequeant, quemadmodum ideæ ab anima distinctæ concipiuntur. *Cap. 11* tandem *Malebranchii* hypothesin de visione rerum omnium in Deo menti intime conjuncto amplectitur, aliis tamen verbis eandem effert, quod scilicet ideæ, per quas percipimus, sint ipsissimæ ideæ divinæ. Et enim cum realiter eadem sint cum essentia divina, eas quoque instar hujus per se perceptibiles esse & cum ipsa nobis intime præsentis, adeoque & nobis per se intelligibiles. Rationes plures *Cap. 12* superaddit, quod nimirum omnes reliqui percipiendi modi sint impossibiles, quod ideis competant attributa divina, æternitas, necessitas, immutabilitas, quod eadem objectum scientiæ & fundamentum veritatum æternarum constituent. Phrasin vero *Malebranchii* se ideo immutasse ait, ne quis cogitet, res ipsas in Deo videri. Sub finem corollaria considerat, quæ ex hac hypothesi deduxit *Malebranchius* & *Cap. 13* monstrat, in quantum hujus hypotheseos fundamenta a Scholasticis posita fuerint, ipsamque *Augustini* autoritate confirmat. Multum in hac materia

teria lucis Autori affulsisset, si schediasma *Leibnitianum* superius laudatum expendere libuisset.

RECHERCHES HISTORIQUES ET GENEALOGIQUES des Grands d'Espagne.

i. e.

JACOBI GUILIELMI IMHOFII DISQUISITIONES Historico-Genealogicae de Grandibus Hispania, &c.

Amstel. apud Zachariam Chastelain, 1707, 12.

Plag. 12 & figg. æn. pl. 2.

POSTquam superiori Mense Cl. Imhofii *Stemma Regium Lusitanicum* produximus, nunc alium non minus eximium Imhofiani ingenii fœtum, Gallica lingua conscriptum, eodemque fere tempore apud Batavos excusum sistimus. Primus in hoc genere est, qui prodit, ac præter *Insignia* cujusque familiæ, Grandatu, ut sic loquamur, ornatae, elegantissime exsculpta, repræsentat quoque novam *Tabulam Geographicam* Portugalliæ Hispaniæque, qua, singulari prorsus exemplo novoque invento omnes illæ provinciarum partes, quæ notabiles sunt, vel *Ducatum*, vel *Marchionatum*, vel *Comitatum*, vel *Baroniarum*, vel *Dynastiarum*, adeoque *Grandatum*, titulis curiose sunt exposita; ut hac ratione species istæ velut in arctum contractæ facilius oculis animisque inhærere possint. Præfatio, quæ opusculum hoc non parum commendat, disserit prolixè de origine, prærogativisque & distinctione Grandatum Hispaniæ inter ipsosmet. *Grandes* autem Hispaniæ dicuntur, *primi Regis Cives seu Vasalli*, qui neminem supra se agnoscunt, præter ipsum, & privilegio gaudent obtegendî caput, sedendique coram ipsius Majestate, quare etiam per antonomasiam *Grandes* adpellantur. Nititur autem hæc dignitas tam successione hæreditaria in familiis & terris, harum potestati subiectis, quam merito illustrium personarum. Quemadmodum autem eos, qui nati sunt Hispani, *Grandes Castiliæ*, ita, qui extra Hispaniam hoc honore ornantur, *Grandes Hispaniæ* vocari, so-

lennis est consuetudo. Omnium autem tres potissimum sunt *Classes*. Ad priorem qui pertinent, operiunt caput, etiam non jussi, quotiescunque cum Rege loquuntur. Qui ad secundam, non nisi facto ad Regem sermone, ipsoque responsum dare incipiente; & qui ad tertiam demum, non nisi finito adloquio, & a Rege paululum recedentes. In ipso opere Autor celeberrimus de Grandibus, qui vel sunt gente Hispani, vel ditiones in Hispania possident, agit, eorumque conditionem, nomina, virtutes, nuptias, liberos, agnatos & insignia tribus Libris repræsentat. Primus exhibet *Duces* scilicet *Abrantes, Alba vel Alva, Albuquerque, Alcala, Arcos, Aveiro, Baena, Beiar, Camina, Cardona, Escalona, Feria, Frias, Gandia, Hajar, Huesca, Infantado, Lerma, Linares, Maqueda, Medinaceli, Medina de Rioseco, Medina Sidoronia, Medina de las Torres, Montalto, Najera, Ofuna, Pastrana, Peñaranda, San Lucar la Mayor, Segorbia, Sessa & Soma, Terranova, Torres Novas, Veragua, Vibona, Villahermosa & Uzeda*. His subjunctus est Dux, non Grandis Hispaniæ, de *Ciudadreal*. Secundus *Marchiones*, ut sunt *Aguilar, Aytona, Alcanizas, Astorga, Los Balbacez, Camarasa, Carpio, Castel Rodrigo, Castromonte, Comares, Denia, Hinoyosa, Laguna, Leganez, Mancera, Mondejar, Montealegre, Priego, Santa Cruz, Velada, Los Velez, Villa Franca & Villena*. Tertius denique *Comites* sistit, nempe *Aguilar, Altamira, Alva de Aliste, Aranda, Los Arcos, Baños, Benavente, Cabra, Cifuentes, Fuensalida, Lemos, Lerin, Medellin, Miranda, Monte-Rey, Olivares, Oñate, Oropesa, Palma, Paredes, Peñaranda, Sant Estevan, & Santa Gadea*. Quæ vero de his familiis adnotantur, legi in ipso libro malunt, quam hoc loco sine ordine tradi. Maxime autem juvabit curiosos, vel in compendio cognoscere rationem Genealogicam familiarum Hispaniæ illustrium, quarum notitiã habere, præsentis rerum in Hispania statu, non erit fortassis inutile.

JUSTI CHRISTOPHORI BOEHMER, POLIT. ET
Eloquentiæ Professoris, Prolusiones VII, Publicarum
lectionum auspiciis in Academia Ju-
lia præmissa.

Helmstadii, apud Ge. Wolfgangum Hammium, 1707, 4.

Plag. 8.

EX quo Clarissimus Vir, *Justus Christophorus Bæbmer*, Politices primum, & postea Eloquentiæ etiam Professor constitutus est in Academia Julia, bene ornare cœpit provinciam suam, editis varii argumenti programmatibus, orationibus, disputationibus, & monumentis eruditis aliis. Nec tacenda hoc loco Nicolai Burgundi Historia Bavarica, quam paucis antea visam cum Præfatione luculenta aliquot abhinc annis recudi curavit. Novissime & Prolusiones, septem prælectionibus publicis annis MDCCIV MDCCV, MDCCVI præmissas, edidit. In prima Prolusione repræsentat ideam florentis status litterariæ societatis. Dissertit initio de necessitate & utilitate, ac demonstrat, quomodo debeat esse comparata societas erudita, ejusque membra, & procul abesse jubet inane studium vel fugillandi vel contemnendi alios. Exponit deinceps, quæ potissimum studia excolenda sint; qui requirantur mores eruditorum, nisi velint rideri ab hominibus in publica luce versantibus, sapientioribusque. Sub calcem adfert ex Joannis Caselii, quem Socratem inferioris Saxonix compellat, Epist. Centur. una Ep. XLIII p. 246 verba quædam, quibus istiusmodi status litterariæ societatis Rostochii florentis in exemplum commendatur. Secunda docet, quibus nonnulli modis inclarescant in republica litteraria, ubi depinguntur multorum ridicule & inepte doctorum artes, & studia occulta, per quæ ad laudem deproperare gestiunt, demumque disquiritur, an gloriæ & inclarescendi studium pro scopo laborum suorum eruditi habere debeant? In tertia agitur de bellis litterariis, ubi per Facultates, quas dicunt, progreditur Clarissimus Autor, & primo Philosophicam, aut quæ humaniores colit litteras, adducit. Confidenter de hac dicit, nullam gentem alterationibus magis esse deditam, quam hanc, quæ elegantiorum nomine litterarum censerit cupit. Hanc in rem ex scriptore Italo Bocalini adducit bellum, quod inter Paulum Manutium & Dionysium Lambinum exortum est de eo, an vox *consumtum* cum p, an sine p sit scribenda. Primum defendit Manutius,

Ciceronianæ dictionis acerrimus vindex, alterum Lambinus. Hic commotus ita fuit Manutius, ut veterem lapidem Romanum, in quo confutum cum p scriptum, Lambino in os coniceret, & nasum ei confringeret. Ita quoque narrat de bellis, quæ conflantur inter Poetas, Historicos, Philosophos, qui de terminis inaniter disputant. Ab his progreditur Noster ad eos, qui artem medendi profitentur, qui non minus litigant inter se, quam qui civilis juris studio addicti sunt. Pergit ad bella, quæ geruntur inter Theologos: per ea dicit multa deturpata esse in ecclesia ab omni tempore, & existimat non sine causa, multos inde existere, qui non admodum honorifice sentiant de religione Christiana. Originem horum bellorum statuit solam ambitionem, pestilens blandimentum animorum. Quarta Prolusione docet Autor, dicendi scribendique studia ornamento adjuumentoque esse omnibus vitæ generibus. In quinta differitur de decoro in civili vita atque conversatione observando. Sexta agit de bonorum variæ doctrinæ Scriptorum notitia, necessaria hodie circumspicteque paranda. Septima denique Prolusione docet Cl. Autor, meliora studia propter se ipsa esse excolenda, si vel maxime ampliores nec divitias hodie, nec honores polliceri videantur. Ex singulis his gratissima afferre specimina facile possemus, nisi brevitatis memores nos esse deceret.

*JO. MARIÆ LANCISII, INTIMI CUBICULARII
& Archiatri Pontificii de Subitaneis Mortibus
Libri duo.*

Romæ, typis Jo. Francisci Buagni, 1707, in 4.

Alphab. 1 plag. 10½.

CUM Experientissimus Autor a Summo Pontifice in causas ope dissectionis inquirere juberetur, cur Romæ tot homines a tempore æstivo A. 1705 ad æquinoctium usque vernum A. 1706 adeo celeriter exanimarentur, per commodam nactus fuit occasionem varia cum in cadaveribus observandi, tum de repentinæ mortis causis in universum meditandi, omnia vero in duobus Libris cum orbe docto hic communicandi. In primo
nama-

namque eorum circa mortes subitaneas in genere ita versatur, ut, descriptione vitæ propter exactiorem mortis ideam præmissa, non solum edoceat, cur aliqua mors audiatur subitanea, quidque mors tam in se, quam speciatim subitanea sit, & quæ differentiæ utriusque habeantur, sed & quæ causæ mortis repentinæ occurrant, quibus signis tum variæ mortes a se invicem distingui, tum mortes subitaneæ prænosci, qua methodo denique hæ ipsæ præcaveri queant. Vitam videlicet perfectorum animalium nihil aliud esse reputat, quam continuum, præside ac movente anima, fluxum & refluxum plus minusve sensibilem aeris, sanguinis & liquidi nervei per organa, & ex organis majoris usus, satis probe constitutis, & mutuo atque alterne plus minusve sensibilibiter agitatis & agitantibus. Mors autem quamvis omnis repentina sit, ceu temporis puncto contingens, distinctionem tamen, qua mors intuitu morbi, tanquam viæ ad mortem longioris aut brevioris, in longam, brevem ac subitaneam vulgo dispescitur, vel ideo haud negligendam censet, quod a Medico diversæ ejusmodi mortium causæ, signa & remedia, illas vel arcedendi, vel saltem ob animæ salutem paululum prorogandi, sollicite sint indaganda, & tunc etiam quando nec prævideri, nec protrahi valeant. Philosophia experimentalis ad Hippocratis mentem plenius illustranda. Hinc quemadmodum mortem asserit, veram & omnimodam esse cessationem motus aeris, sanguinis & fluidi nervei in organis & per organa majoris usus, quæ naturales suas motiones vere ac omnino amiserunt, viribus naturæ neutiquam resuscitandam, sed cum animæ discessu necessario conjunctam; ita pluribus æque innuit, quomodo talis mors, cogitatione citius contingens, clarioris doctrinæ gratia in naturalem, immaturam & violentam, singulæ autem in lentas & subitaneas, prævisas & improvisas, dividi debeant, ac quid titulo ejusmodi specierum intelligatur. Repentina imprimis mors cum appellari soleat ea, quæ per morbum celerrimi motus homines, ut plurimum vel sanos, vel morbis inducias permittentibus detentos, absque ullo vel breviori agone viventium numero eximit, porro morbi ipsius celeritatem, nunc insensibilem & im-

pag. 4.
5.
6.
8.
9.
11.
pro-

- provisam, nunc autem sensibilem & præviam, obvenire anno-
 pag. 14. tat: & ne subitanæ mortis occasiones cum causis veris confun-
 dantur, hæc ad vitium aut fluidorum, aut solidorum majoris
 usus, speciatim aeris, sanguinis, fluidi nervei, organorum respira-
 tionis, cordis & vasorum, atque cerebri ac nervorum, præsertim
 15. splanchnicorum, revocat, passionibus animi peculiarem classem
 eo minus concedens, quo magis tales, si mortem improviam
 subinde accersant, præcordia & cerebrum admodum imbecillia
 peneque effracta vel inveniant, vel efficiant. Postquam vitia
 nihilominus tam fluidorum in quanto & quali, quam solidorum
 in structura & motu, uberius enumeravit, mutuam sibi opem
 in subito enecando ferentia, simulque explicuit, cur epilepsia in
 23. apoplexiam aliquando transeat, cunctos morbos subitaneos ad
 43. Suffocationem, Syncopen & Apoplexiam, plerumque etiam con-
 48. currentes, reducit, eorumque alios invincibiles, omnem sangui-
 nem, vel continuitatem cerebri cum nervis, aut cordis & insi-
 gnium vasorum sanguiferorum cum cerebro, aliisque magni usus
 visceribus tollentes, alios vincibiles, a simplici ac celeriter facta
 obstructione, pressione aut convulsione instrumentorum, motui
 aeris, sanguinis & liquidi animalis dicatorum, dependentes in-
 digitat. Ad signa tum accedens, quoniam contingit, ut nunc
 malitiosi ad supplicia evitanda se repente mortuos simulent,
 50. nunc citissime mortui saltem nonnulli videantur, qui revera
 tamen nondum discessere, in priorum sive mortis similitæ co-
 gnoscendæ gratiam non nisi flagra, ferrum & ignem denuda-
 tis corporibus applicari jubet; posteriorum vero seu pseudo-
 mortuorum dignoscendorum ergo partim necis causas, num in-
 55. vincibiles hæ præcesserint, an vincibiles, sedulo explorare, par-
 tim respirationis & pulsus reliquias variis mediis indagare con-
 61. sulit. Ast signa ipsius mortis repentinæ futuræ, si prænosci
 hæc possit, distincte pariter aut ab instrumentorum respirationi
 famulantium læsione, aut a corde, magnis vasis & sanguine, aut
 a cerebro, nervis & liquido animali petens, tanto certiora eadem,
 quanto magis collective sumantur, hinc inde inculcat, pulsum-
 71. que v. gr. intermittentem non semper funestum existere, pro-
 90. prio experimento confirmat. Methodum denique subitanæ

mortis præservativam iis aliam, qui sani quidem videntur, plethorici tamen seu athletici, vel nimium obesi & corpulenti, vel timidi & pusillanimes existunt, aliam vero, quibus ex morbo, aut pag. 95.

interno, aut externo, valetudinarium est corpus, præscribit, restumque vitæ regimen ac tranquillum animum etiam medicaminibus anteponit. Libro autem secundo dum Noster eas in specie mortes repentinas pertractat, quæ A. 1705 & 1706 Romæ contigerunt, strictius causis ipsarum ac remediis, prolixius observationibus tum nonnullorum, qui feliciter evaserunt, tum qui perierunt, deprehenditur inhærere. Causa siquidem ejusmodi mortium subitanearum etiamsi non universalis, v. gr. nicotiana, exhalationes ex terræ motibus, succolata, ignotum aeris venenum &c. sed singulis fere morientibus particularis & propria, in quantum nemo nisi valetudinarius & intemperans repente exspiravit, accusetur & confirmetur, inæqualis nihilominus aeris constitutio, veluti æstas fervida & siccissima, autumnus, austro plerumque comitante, pluviosus, ac hyems inæqualiter borealis & australis, causis occasionalibus non immerito accensetur, ratione addita, cur grassantibus repentinis moribus, reliqui morbi & mortes minus frequentes Romæ fuerint. Inter ea vero, quæ a subitaneis istis mortibus maxime liberasse videntur, sanguinis missio in diversis partibus celebrata, Romæ alias non semper proficua, vesicatoria plantis pedum, artubus & occipiti statim applicata, ignitave ferramenta plantis pedum admota, laxantia, diluentia & temperantia, spiritus demum excitantia & refocillantia, potissimum laudantur atque hinc inde observationibus illustrantur. Tandem ex observationibus novem fusius commemoratis non nisi ultimæ, quæ improvisam mortem ex repentina cavæ intra pericardium disruptione cum aneurysmate arteriæ magnæ sistit, nostram liceat operam impendere, atque ea, quæ in historia, cadaveris dissectione ac scholio pluribus traduntur, transcribere huc paucis. Stephanus nempe Ascieri, tutor Januensis, sexagenario major, habitus carnosus, d. 14 Martii 1706 hora 17 mox aphoniam & angorem corruit exanimis, ubi a prandio merum ingurgitasset & dimidium Quadragesimæ falsamentis transegisset. Symptomata, quibus vel ali-

105.

112.

118. 115.

124.

127.

138.

218.

quot ante mortem annis, vel ultima hyeme subjectus fuerat, enarrantur varii; octo quippe ante obitum annis podagra & chiroagra circa æquinoctia graviter vexatus, ante biennium tusficum dispnoëa detineri cœperat, cordis palpitatione atque dolore sub dextro sterni latere gravativo, interdum acuto, ad humerum usque propagato, cum pectoris angustia & profunda pulsatione insequentibus; hyeme vero præterita vertiginem sæpe cum sensibili capitis incalescentia & præcipiti virium lapsu persenserat. Cadavere dissecto in abdomine & cranio pauciora, plura in thorace detegebantur: in abdomine quippe sola bilis cystica aliquid subobscuri referebat, cranioque remoto ac posteriori sinu meningis duræ casu vulnerato niger sanguis large profluxerat, qualis copiosus pariter in lateralibus continebatur sinibus; ventriculi autem cerebri sero limpido turgebant, quod ad principium spinalis medullæ redundaverat. Ast detracto sterno, dextra sui parte aliquantum elatiori, intra thoracem alia extra pericardium, alia in pericardio occurrebant: extra pericardium dexter pulmo rubicundior & pleuræ admodum agglutinatus, imprimis vero notabile aortæ aneurysma, vel pugnum facile admittens, conspiciebatur, lamella ossea figuræ ovalis cinctum, atque non sanguine solum grumoso, sed & raro polypo, instar lardi in fornem perquam concinne incrustato, turgidum; in pericardio autem multus cruor grumosus, duarum etiam librarum pondus excedens, atque ex vena cava, juxta dextram cordis auriculam disrupta vel erosa, effusus deprehendebatur. Adeo perspicue malum hic lethale patebat, subito enecans, postquam sanguini duplex vis novissime probabiliter accessisset, erosiva scilicet ex falsamentis, per dimidium quadragesimæ ingurgitatis, atque distractiva ex meraco ultimum hausto. Neque difficulter palpitationo recurrens ex reflexione motus sanguinis ab aortæ aneurysmate versus cor, & vertigo frequens atque capitis incalescentia ex impedita itidem traiectione sanguinis a cava intra dextrum cordis ventriculum; præceps autem virium lapsus ex utroque aneurysmate, cavæ nimirum, sanguinem cordi frequenter subtrahente, & aortæ, illum in cor repellente, deducuntur. De aneurysmatum tamen natura & differentiis nobilissimus Autor

in peculiari de Corde & Aneurysmatibus Tractatu copiosius differere pollicetur, exemplum descripto casui affine ex Andrea Laurentio in fine scholii exhibens. Cæterum prout Index Capitum, Historiarum & Scholiorum, utroque libro contentorum, præmittitur; ita Index rerum & verborum ad calcem subjungitur amplissimus.

226.

NAAUKEURIGE VERSAMELING &c.

i. e.

COLLECTIO CURIOSA ITINERUM IN UTRAMQUE Indiam.

Tomi VI, VII, VIII, IX & X.

Lugd. B. apud Petrum van der Aa, 1707, 8.

Const. Alph. $7\frac{1}{2}$ & figg. æn. plur.

CUjus superiori Mense Tomos enarrare cœpimus Collectionis Itinerum in utramque Indiam ad hæc nostra usque tempora factorum percuriosæ & amplissimæ quinque priores, ejus jam quinque alios recens editos sistimus.

Tomo nimirum sexto, qui itinera maritima ab A. 1508 ad A. 1513 in utramque Indiam facta complectitur, navigationes primum aliquot memorabiles annis 1508 & 1509 ad Indiæ Occidentalis insulas novas, vel etiam terram continentem detegendam emissæ, ex Antonii de Herrera Collectione Hispanica, enarrantur. Una harum a Sebastiano d' Ocampo in insulam Cubæ & altera a Jo. Ponze de Leon in S. Joannis insulam, auro perditivem, alias Borriques dictam, A. 1508, tertia vero a Jo. Diaz de Solis cum Vincentio Yanez Pinzon in terram continentem prope Caput S. Augustini, & reliquæ duæ ab Alonzo d'Ojeda & Diego de Niqueza ex Hispaniola in Jamaicam circa A. 1509 fuere institutæ. Excipit deinde has cruentum Don Ferdinandi Coutinho iter cum classe quindecim navium ad Indiæ Orientalis oras A. 1509 factum, item historia colonizæ a novo Oceani præfecto Diego Colombo A. 1510 ex Hispaniola duce Jo. d' Erquebel in Jamaicam missæ, una cum Vasca Nuñesii de Balbao in Dariæ regnum A. 1511

& Diegi Velazquez eodem anno in Insulam Cubæ navigationibus; nec non duæ aliæ navigationes, altera a Gonfalo de Sequeira A. 1510, altera a Garcia de Noronha A. 1511 in Indiam Orientalem facta. Adduntur duæ in Indiam Occidentalem profectioes maritimæ partim, partim terrestres, una a Jo. Ponze de Leon A. 1512 in insulam Floridam, tum primum detectam, altera in Cumaguyam, insulæ Cubæ provinciam, A. 1513 a Pamphilo de Narvaes instituta, ubi varii etiam inter cetera Castellanos cum Caribanis aliisque istorum locorum anthropophagis conflictus cruentissimi narrantur.

Tomus septimus profectioum maritimarum ab A. 1514 ad A. usque 1518 in utramque Indiam historiam evolvit. Prima, quæ comparet, est profectio maritima auctoritate & jussu Regis Catholici a Pedraria Davila cum classe quindecim navium A. 1514 ad Dariæ terram continentem pernoscendam instituta, ubi inter reliqua portus urbis Havanæ situatio percommoda & Jo. Diaz de Solis ac Jo. Ponze de Leon excursiones adversus Caribanos A. 1515 factæ describuntur. Alterum locum historia navigationis Lopi Soares d'Albeigeria cum classe tredecim navium A. 1515 in Indiam Orientalem factæ occupat. Tertio navigatio Ferdinandi Perez d'Andrade ex Malacca in Bengalæ sinum & ad Chinæ oras recensetur, quæ uti auctoritate Emanuelis Regis Lusitaniæ A. 1516 suscepta, ita hic Sumatræ cum primis detectionem & pacta Andradii cum Ternatæ & Bantamiæ Regibus cognoscas. Cui quarto variæ fortunæ navigatio, qua Jukatania A. 1517 per Franciscum Hernandez de Cordua, & A. 1518 Hispania Nova per Jo. de Gryalva primum detecta, subjicitur. Omnes hæ navigationes partim ex Antonii de Herrera Hispanica, partim ex Joannis de Barros Lusitanica Collectione jam Belgicè translata, perinde ut & in Tomo sexto factum, enarrantur.

Tomus octavus navigationes annis 1518 & 1519 in utramque Indiam factas exhibet. Occurrit hic sub initium ex Jo. de Barros Collectione navigatio famigeratissima Diegi Lopezii de Sequeira A. 1518 in Indiam Orientalem, cum primis vero in insulas Maldivas, Moluccas, Bantamiam, Ternatam, Sumatram,

Cey-

Ceylon, ut & ad Arabiæ & Maris Rubri oras maritimas, una cum Abysfiniæ quadam descriptione. Cui addita dehinc legitur Georgii d'Albuquerque navigatio in eandem Indiam A. 1519 cum classe quatuordecim navium, item Ferdinandi Magellani detectio freti sui Magellanici, quæ circa A. 1520 facta, nec non Simonis d'Andrade iter ex India cum quatuor navibus in Chinam; ac continuatio navigationis & expeditionis Diegi Lopezii de Sequeira iisdem annis susceptæ. Altera parte non minus celebris Ferdinandi Cortesii in Hispaniam Novam & regnum Mexico cum magna classe circa A. 1518 & proximos excursio, & qua fortuna regnum Mexicanum sub Castellanorum potestatem redactum fuerit, commemoratur.

Tomus nonus itinerum Indicorum ab A. 1519 usque ad A. 1521 narrationes complectitur. Atque primo quidem expeditionis Ferdinandi Cortesii in Novam Hispaniam historia per annum speciatim 1519 pertexitur, quæ maximam partem oppugnationem metropoleos in regno Mexico opulentissimæ, & Regis Motezumæ subjugationem, una cum Mexicanorum indole, moribus & legibus, describit. Post hæc historia itinerum variorum terra marive ad Chiribichi, Cubaguæ, Chicoræ & Novæ Hispaniæ continentem vel ab Olonso d'Ojeda & Ferdinando Magellano, vel a Gonzalo d'Ocampo, Pamphilo de Narvaez & Luca Vasquez d'Ayllon ex Cuba & Hispaniola A. 1520 susceptorum, perinde ut prior illa, ex Antonii de Herrera codice Hispanico traditur. Dehinc Don Duarti de Menezes, præfecti in oris Indicis summi constituti, profectio & expeditio cum duodecim navibus A. 1521 ex Lusitania in Indiam Occidentalem navalis ex Jo. de Barros codice Lusitanico exhibetur.

Tomus decimus itinerum ab A. 1521 usque ad 1524 in Indiam factorum historiam sistit. Leguntur hic novæ aliquot expeditionis Ferdinandi Cortesii in regno Mexicano ab A. 1521 usque ad 1523 continuationes, quibus Duarti Barbozæ & Gonzali Gomez d'Espinoza A. 1521 per fretum Magellanicum in Indiam Orientalem trajectio, item Gil Gonzales Davilæ A. 1522 ex Panama in Oceanum Meridionalem iter, ut & alterius cujusdam navigationis historia est inserta, qua post navis opulentissi-

mæ, Victoria dictæ, in Hispaniam reditum Stephanus Gomeſius A. 1523 ex Oceano Septentrionali in Meridionalem novo freto trajicere tentavit. Has excipiunt ex Antonii de Herrera Collectione depromptæ expeditiones tres, maritimæ partim, partim terrestres, quarum unam Franciscus de Garny ex Jamaica in regionem Panaco, alteram Petrus d'Alvarado ex sinu Mexicano in Guatemalam, & tertiam Diegus de Godoy itidem ex regno Mexicano ad novas terras detegendas, circa A. 1523 & proximum fecerunt. Tandem navigatio Jo. de Verrazano, Florentini, auspiciis Francisci I Regis Galliarum A. 1524 in regnum Floridæ & ad novas in India Occidentali terras detegendas suscepta, & Gallice primum ab ipso Verrazano scripta, Tomum hunc Collectionis nostræ decimum finit.

M. C. FEUSTELII AD M. HEINRICUM PIPPINGIUM Schediasma.

Lipsiæ & Görlitii, apud Jacobum Rohrlach, 1707, 8.

Constat plag. 16.

IN Schediasmate isto, ad Reverendum H. Pippingium nostrum perscripto, id sibi datum voluit Auctor, ut generatim de eruditorum Germanorum vitis contra iniquas Gallorum nonnullorum censuras, & speciatim contra Rolandi Maresii de *Βιογραφίαις* Germanorum judicium ageret. Sub initium de Christ. Daumii, quem docentem olim consecutus est, eruditione, humanitate, & insigni historiæ litterariæ peritia agit, doletque, opus illud, quo Poetarum vitas descripsit, lucem publicam non aspexisse. Ab hoc excitatum se ait, ut undique eruditorum, Germanorum maxime, vitas conquiſiverit, hocque potissimum nomine non exiguos sumtus fecerit. Equidem non diffitetur, Gallorum complures minus præclare de Germanis sentire, sed his opponit

6. *Urbani Chevrei*, Galli, pronunciatum, & quæ ex nostris *Isaacus*

8. *Leickberus* de ubertate & prærogativa temporis nostri, *Kromayerus* de incrementis disciplinarum, *Lansius* in Consultationibus & *Auctor Vindiciarum nominis Germanici contra obtrectatores Gal-*

10. 11. *los* commentati sunt. Imo vero commemoratis Germanorum nonnullis, qui Gallis, quodcunque demum eruditionis genus nomi-

nominaveris, palmam possunt dubiam reddere, ex Mathematicis
 imprimis adducit Jo. Molitorem, Albertum Magnum, Jo. Va- pag. 13. 14.
 lentinum Merbitium, Weigelium, Jo. Jacobum Spenerum & 15. 16.
 Jo. Kieslingium, qui ea confecta dederunt, quæ omnibus admi-
 rationi sunt, & quos adeo non tam opponendos Gallis, quam
 præferendos esse censet. De Merbitio, Scholæ Dresdensis
 Pro-Rectore, paucis abhinc annis mortuo refert, confectum ab
 ipso fuisse caput humanum tanta arte, ut quærentibus sive Gal-
 lica, sive Latina, sive Hebræa aut Græca lingua usi fuerint, re-
 sponfa dederit. Aliquando virgini per jocum, quem thori socium
 habitura sit, quærenti respondit: centurionem. Cui effato, ela-
 psis quinque annis, eventus respondit. Nec prætereundum putat,
 quod aulæ cuidam ministro accidit; is cum auri ejus non nihil
 infusurrasset, hoc responsi clara voce prolati tulit: porrige huc
 aures & secreti quid accipies. Eo porro audito stupefactus minister
 dixisse fertur: hæc tibi cacadæmon aperuit, eo quod hæc nemini
 præter Deum & me ipsum constant. Quæ mira tamen nemini vi-
 debuntur, qui Merbitii artes habuerit perspectas. Eundem præter-
 ea in eo fuisse scribit, ut duas statuas componeret, quarum altera
 quærentis, altera respondentis, de materia qualibet differendo, vi-
 cem sustineret, atque insimul halitum, cujuscunque odoris desi-
 deraret aliquis, efflarent, imo jam operi perficiendo quinque an-
 nos consumsisse, sed morte præventum ultimam destinatis ma-
 num admovere non potuisse. Non minus memoria digna
 sunt, quæ de J. Kieslingio, Philosophiæ Hermeticiæ in Academia
 Erfurtenfi Professore clarissimo, in medium profert, nempe ipsum,
 quod multi frustra tentarint, radicem ex auro extraxisse in pa-
 nacea sua aurea, qua multos morbos nulla ope humana aut dif-
 ficulter sanabiles emendaverit, aut virium integritatem servave-
 rit. Eundem promississe speculum subterraneum, cujus ope me-
 tallifodinæ & cavernæ subterraneæ sine descensu perlustrari pos-
 sint. Invenisse præterea machinam, cujus adminiculo novem
 annorum puer halitu tantum magnum pondus levare potest.
 Inde Rol. Maresio respondet, qui Germanis vitio vertit, quod
 eorum, de quibus scribant, parentes, diem & aliquando horam,
 qua nati sunt, referant. Nempe plurimum, ipso censente, inter-
 est,

- est, scire, quibus parentibus aliquis natus sit, clarisne, an obscuris: hoc enim modo definiri posse, an parentum vestigia persequuti fuerint, an a majoribus acceptam gloriam retinuerint, auxerint, vel imminuerint, an vero primi decus suæ genti intulerint. Nectit hac occasione prolixum indicem Theologorum, Jctorum, Medicorum, Philosophorum, tum qui ex officina manuarum prodierunt, tum qui a mercatoribus aut artificibus ortum repetunt. Inde eos, qui obscuro loco, & postea, qui illustri stirpe nati sunt, recenset. Progreditur hinc, & Theologos, Jctos, Medicos, Philosophos enarrat, qui parentibus Theologis & ministris ecclesiæ prognati sunt, quos excipiunt, qui parentibus Jctis, Medicis, Philosophis procreati fuerunt. His confectis commonstrat, in annis, mensibus, diebus, horis annotandis non inutilem a nostris laborem collocatum fuisse: neque ejusmodi vitas utilitate carere, utpote ex quibus tum vivendi præcepta, tum divinæ providentiæ documenta capi commodè petique possint, id quod variis allatis exemplis planum reddit. Porro objecerat Maresius, nostros, si quis peregrinationem suscepisset, omne illud iter sigillatim describere, & quos quoque loco convenerint, quosque cum quoque sermones haberint, cum fastidio legentium commemorare. At vero reponit Noster, utique ista paulo fusius commemoranda esse, utpote quarum narrationum beneficio intelligimus, per quos quis profecerit, quomodo itineris sui rationes moderatus fuerit, &c. Qua occasione de Illustrissimo Comite, JO. ALBERTO, Sacri Romani Imperii Comite de Ronov & Biberstein, Consiliario Sax. intimo, linguæ Latinæ, Gallicæ, Italicæ, Hispanicæ, Boemicæ peritissimo, & susceptis itineribus clarissimo, nonnulla notatu dignissima affert. Neque vero solum recte ejusmodi a nobis commemorari, maxime Reverendus Feustelius contendit, sed dolet etiam non plura hinc inde adjecta fuisse, id quod exemplo narrationum de vita & obitu Jo. Ristii, Henrici Hœpferi, & Jo. Hanckii declarat. Et quod ad Hanckium, sacrorum quondam apud Waldenburgenses Antistitem, attinet, de ipso commemorat, sæpe ante obitum hæc ex ore ejus verba prodisse: Für Türcken und Frankosen fürchten wir uns noch nicht; aber

aber Pohlen, Pohlen wird uns noch Händel machen, i. e. *Turcas & Gallos nondum extimescimus, sed Poloni, Poloni inquam, nobis negotium facessent.* Imo vero existimat, prolixitatem nostris parcius objiciendam fuisse, cum ipsi Galli sæpe ea referant, quæ aut jure omittenda aut plane prætereunda erant, id quod prolatis variis exemplis demonstrat. Quo autem Reverendo Pippingio constet, quas Germanorum vitas, non, quæ ipsius verba sunt, ex meris concionibus, sed etiam panegyricis depromptas collegerit, prolixum earum catalogum nectit, ita, ut primo Theologos, inde JCtos, postea Medicos ac tandem Philosophos, quorum nomina secundum litterarum seriem apponuntur, recenset. Denique Rev. Pippingio de editis Theologorum Vitis gratulatur, eumque cohortatur, ut Adami Wittenique vestigia legens Jureconsultorum quoque, Medicorum & Philosophorum Vitas publicet. Uti vero propter Auctoris absentiam varia irrepsere errata, ita in tanta nominum ac prænominum multitudine fieri non potuit, quin doctissimo cæteroquin Viro quædam exciderint, quæ forsitan aliter comparata sunt. Sic pag. 32 Samuelem Lib. Baronem a Pufendorf inter eos commemorat JCtos, qui illustri stirpe nati sunt. At minus recte. Non enim nobili loco, sed parente Sacerdote in pago non procul Chemnitio in Misnia una cum fratre Esaia, amplissimis in aula Svecica Danicaque muneribus perfuncto, generatus, adeoque ad eam classem quam p. 43 constituit, referendus est. Pariter Weigelius, in Universitate Jenensi quondam Mathematicus, non Valentini, quo nomine famosus hæreticus compellatur, sed Erhardi prænomen habuit.

*DISSERTATIONES SELECTÆ CRITICÆ
de Poetis Græcis & Latinis, nempe JACOBI PALMERII
KPITIKON EΠΙΧΕΙΡΗΜΑ pro Lucano contra Virgi-
lium, ex scriniis J. BERKELII, A. F. &c. omnes si-
mul recensuit & edidit JANUS
BERKELIUS.*

Lugduni Bat. apud Corn. Boutestein & Jord. Leuchtman,

1707, 8.

Alph. 1 & dimid.

Jacobus Palmerius a Grentemesnil, cujus adeo celebratum inter eruditos nomen nihil, quod non præclarum, pollicetur, cum fatis cederet, prelo paratum reliquit hoc *ἐπιχείρημα κρηικόν*, quod in hoc volumine primas partes obtinet; hoc cum fidei crederetur Abrahami Berkelii, editoris magni parentis, atque hic pariter morte occupatus, jamdudum maturi fœtus in lucem publicam proferendi curam alii cogeretur concedere, inauspicato accidit, ut in alias quam hæredum legitimorum devolveretur manus, mala eorum fide, uti licet conjectare, quorum tutelæ matre vidua impubereque filio Berkeliana literaria supellex commissa erat. Hac namque abusus potestate aliquis thesaurum hunc surripuit, & eo usque suppressit, quo mentem veri falsique consciam in consilium morti propinquus adhiberet, & anxio quodam mentis impetu de eo reddendo possessoris Filio cogitaret, qui thesauri hujus sui compos factus sine mora Virorum doctorum, splendidissimorum in Academia Lugduno-Batava luminum, expetivit sententias, qua via in emittendo Palmerii luce publica dignissimo partu ineundum esset. Auctores autem Viri docti fuere Berkelio, quod justis voluminis molem non æquaret opusculum, ut novæ forte sperandæ Lucani Poematum editioni reservaretur, cui egregio posset ornamento esse; & tantum absuit, ut non probaret elegantiorum literarum antistitum consilium, ut potius huic innixus spei, edendi atque sic confestim de publico bene merendi fervori temperaret. Verum cum spes nulla affulgeret de nova Lucani editione, in fraudem publici commodi occultum latere non ultra pati voluit. Obsecundavit ergo Clarissimo Jo. Jensio, qui putabat, opportune fieri posse, ut alia in partem traherentur parvis ingenii Virorum doctorum Opuscula, partim Gallice, partim Latine scripta, ut justis corporis magnitudinem liber acquireret. R. Rapini igitur comparisonem Homeri & Virgilii, quam Vir doctus aliquis Latinam fecerat, Palmerio subjunxit, cui Blondelli comparisonem Pindari & Horatii, quam ipse

ipse J. Berkelius Latinitate donavit, addidit, nec non Jacobi Tollii comparationes, non Pindari modo & Horatii, verum & Apollonii & Ovidii, Petronii & Virgilii, Senecæ & Sophoclis, ex quibus natum est denique hoc florum, ut loqui amat, corpusculum, primumque anno 1704 hoc titulo prodiit *Jacobi Palmerii a Grenemesnil KPITIKON EΠΙΧΕΙΡΗΜΑ, sive pro Lucano Apologia, e scriniis Jacobi Berkelii, Abr. Fil. edita: accedunt similis argumenti nonnulla alia*; quem titulum Bibliopolæ majus forte lucrum sperantes superiori anno mutarunt. Non vane autem Lucano gratulatur Berkelius, quod præconem invenerit Palmerium: strenue enim gesit ipse, quam susceperat, provinciam, eorumque, qui male Poetæ volunt, quorum facile sunt Scaligeri principes, adeo mascule tela retulit, ut palmam æquis possit iudicibus sperare. An vero plus debeatur ingenio, an doctrinæ, an eloquentiæ, tu Lector judica. Nos postremo loco, qua ratione Lucanum cum Virgilio comparet, ut scias, ipsius Palmerii verba, quibus Virgilio primatum ab omnibus concessum non denegat, huc transcribemus e p. 5. Ergo rependere Lucano beneficii gratiam omnino decrevi, & pro insigni animi voluptate, quam in Pharsaliæ lectione me percepisse memini, tanti viri contra ejus obtretractores famam propugnare, pro virili parte conabor, dum fervet animus, nondum restinctis ejus incendiis, dum obversatur memoriæ pulcerrimi operis recordatio, cumque magno Virgilio non adeo imparem congregi posse in animo est asserere. Nec parum famæ accessisse Maroni, quod & secundum Lucanum fecerit antiquitas. &c.

NOVA LITERARIA.

Viget inter Italos hoc tempore studium Oratores & Poetas, cives suos, contra Gallorum, speciatim Dominici Bouhours, censuras tuendi. Postquam enim illustris Marchio Joannes Josephus Ursius librum sub t. *Considerationi sopra un famoso libro Francese, intitolato la Maniere de bien penser*, Bon. 1703 edidisset, de quo diximus in Actis anni M DCC V p. 371 sq. Trevoltiensis Diarii Auctores, dum eum recensuere, nonnulla sub examen vocarunt, ad quæ Auctor mox quatuor elegantissi-

mis Epistolis Annam Daceriam, (cui & librum illum inscripserat,) Bon. 1705, 8 editis, respondit. Cum vero & alii subinde de rebus controversis ad illustrem Auctorem Epistolas misissent, digna illi res visa est, ut eas, insertis iterum quatuor illis, quas ipse exaraverat, uno fasciculo ederet. Hinc prodire *Lettere di diversi Autori in proposito delle Considerazioni del Marchese Giovan Gioseffo Orsi &c.* Bon. 1607, 8, quo in libro doctissimas Petri Antonii Bernardoni, Ludovici Antonii Muratorii, Antonii Mariæ Salvini, Caroli Antonii Bedori, Francisci Torti, Antonii Sacci, Apostoli Zeni, Eustachii Manfredi & Antonii Gatti Epistolas deprehendas. Dedit & hæc res occasionem Cl. Justo Fontanini, ut ad eundem Ursium libellum sub t. *Della Eloquenza Italiana Ragionamento*, Rom. 1706, 4 conscriberet, cui prolixum Catalogum librorum excellentiorum, qui in quovis eruditionis genere idiomate Italico prodire, adjecit. Denique nuperrime prodiit liber *Ragionamento di Biagio Garofalo in difesa delle Considerazioni sopra il Libro delle Maniere &c.* Rom. 1708, 4 pariter ad illustrem Ursium directus, in quo varia haud proletaria contra Trevoltientes afferuntur. Ejus quoque controversiæ subinde mentionem fecit Lud. Ant. Muratorius in opere eximio *Della perfetta Poesia Italiana*, Mutinæ 1706, 4 duobus tomis edito (de quo proxime uberius dicemus) qui tamen cum & ipse quædam Poemata acrius percensuerit, nactus nuper est adversarium, Hyacinthum Vincioli, qui ad Cardinalem Barberinum sequentem discursum misit: *Lezione, e Difesa di Giacinto Vincioli, ad un Sonetto del Coppetta. Recitata in Perugia, li 29 Agosto 1707.* Perusiæ, 1707, 8. Ceterum Joannis Casæ Opera Italica, quæ & Æg. Menagium, Par. 1667, 8 cum elegantissimis notis edidisse novimus, multo auctiora sub t. *Opere di Monsignor Giovanni della Casa, con una copiosa giunta di Scritture, non piu stampate*, Flor. 1707, 4 prodire, & fama est recudi nunc eadem Venetiis, cum aliis Casæ ineditis. Porro Franciscus Ludovicus Barelli libri *Memorie dell' Origine, Fondazione, Avanzamenti, Successi, ed Uomini illustri in Lettere, e in Santita, della Congregatione de' Chierici Regolari di S. Paolo, chiamati volgarmente Barnabiti*, cujus primum Tomum Bononiæ 1703 in fol. edide-

rat,

rat, secundum ibidem 1707 vulgavit. Marchio Dominicus Suarez, Antonium Forestum continuaturus, libri *Mappamondo Istorico* Tomi sexti Partem primam, quæ Ducum & Imperatorum Turcicorum ab A. C. 571 usque ad 1566 res gestas complectitur, Ven. 1707, 4 edidit. Præterea prodire: Jo. Baptistæ Salerni *Specimen Orientalis Ecclesiæ a Concilio Nicæno I, ad Constantinopolitanum Generale II; in quo exponitur, quæ qualisve fuerit eo tempore Orientalis Ecclesiæ, & quid senserit de Primatu Romani Episcopi.* Pars prima historica, Sectio I, Romæ, 1706, 8: Philippi Rondinini *de St. Martyribus Joanne & Paulo, eorumque Basilica in Urbe Roma Vetera Monimenta*, ib. 1707, 4, item ejusdem *de S. Clemente Papa & Martyre ejusque Basilica in Urbe Roma Libri duo* ib. 1706, 4, nec non *Monasterii S. Mariæ & S. S. Joannis & Pauli brevis historia* ib. 1707, 4: Guidonis Grandi, Cremonensis, Cosmi III M. Ducis Etruriæ Theologi & Mathematici & in Pisana Universitate Phil. P. P. &c. *Dissertationes Camaldulenses*, Lucæ, 1707, 4: Petri Mariæ Grassi, Vicentini, *de Ortu ac Progressu Hæresum Joannis Wiclefi, in Anglia Presbyteri, Historia*, Vic. 1707, fol. Ludovici Vallettæ, Monachi Cœlestini, *de Phalangio Apulo Opusculum, in quo pleraque Historice, pleraque Philosophice, de hoc Insecto ejusque miro veneno enarrantur & discutuntur*, Neap. 1706, 12: Antonii Mongitore *Bibliotheca Auctorum Siculorum*, Panormi, 1708, fol. Mox etiam Romæ e prelo prodibunt Justi Fontanini *Antiquitates Hortenses*, in 4, quem doctissimi viri fœtum avide expectamus. Inter eruditos Italiæ nuper ereptos referendus imprimis est Faustus Naironus, Maronita, Linguae Syriacæ in Archigymnasio Romano Professor, *Evoplia Fidei Catholica Romanæ*, nobis in Suppl. T. II. p. 545 s. memorata, librisque editis aliis clarissimus, qui die 3 Nov. st. Greg. A. 1707 Romæ diem obiit.

Parisiis hoc anno prodiit *Bibliotheca Sacra, recensens omnes Sacrorum Bibliorum tum textus, tum cujuslibet versionis editiones, cum notis Historicis & Criticis.* Auctore Admodum Reverendo Patre Le Long, Congregationis Oratorii Paris. in 8, nec non S. Hildeberti, Cenomanensis ac deinde Turonensis Archi-Episcopi Opera in fol. quæ, excepto tantum titulo, integra prostant. Præterea Bernardi de Montfaucon *Palaographia Græca*, de qua

uberius anno superiore in Novis Literariis Mensis Septembris diximus, nunc Parisiis apud Lud. Guerrin, Jo. Boudot viduam & Car. Robustel in 8 maj. excuditur. Superiori vero anno ibidem die 27 Dec. in Abbatia S. Germani decessit Joannes Mabillon, Benedictinus e Congregatione S. Mauri, de cujus eruditissimis scriptis vel hæc ipsa Acta nostra testari abunde possunt.

Lipsiæ Thomas Fritschius urget Dictionarium Morerianum, quod in Germanicum idioma translatum & summi Theologi ac Polyhistoris, Jo. Francisci Buddei, cura mirum in modum auctum excuditur, speratque, cum usque ad literam I impressa sint omnia, sub hujus anni finem integrum opus proditurum. Idem magna diligentia imprimit Philostratorum Opera Græce & Latine, pariter intra aliquot mensium spatium proditura, quæ doctissimus atque amantissimus Collega noster, Gottfridus Olearius, nuper a Professione Græcæ & Latinæ linguæ ad Theologicam in hac Academia obeundam vocatus, ex codicibus MSS. recensuit, & innumeris locis emendavit, versionem integram fere novam confecit, notasque perpetuas addidit. Accedent Apollonii Tyanensis Epistolæ, Eusebii liber adversus Hierosolem, & Callistrati ephrases statuarum, cura ejusdem, cum Præfationibus & Indicibus necessariis. Quin & Jo. Frid. Gleditschius proximo mense editurus est tum celeberrimi Viri, Joannis Hübneri, Tabulas Genealogicas Regum, Principum & Familiarum illustrium, incredibili studio elaboratas, quibus addet Auctor Animadversiones historicas utilissimas, methodo erotematica, qua in ceteris scriptis suis historicis magno Lectorum fructu hætenus usus est, compositas; tum Jani Vincenti i Gravinae, Jcti Romani, Originum Juris Libros III in 4, quorum primus antehac Neapoli & Lipsiæ in 8 editus, nunc multo emendatior excuditur, posteriores e MSS. a doctissimo Auctore huc transmissis, quanta fieri potest, cura ac studio nunc primum typis impressi prodibunt. Ceterum superior annus Ecclesiæ Saxonicae perquam luctuosus & fatalis fuit. Quippe die 31 Augusti summus Theologus, D. Samuel Benedictus Carpzovius, Regius ac Electoralis Saxonicus Concionator aulicus primarius, Confessionarius & Consiliarius Ecclesiasticus rebus mortalibus exemptus est. Is patre D. Jo. Benedicto, Theologiæ in

Academia nostra quondam Professore celeberrimo, & avo D. Benedicto, Jcto consummatissimo, natus A. 1647 die 17 Jan. cum literis Lipsiæ ac postea Vitebergæ aliquot annis incubuisset, ætatis anno 24 Vitebergæ Poefin publice docendi munus nactus est, quod egregie ornavit, ibidemque publico jussu *Examen* edidit novæ Præxeos orthodoxam fidem discernendi & amplectendi, quam Jacobus Masenius Jes. Legatis Protestantium Electorum & Principum Ratisbonæ obtulerat. Hinc Dresdam vocatus, primum medius Ecclesiastes aulicus, mox Superintendens ac demum primarius Concionator aulicus, constitutus est, quæ officia tanta dexteritate obivit, ut tristis omnibus mors ejus evenerit. Et sperabatur equidem, posse hanc jacturam sarciri, postquam gravissimum Theologum, D. Gottlob Fridericum Seligmannum, antehac Theologiæ apud nos Professore, & Facultatis suæ Decanum, in Consistorio Electorali & Ducali Assessorem, ad S. Thomæ Pastorem, & Collegii Majoris Principum Collegiatum, hinc in aulam vocatum ad obeundum Concionatoris Primarii, Confessionarii & Consiliarii Eccl. munus intelleximus. Natus hic erat A. 1654 die 21 Nov. patre Zacharia, Pastore Haynewaldensi: hinc juvenis in Academiam nostram delatus, faventes omnes reperit; at cum Rostochium, peste apud nos ingruente, secessisset, mox illic Physices & Metaphysices Professor ac deinde Archi-Diaconus ad S. Thomæ factus est, Lipsiamque postea ad Diaconatum revocatus, isthic per gradus ad Pastoratum evectus, & Professionem Theologicam postea aliaque splendidissima officia nactus, demum Carpzovio defuncto in aulam hinc evocatus est. At vix altero ibi sermone e suggestu ad Regiam familiam facto, calculi, quo subinde laborabat, dolores sensit, quibus paulatim auctis, die 24 Decembris animam magno universæ Saxonix luctu efflavit. Repertus est in renibus optimi Viri calculus miræ magnitudinis & formæ, quem elegantissimo & operoso carmine ad mœstissimum Seligmanni Generum, Jo. Henricum Pippingium, Ecclesiasten apud nos facundissimum & strenuum in colligendis his Eruditorum Actis Socium, Ludovicus Christianus Crellius, Collega pariter noster diligentissimus, decantavit. Nec ignorare eruditos volumus, egregium Jctum, Carpzovii supra memorati

ger-

germanum, D. Augustum Benedictum Carpzovium, Codicis in hac Academia Prof. Publ. Canonicum Martisburgensem, Electoralis & Ducalis Dicafterii Provincialis supremi, Consistorii Ecclesiastici & Facultatis Juridicæ Assessorem, atque Academiae Decemvirum, natum die 2 Nov. A. 1644, qui unus e celeberrimis quatuor Fratibus Carpzoviis hæctenus superfuerat, hoc ipso anno die 4 Martii decessisse, quem ob candorem non minus, quam doctrinam Academia nostra merito luget.

LIBRI NOVI.

- Joannis Meyeri, SS. Th. & Ling. S. Doct. & Prof. Dissertatio Theologica, qua Propheticas Visiones Ezechielis de templo, urbe & Terræ Israelis distributione, novem extremis Capitibus contentas, nondum impletas, sed olim implendas esse, perspicue demonstratur. Harderovici, apud Petrum Sas, 1707, 4.*
- Gulielmi Nicholsii, Presbyteri, Defensio Ecclesiæ Anglicanæ, in qua vindicantur omnia, quæ ab Adversariis in doctrina, cultu & disciplina ejus improbantur. Præmittitur Apparatus, qui historiam turbarum, e secessione ab Ecclesia Anglicana exortarum, continet. Londini, apud Guil. Taylor, 1707, 8.*
- C. Vitringa Observationum Sacrarum Libri quintus & sextus, in quibus de rebus varii argumenti & utilissimæ investigationis Theologicæ & Criticæ disseritur; Sacrorum imprimis Librorum multa loca obscuriora nova vel clariore luce perfunduntur. Franequera, apud Wibium Bleck, 1708, 4.*
- Histoire universelle des Voyages, faits par Mer & par Terre dans l'Ancien & dans le Nouveau Monde, pour éclaircir la Géographie ancienne & moderne. Par le Sr. Bellegarde. Amst. chez Pierre Humbert, 1708, 12.*
- Danielis Georgii Morhofii Polyhistor in tres tomos, Literarium, cujus soli Tres Libri priores hæctenus prodierunt, nunc autem Quatuor reliqui, a Viro in Acad. Lipsiensi Erudito revisi atque aucti, e MSS. accedunt, Philosophicum & Practicum, nunc demum editos, Primoque adjunctos, divisus. Opus posthumum revisum, emendatum, auctum & duabus Præfationibus illustratum a Johanne Müllero, Flensb. Sch. Patr. Rect. Lubecæ, sumptibus Petri Böckmanni, 1707, 4.*

*

*

*

ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Maji, Anno M DCC VIII.

SEPTUAGINTA INTERPRETUM TOMUS I,
continens Octateuchum, quem ex antiquissimo Codice
Alexandrino accurate descriptum & ope aliorum exem-
plarum, ac Scriptorum Veterum, præsertim vero Hexa-
plaris editionis Origenianæ emendatum & suppletum, ad-
ditis sæpissime obeliscorum & asteriscorum signis edi-
dit JO. ERNESTUS GRABE,

S. T. P.

Oxonii, e theatro Sheldoniano, 1707, in fol. Alphab. 3 plag. 4.
& in 8vo. Alph. 3 plag. 8.

Pæstantissimo eique diu expectato operi præmissa, non est quod nos moretur, Parænetica Jo. Pearsoni Præfatio. Qua quantum adjumenti ad obscuriora loca textus Hebraici Versio Græca LXX Interpr. afferre possit, discussis quæ Hieronymus in ea sine ratione reprehenderat; quantum item ad veras ejus lectiones confirmandas; quantum ad argumenta in N. T. ex Vetere allegata stabilienda & vindicanda afferre possit; quid item ad idiotismum styli N. T. pernosendum, ad Patrum theologiam intelligendam, ad scientiam denique linguæ Græcæ ipsamque Criticam ea possit conferre, ostenderit olim. Nempe ea jam pridem in doctorum manibus fuit, editionibus Cantabrigiensibus præmissa, & heic repetita. Ad clarissimi Grabii, cujus charissimum jam pridem ob præstitam aliis antiquis monumentis operam eruditis nomen, Prolegomena potius accedamus, quibus ipse optime operis, quod modo

T. I Opp. p.
897. sq.

suscepit, Herculei, maximeque dilucide rationem reddidit. Atque Alexandrini quidem ante omnia Codicis, ex quo novam hancce adornare cœpit editionem, accurate formam delineat, ejusdemque præ editione Romana præstantiam, quoad Octateuchum inprimis, demonstrat. Quo ordine itaque in eo libri sacri repræsententur, primum ostendit, eumque cum ordine veterum catalogorum, aliarumque editionum comparat. Theclæ tribui hujus codicis descriptionem jam notum est aliunde, quam non martyrem, ante edita sacra N. T. illa monumenta, quæ eo codice una continentur, *τελειωθεῖσαν*, sed Gregorio Nazianzeno familiarem, ut patet ex epistolis ad eam illius tenis, Clar. Editor suspicatur. Et sane circa ea tempora, quod & Cyrillus Lucaris ex Ecclesiæ suæ traditione, ut notum jam omnibus, testatus fuerat, scriptum codicem esse, eo confirmatur, quod ad tempora Nicæno Concilio priora eum revocare haut patiatur Athanasii ad Marcellinum epistola, Psalmis præfixa, una cum Eusebii hypothésibus, nec non Evangeliorum juxta Canones Eusebianos in *σῖχης* divisio: longe vero infra eam ætatem Codicem detrudere non patiatur defectus divisionis in *κεφάλαια*, in epistolis Pauli, quæ tamen A. 396 jam in usu esse cœperit, teste in Præf. ad illas epistolas Euthalio, & Anonymo historiæ martyrii S. Pauli autore. Sed & ætatis ejus notas esse censet in forma scriptionis, quam accurate describit. *Κεφαλαίων* Veterum vestigia deprehendisse se ait in prima Deuteronomii & media Josuæ parte, eaque breviora nostris fuisse observat, quod & ex aliis antiquis monumentis confirmat. Collatum & emendatum codicem, nec satis dextre quandoque, ab ipso scriba, qui eum descripsisset, monet. Sed a posterioribus quoque librariis nonnunquam erasa quædam & alia substituta, lacunas item liberaliter nimis suppletas docet: quamvis & relictæ sint hiatus haut pauci, qui diligenter indicantur. Earum emendationum ea hic habita ratio fuit, ut, certæ quæ essent, nec mera tamen scribæ concernerent *σφάλματα*, in textu minoribus litteris repræsentarentur, lectione prima codicis in margine exhibita. Vaticano exemplari præstare hunc ipsum codicem Alexandrinum probat ex eo, quod

quod melius ipsi cum Philonis & veterum Patrum allegationibus, versionis item Italæ fragmentis, & editione Hexaplari Origenis conveniat: imo & ex consensu cum textu Hebraico, in illis locis, in quibus regulæ criticæ addicant, textum Ebræum, quæ vera sit lectio in Græcis, decidere posse. Quod tum fieri semper existimat, ubi lectio in Græcis codicibus una solum littera vel syllaba differt, ita ut lectio alterius codicis vocis Hebrææ respondeat significatui, alterius plane ab eo recedat: quo modo rectiorem putat Amos VI, 5 lectionem Alexandrini ἐπιπροῤῥῆτες, quam Romani ἐπιπροῤῥῆτες, cum prius optime Hebraico verbo וַרְבּ, pessime vero posterius respondeat. Sed hæc quidem jam pridem demonstrata fuerant a Rev. Autore in peculiari Dissertatione, ex qua specimen hic tantum exhibet: quemadmodum & in epistola ad Rev. Millium ei ostensum, Judicum libri genuinam τῶν ὁ versionem in Alexandrino codice esse, cum editio Romana versionem Hesychianam repræsentet. Tum rationibus editis, cur extantibus jam variantibus lectionibus ex codice Alexandrino ab Alexandro Huissio excerptis, & Polyglottis Waltonianis insertis, ipse tamen eum codicem jam excudi integrum curaverit, catalogum texit satis prolixum locorum, in quibus Alexandrinam lectionem satis accurate Huissius non repræsentaverat: ne scilicet discrepantias eas animadvertens Lector, quid sit sequendum, dubius hæreat. Utque undiquaque fides huic editioni constet, mendorum quoque codicis, quæ manifesta sint, & quæ proinde hac editione in ipso textu sublata, nullo ejus rei facti indicio, fuere, catalogum texit: atque etiam loca recenset, in quibus, ab orthographia ejus recedens, communem magis scribendi rationem fuit secutus. Taceo quæ de œconomia signorum Origenianorum, quam in hac editione observavit, differit, nemini nisi qui ipsam hanc editionem inspexerit, usui futura; nec non de transpositionibus ad normam Hebræi codicis reformatis, versuumque distinctionibus, in quibus ubi ab ipso codice fuerit discedendum, diligenter indicatur: ut & de hymnis in Octateucho obviis formæ metri, sed cujus ratio nulla constet, scriptis. De recensione editionum & MSS. aliorumque monumentorum, quorum ope

textum codicis Alexandrini emendavit atque supplevit, haut parum prolixus est. Atque de editionibus quidem variis dicta repetere nil attinet. In MSS. Codicibus imprimis commemoratur Vossianus cum Origenianis signis, ea ipsa complexus fragmenta, quæ ab Usserio de Vers. LXXvirali C. 8 memorantur, Patritio item Junio allegantur, quæ supplere ex membranis Colbertinis, ejusdem Codicis pars olim quæ extitissent, mira felicitate Viro Clarissimo licuit; sed ita, ut ne sic quidem integrum Octateuchi corpus restituere cum Origenianis notis ex eis schedis licuerit. Suppetias tamen tulerè ex parte duo codices Arabici Pentateuchi Bibl. Bodlej. partim præstita a Masio opera, qui in Josua ex Syriaco Codice, pariter ac Arabici illi ex Hexaplari editione, translato, signa Origenis restituerat. Tum porro Cottonianus codex, Genesin complexus, Viro doctissimo ad manum fuit, quem tamen integrum vel seorsim se editurum propediem pollicetur, vel saltem illius cum Romana editione collationes, historia ejusdem præfixa. Porro usus est codice Collegii Universitatis apud Oxonienses totius Octateuchi, cujus lectiones Tomo VI Polyglott. Anglic. etiam exhibentur. Tum & ex quatuor Codicibus Bibl. Regiæ Parisiensis excerptas accepit lectiones. Denique libro lectionario Ecclesiæ Græcæ est usus, Bibliothecæ Bodlejanæ a Gul. Laudio olim illato. Tacemus jam Patres, Hexaplari quos usus constat editione, quorum subsidio veriores lectiones non tantum deprehendit passim, sed & signa Origenis critica restituit. Ex hisce emendationes certiores in textu suo exhibuit, minoribus litteris, lectione ipsius codicis Alexandrini in margine servata, sed omissis tamen lectionibus, quas non LXX Interpretum, sed Theodotionis esse, vel alias ortas ex reformatione juxta textum Hebræum, argumentis idoneis criticis constaret. Harumque rerum haut dubie redditurus rationem uberiores innotis est, toti operi absoluto demum subjungendis. Denique sola conjectura, vel sua vel aliorum Vitorum doctorum, sed ea tamen valde probabili, emendata quædam sine codicum auctoritate fatetur, locaque, quibus id factum sit, indicat; imo & alia loca recenset, in quibus, quod æque probabiles visæ non essent suspi-

suspiciones, premendas eas censuerit, atque hoc tantum Prolegomenorum loco commemorandas. Quam infeliciter vero doctis quibusdam Viris suum in Octateucho emendando studium cesserit, duobus infaustorum magni Bocharti hac in parte conatum exemplis demonstrat, qui Genes. XXXIII, 19 אֲמִנָּוִט non agnum, sed *numi* genus notare probans, in Græca vers. pro ἐναλὸν ἀμνῶν , legi jubeat μνῶν , repugnante Josuæ XXIV, 32 & XLII, 11, ubi similiter ἀμνάδων ἐναλὸν & ἀμνάδα μίαν legatur; & vetere usu, ex quo, ipso Bocharto notante, antiqui numi a pecudibus, quibus signati erant, solebant appellari. Sic & male eundem Judic. XIV, 9 loco ἐξέως substituere ἰξύος : cum tamen voce ea nec alibi uspiam LXX Interpretes *lumbum* reddant, & Dan. VII, 15 Chaldæum גג vertatur ἐκ τῆ ἐξεί , adeo ut ἐξίς non habitudinem corporis solum, sed & ipsum corpus olim significasse videatur. Atque hæc sunt, quæ operi delineando ipsemet Vir Rev. in Prolegomenis infervire voluit, quod chartæ & typorum splendore in utraque forma, tum majore tum minore, oppido se commendat, majorem quoque lucem & claritatem ab eruditibus notis ejus accepturum: quibus cum ipso rextu absolvendis animi corporisque vires cordicitus ei apprecamur.

*ACTA ALOYSII GONZAGÆ, EX MARCHIONE
Castellionis Religiosi Societatis Jesu, a CONRADO JAN-
NINGO, ejusdem Soc. Theologo, digesta
& illustrata.*

Antverpiæ, typis Petri Jacobs, 1706, in fol.

Constat Alph. 4 & fig. æn. 3.

Aloysius Gonzaga natus est Castellione Stiverorum ad lacum Benacum A. 1568, die Martii nono, patre Ferdinando, Castellionis Principe, matre Martha Tana. Cum primus natu inter fratres esset, successor patri destinatus, & ad bellica præsertim exercitia a pueris adsuefactus est. Sed cum a pueris solitudinem atque adstrictum vivendi genus adamasset, vitasque Sanctorum avide legisset, coepit eum aulicæ & militaris

vitæ tædium, quod Madriti cum primis, ubi cum patre aliquandiu in Regis famulatio hæsit, Jesuitæ cuidam explicavit, redux vero in Italiam omnibus declaravit. Dicitur admodum puer Monachorum exercitia, nemine monente, domi observasse, adeo ut clam quoque flagellis corpus castigaret. Genitor tentatis omnibus, quibus eum ab hoc instituto revocare posset, tandem eum Romam dimisit, ubi in Jesuitarum Collegium, abdicata successione Principatus Castellanus, A. 1585 susceptus, ac inde in valetudinis causa, quam nimia austeritate ascetica sibi conciliaffe dicitur, Neapolin ablegatus, at A. 1587 Romam revocatus, & 1588 ordine initiatus est: hinc A. 1589 Mantuam ad conciliandum fratrem cum Mantuæ Duce iter fecit, feliciterque confecto negotio, A. 1590 Romam reversus est; anno autem 1591, cum in nosocomiis ægrotantium curam suscipiens, gravem morbum contraxisset, die 21 Junii, vicesimum quartum ætatis annum agens, obiit, a Bellarmino, Baronio aliisque, præsertim Jesuitis, dum viveret, Sanctus jamjam habitus.

Hujus Acta collegit publicavitque Vir Clar. Conradus Janningus, qui Acta Sanctorum Antverpiensia hætenus principe loco curavit, & Mich. Ang. Tamburino, Jesuitarum Generali Præfecto, dedicavit, eo consilio, ut Aloysii Gonzagæ relatio in numerum Sanctorum, jam ultra seculum integrum tentata, ejus aliquando ope perficiatur. Itaque ipse primum velut in compendio Aloysii vitam stylo persecutus est, intermixtis non paucis notatu dignis. Sic *p. 3* de nomine Aloysii disserit, quod Italis *Aluigi* scribi, neque hic cum nomine Ludovici, quod Itali *Luigi* reddant, (quod Sacchinus fecerit) confundendum putat. Sic enarrata studiose *p. 9. sq.* Gonzagarum Castellionensium prosapia, *p. 11* de initio diei diverso luculenter disserit, disceptatque, num ad præcedentem an sequentem diem referendum sit, quod noctu, sed ante mediam noctem factum sit? statuitque & ecclesiastica & Italica civili consuetudine ad sequentem pertinere. Numum Aloysii post A. 1628 Mantuæ signatum, cum Patronus Principatus istius constitueretur, *p. 20* & offert & illustrat. Enarrat quoque *p. 46. sq.* scriptores vitæ Aloysianæ, Hieronymum Platum, Virgilium Ceparium, Jo. Bapt. Val-

Valtrinum, Franc. Sacchinum Ceparii epitomatores, Petrum Josephum Aurelianensem, Annibalem Marchettum, Jac. Anton. Munzerium, & duos Anonymos. Enarrata Aloysii vita, de honoribus post mortem illi exhibitis & gradibus ad canonicam sanctitatem, quos ille jam emensus sit, cum primis Janningus loquitur, narratque, primum Jesuitas Provinciae Venetae rogasse Pontificem, ut Aloysium in Sanctis poneret, deinceps Synodum Mantuanam dioecesanam A. 1604 idem petiisse, eodem anno Aloysium Romae atque alibi etiam publice cum Sanctorum signis pictum, Brixiaeque & Castellione coli coeptum anno 1605, permittente Papa, imagines publice in sacro loco illi positas, Duce Hetruriae, Parmae & Mantuae canonicam declarationem flagitantibus; editam tum quoque ejus vitam cum Beati titulo, Pontifice illud jubente; A. 1606 reliquias Aloysii Castellionem missas; Jesuitas Neapolitanos ejus relationem in numerum Sanctorum expetiisse, nec non Mediolanenses: A. 1607 Brevi Romani Pontificis imperatum Congregationi Rituum, ut vitam Aloysii & miracula examinaret, quae sequentibus annis diligenter suum fecerit officium: anno 1611 Madriti diem festum in ejus honorem celebratum, ac sequenti anno Missam ipsi a Congregatione Rituum decretam, ac petente Episcopo Mantuano, & Duce, Mantuanis atque aliquot Jesuitarum Collegiis a Pontifice plene concessam: hinc solenni propemodum ritu Aloysium Mantuae patronum fuisse constitutum: mox Imperatorem Ferdinandum II & Augustam ejus conjugem, nec non Galliarum Reginam, Ducem Lotharingiae aliosque Principes instantius petiisse, ut Aloysius publice Sanctus pronuntiaretur, quorum Epistolae Autor, *p. 41. sq.* affert, haec tamen rem intra vota perfecisse.

Ceparianam Aloysii vitam, quod typis alias exscripta habeatur, lubentes praetervehimur, id solum observantes, uberimas annotationes a Janningo esse adjectas, sed eas ex testium relationibus, qui jubente Congregatione Rituum, de vita miraculisque nostri in foro interrogati sunt, (Processus vocat) petitas esse, atque ex parallelis locis maximam partem constare. Jo. Bapt. Piscatoris, viri inter Jesuitas sanctitatis encomium ade-

pti,

pti, vitam hic in transitu narrari *p. 130* animadvertimus, sicut Jo. Berchmanni, eodem nomine clari, vita *p. 43. sq.* recensetur. Præcedit autem Ceparianam vitam Hieron. Plati Vocatio Aloysii ad Societatem Jesu, in qua anni pueritiæ ejus, patris studia ad eundem a vita religiosa avocandum, & priores Aloysii inter Jesuitas viventis anni multa cum diligentia describuntur.

Sequitur supplementum, quamplurima, quæ Aloysio tribuntur, miracula ex testium relationibus enarrans, inter quæ sunt, quæ omnem videntur fidem superare, cum primis illud, quod *p. 246* legitur: Franciscum quendam in Aprutio prope Pennam vicum, cum puer sexennis oves pasceret, aquarum impetu abreptum, mortuum cœnoque oblitum inventum esse; patrem accersivisse Curionem villæ Annibalem Bencore, qui oleo Roma allato, quod ex lampade ante Aloysii ipsa lucente petitum erat, nasum, os & oculum demortuo unxisse fertur, hinc ex templo vivum illum sanumque surrexisse, & quaqua versum obambulasse, idque sub annum 1641 accidisse. Hæc ex epistola Jo. Franc. Vannii Jesuitæ, testem se profitentis, (non quod rei interfuerit, sed quod a Jo. Bapt. Bencore, Annibalis ex fratre nepote, ea audierit, illumque de circumstantiis interrogaverit, recitantur. Ea cum primis quæ in vallibus Vulturenis evenisse dicuntur, miracula prolixissime a Nostro recensentur, eo enim loco incredibilis amor ac reverentia erga Aloysium observari dicitur, templo eidem variisque sacellis dedicatis.

His ita traditis, Editor prolixam Relationem Auditorum Rotæ Romanæ ad Paulum V de vita miraculisque Aloysii exscribendam curavit, quorum judicio dignus est, qui publice cum Sancti titulo colatur. Subsequuntur Analecta quædam, Bellarmini sermo in laudes Aloysii ex MSto, Odæ in illum Phil. Rinaldi, Martini Clairé & Jac. Wallii, historia Collegii Virginum Jesu, ab Aloysii neptibus, Cynthia, Olympia & Gridonia instituti, quarum vita ac merita describuntur. Hoc præsertim addi meretur, schedas quasdam Aloysii posthumas in hoc volumine editas contineri, v. gr. scriptum de humilitate, *p. 137* aliud de paupertate *p. 302* Epistolas quasdam *p. 173 & 195* & sermonem in Feriam omnium Sanctorum, *p. 309*.

IDEA SACRÆ CONGREGATIONIS HEL-
Veto-Benedictinæ, anno-ILLIVS IVBILæo sæCVLARI
eXpressa, & orbi eXposita, a Musis SANCT-
GALLENSIBUS.

Typis ejusdem Principalis Monasterii S. Galli, per Jacobum
Muller, 1702, fol.

Alph. 1 pl. 3, cum fig. æn.

Viginti jam fluxere lustra, ex quo celeberrima hodie *Con-
gregatio Monachorum Benedictinorum Helveta* ortum duxit.
Festum egit ea hæc propter A. 1702 diem & annum confœde-
rationis suæ secularem, cujus in memoriam præsens illius Hi-
storia, in qua omnium ejusdem Congregationis Monasteriorum
ortus & progressus, nec non elogia & ectypa exhibentur, cum
laudatione panegyrica est adornata. Magnæ sibi semper lau-
di duxerunt Benedictini, quod plerorumque Congregationis hu-
jus suæ Helvetæ Monasteriorum Abbates S. R. I. Principes fue-
rint, aliique Viri summi, siquidem hodie Monasterio S. Gal-
li Lodegarius, Monasterio Einsidlensi Maurus, Monaste-
rio Fabariensi Bonifacius, Monasterio Disertinensi Adal-
bertus, Monasterio Murense Placidus, omnes S. R. I. Princi-
pes, ac Monasterio Rhenoviensi D. Geroldus, Monasterio Fi-
schingensi D. Franciscus, Monasterio montis Angelorum D. Jo-
achimus, & Monasterio Beinweilensi ad B. V. petram D. Ezzo,
Abbates Reverendissimi præsent. Ac uti universa horum Mo-
nasteriorum Congregatio A. 1602 die S. Felicis auctoritate Cle-
mentis VIII P. R. primordia in Helvetiæ montibus cepit sat-
felicia, ita eidem faustis admodum S. Galli & S. Joannis Mo-
nachi acclamationibus gratulantur, quod sub Clemente XI
Pontifice Romano moderno annum suum secularem viderit,
quorum ille Congregationi, dicunt, *ad ortum præluxit*, hic vero
occasum nesciet, ceu utriusque *stellæ gentilitiæ* lemma est, huc
accommodatum. Præmittitur vero Historia Monasteriorum
Congregationis hujus Helveto-Benedictinæ generalis, in qua
id maxime adnotatur, quod tametsi Ordo Benedictinus jam a
quinto salutis reparatæ seculo Occidentem illustrare cœperit,

in Helvetia tamen ille sub initium demum seculi XVI quatuor cum primis virorum meritissimorum, Bernardi S. Galli, Augustini S. Eremi, Jodoci Muri, & Benedicti, Fischingæ Abbatum auspiciis, novem Monasteriis in unam Congregationem sociatis, caput denuo extulerit. Historiam hanc generalem singulorum Monasteriorum historiæ breves & speciales excipiunt, quibus cujusvis cœnobii ortus & progressus & maxime fundatores ac benefactores ejusdem memorantur, & singulorum monasteriorum elogia & eçtypha, una cum Adnotationibus quibusdam Historicis & Chronologicis, subjiciuntur. Etenim Monasterium S. Galli, quod primum est & primarium, nomen & ortum accepit a D. Gallo, Scotorum Regulis nato, qui postquam A. 578 confractis ubique per Germaniam idolis, demum in Arbonensi apud Helvetios saltu pedem fixerat, ibi Beatæ V. & SS. MM. Desiderio & Mauritio Oratorium condidit & dicavit, S. Galli postmodum cellam nuncupatum. Auxit famam loci post Galli obitum S. Magni cum S. Theoderico accessus, donec A. 720 S. Othmarus, ex Curiensi curia adscitus, acceptam a Pipino S. Benedicti regulam cœnobio huic, Cœlestino Sfondrato, aliisque viris eruditis & sanctis percelebri, induxit. Monasterium alterum B. V. Einsidlense ortum & cultum suum debet D. Meinrado, Martyri ex Principum Zollernorum ac Sulgensium stemmate A. 805 prognato, cujus sanctimonia Hildegardis S. virgo regia mota mox parvis initiis magna incrementa adjecit. Monasterium tertium Fabariense, Rhætiae superioris ornamentum, primum sui fundatorem veneratur S. Pirminium, Meldensem Episcopum & duodecim monasteriorum, ut laudatio habet, Atlantem. Hic enim ubi A. 720 hortatu Sindeslai idololatriæ tenebras ex Alemannia dispellere cœperat, inde vero per Theobaldum Alemanniæ Ducem repulsus fuerat, demum exul in Rhætia, Theoderico Galliarum Rege ac Leutfrido loci Comite suffragantibus, Fabariam condidit. Monasterii quarti Disertinensis fundamenta jecit S. Sigisbertus, Rhætorum ac Rhucantiorum Apostolus. Substitit ille primum A. 616 cum socio Columbano in valle Ursaria, ac demum sede haud procul a Rheni fonte selecta B. Virgini

gini Oratorium hoc Disertinense erexit, S. Placidi martyris capite præciso celebre. Variam postmodum illud fortunam habuit, usque dum primum A. 800 dein 1312, cum primis vero sub præteriti seculi initiis majore quam antea splendore fuit reædificatum. Monasterium quintum Murense augustissima Domus Habsburgica fundavit. Primam operi manum Werthnarius, Argentorati Episcopus, ac Rhadebotus, illius frater, Habsburgi Comites, cum Itha, Lotharingiæ Ducis filia, admoverunt. Jura cœnobio per diuturnorum dein bellorum injurias ablata A. 1602 Jo. Jodocus Abbas restituit. Monasterium sextum Rheno- viense jam circa A. 700 a viris religiosis fuit habitatum. Erectum novello agmini cœnobium, quod *Rheni augiam* plerumque salutant, Wolfardus ac Wolfenus, Kyburgi Comites, ditarunt. Abbas ejus primus dicitur fuisse Adalbrastus, cujus vero post mortem cœnobium multis subinde persecutionum procellis jactatum, donec *Rheni hæc augia* A. 1606 Geroldi I Abbatis auspiciis & curâ in Congregationis Helveticæ sinum recepta fuit. Monasterium septimum Fischingense, quo fere loco primis jam Christianis Decii aliorumque persecutorum temporibus asylum fuit, ut Annales Constantienses tradunt, fundatores circa A. 857 habuit Doggenburgi Comites. Dirutum postea A. 1020 incendio cœnobium per Walthramnum de Castelwart denuo A. 1138 e ruinis erutum surrexit, & A. 1602 per Benedictum Abbatem, insignem pietatis Benedictinæ promotorem, in societatem magnam fuit adoptatum. Monasterium octavum Montis Angelorum B. Conrado L. B. de Seldenbeüren incubula sua debet. Regulam ei D. Adelhelmus A. 1125 induxit, at Benedictus I illud, perinde ut Fischingense, Congregationi Helveticæ adunivit. Monasterium Beinwilense ad B. V. M. petram, quod nonum & ultimum est, ex Grandivallensis monasterii, per Henricum IV Imperatorem A. 1180 diruti, ruderibus surrexit. Fundatores ejus extitere Ferreti Comites & primus ejus Abbas fuit B. Ezzo. Post varios hostium insultus A. 1633 Fintanus, alter veluti ejus fundator, ex *Rheni augia* fuit postulatus. Hucusque historia specialis. Excipiunt eam demum, præter ectypa singulorum monasteriorum, horumque

Abbatum, nec non Clementis VIII & Clementis XI Pontificum, sat splendida ac iconem universæ Congregationis secularium, duæ Orationes Latinæ in memoriam Jubilæi A. 1702 in Conventu S. Galli dictæ, nec non concio Germanica, in qua *ein moralischer Uhr-Zeiger, der nur 1 zeigt*, exhibetur.

OLAVI RUDBECKII, FILII, ICHTHYOLOGIÆ BIBlicæ Pars Prima, de Selav, cujus mentio fit Numer. XI, 31.

Upsalis, ex officina Jo. Henr. Werneri, 1705, 4.
Plag. 20.

Occurrere non pauca in textu Hebræo vocabula, quorum genuina vis atque potestas vel incerta sit, vel prorsus ignoretur, non tantum acutissimi quique Christiani concedunt interpretes, sed & ipsi Judæorum Magistri coguntur fateri. Unde non aliud magis in votis habuere docti, quam ut existeret, qui horum vocabulorum notiones multis retro temporibus oblitteratas, in lucem protrahendi & quasi postliminio restituendi comminisceretur viam. Nec defuere, huic rei sedulam qui navaverint operam, quique in iis ex Arabica, Syriaca aliisque, quibus Oriens loquitur, linguis exponendis illustrandisque, immensos fere labores exorbuerint. Quorum quamvis conatus successu non caruerint: eos tamen longe feliciter hoc in genere fuisse versaturos, si ad alias etiam respexissent linguas, nec in circumjectis Judææ solum regionibus, sed & ab ea distinctissimis deperditas vocum significationes quæsvissent, Celeberrimus atque Experientissimus hujus diatribæ Auctor censet, qui, qua est eruditione rara acieque ingenii singulari, Gothica adjunctus lingua, vocem לש huc usque, vel per ortygommetram, vel coturnicem, vel locustam denique minus recte redditam, eruit e tenebris piscemque denotare evincit. Nec mirum hoc in negotio in auxilium Hyperboream vocatam linguam. Certum namque habet, adeo prope eam a Sancta abesse, ut levituntaxat, quale in eadem etiam lingua oboriri solet, ab ea directam discrimine, ceterum tam secundum literas vocum radicales

les, quam significationes exacte cum illa conveniat. Hinc speciminis ergo exhibet unius versiculi ex veteri Hyperborea lingua collectam versionem, Sanctæ idioma linguæ adeo manifeste referentem, ut Hebræa Gothicis literis expressa credas. Est autem ille versiculus sequens Num. XI, 31 *Vrack unzog me utb* P. 12.
Jæva, v kaz sualim min bajeim vtosk al hamaganeb hui derk jum hie, Vhui derk jum hic, Svivetb hamaganeb Vhui amzim hal bani haearz. Hanc deinde versionem acerrime vindicat atque defendit, ejus singulas dictiones & literas cum Hebræis accurate coincidere, quaque ratione, si quando Hyperborei ab Hebræis videantur abire, illæsa tamen maneat utriusque linguæ convenientia, miro acumine ostendit. Inprimis tamen Vii ingenium in nominis יְהוֹרָה cum Gothico *Jæva* demonstranda convenientia, ejusque vera investiganda origine elucet. Neque enim communem Rabbiorum ceterorumque eruditorum sententiam, quasi a radice יָהָה deducatur, sibi ait arridere, quod vox יְהוֹרָה mediam literam Jod, יְהוֹרָה autem Vau habeat; tum quod initiale nominis Jod, nec in יְהוֹרָה, nec in יְהוֹרָה compareat. Id vero non parvi referre. Ex stilo quippe Gothico intendendi amplificandique vim istam obtinere literam, adeo ut, sicut *Stadi* notat firmum, stabilem, *Istadi*, qui 17.
 profus moveri nequit: ita etiam vox יְהוֹרָה adauctam quandam & amplificatam significationem ex Jod adepta eum, qui maxime, verissime independenterque fuit, sive exstitit, significet. 18.
 Esse præterea *J Je Ve Ju Ja*, Gothicis, Germanis, Anglis, Finnis, Lapponibus, &c. particulam expletivam, adeoque ad Deum ex Jerem. XXIII, 24 optimo jure adplicandam. Addit, notare verbum יָהָה fuit, factus est, ortus est, natus est, adeoque prioritatem successionemque temporis involvere. 19.
Va, item *hua*, *var*, sic significare Gothicis. Ex adfinitate autem tam soni & significationis, quam nomine inde descendente cuivis patere, Hebræorum & Chaldæorum יְהוֹרָה, quod Gothorum *hua*, *va*, *var* esse idem, cum uti illud, ita hoc fuit, factus est &c. significet; utque ex illo oritur יְהוֹרָה calamitas, eventus durus & malus, ita etiam ex hoc *vo*, *va*, *vada*, voces, calamitatem, eventum durum itidem significantes, deriventur. Jam vero quid ma-

- p. 24. magis inconueniens, quam nomen Dei, cuius existendi modus infinitus, a verbo finitum quid notante arcessere, præsertim cum Gothis vox Numinis maiestati exprimendæ supersit longe accommodatior; Hebræorumque יהוה ne actiua quidem, ut Hyperboreorum *Hava*, *hæve* auctorem esse, ortum dare, sed passiva aut neutrali significatione gaudere deprehendatur? Relinqui igitur, ex alia simpliciore pullulare radice nomen Dei, ex Svedorum videlicet à primus, summus, sempiternus, unde emphaseos causa duplicatum *aa*, *ae* *aa*, *ave* *ave*, atque *jæve*, id est sempiternus, vel quam maxime æternus, ipsumque adeo Hebræum יהוה. Vocabulum יהוה itidem significationem ex Gothica mutuari lingua, nec debere nisi per piscem explicari, & quidem in genere omnem squamatum, pinnatum alatumve minorem, qualis est, qui hodie circa sinum Adriaticum *Sclavæ* nomine insignitur, in specie vero sine dubio illum, qui Gothis *Sylu*, *Sula*, & *Sele* dicitur, longo, quem textit, vocum ei adfinium catalogo demonstrat. Novæ sic sententiæ ex ipsa vocabuli notione conciliato robore, Jobi Ludolfi pro confirmanda opinione de locustis formatas adgreditur hypotheses: quarum potiores hic cum rationibus, quibus a doctissimo Viro convellantur, contrariaque ipsius simul sententia stabiliatur, adscribemus. 1 Ludolfi hypothesis est, plebem Israelitarum carnem a Deo non petiisse, nec sibi a Mose aut undecunque dari cum fletu desiderasse Num. XI: 2 carnem quoque eorum nomine non petiisse Mosen, dum cum Deo expostularet v. 13. 21. 22: 3 & quidem non carnem, qualem in Ægypto habuerant, v. 4. 5. 18: 4 neque talem datam illis fuisse a Deo: 5 hanc carnem fuisse cuiusdam volatilis & quidem עוף כנף Psalm. LXXVIII, 27, id est, volucris alata, ex earum numero, quæ per synecdochen generis pro specie עוף seu volatilia dicuntur & a עוף שרין reptilibus volucris non distinguuntur Lev. XI, 13. 20, Deut. XIV, 19. Ad primum respondet, contrarium patere ex collatione totius capitis Num. XI, ut v. 4. 5. 13. 18. 21. 22, non obstante, quod Ludolfus existimet, verba *Quis cibabit nos carnibus?* cum interrogationes non raro simplici negationi æquipollegant, ex desperantibus & indignabundis, non petentibus esse
- 31.
- 33.
- 65.
- 66.

esse profecta. Minus namque id vero simile esse, cum non semper fiduciae atque spei exsortes esse ejusmodi interrogationes, ex 2 Sam. XII, 22. Joel. II, 14 aliisque plurimis locis appareat. Nec verius, querelam Mosis, quod intercessionis expers fuerit, pro justa petitione a Deo non esse habitam. Petitionem enim Israelitarum, ex verbis Mosis v. 13 manifeste concludi. Præterquam quod non adeo liquidum sit, caruisse intercessione querelam Mosis, vel cum intercessione ad Deum desideria populi cum semper tulisse, Exod. c. XV, 25 &c. XVI, 2, 3, 4: veroque prorsus dissimile, tantum alimentorum a justissimo Numine, nullis precibus sollicitato, in gratiam rebellium effusam copiam. Ad secundam regerit, carnem ab Israelitis vehementer expetitam ansam præbuisse Mosis expoſtulan- di cum Deo v. 5, 10, tantumque adeo abesse, ut carnem eorum nomine non petierit, ut ejus defectus præcipuum illud onus fuerit, quo ut relevaretur, tam anxie a Deo contenderet. Ad tertiam reponit, Exod. V, 4 & 5 collatis cum v. 22, piscium eos, qualem sane in Ægypto habuissent, desiderasse carnem, evinci. Bovinae enim aut ovinae v. 4 minus esse locum, cum illius tantum minimum non laborasse eos penuria, quin ad latrantes ventres quodammodo coercendos sufficeret, ex v. 22 proclive sit colligere. Contra quartam Psal. LXXVIII, 79. Psal. CV, 10. Num. XI, 18 & 20, ubi voti ita, ut caro exierit e naribus eorum, compotes fuisse dicuntur Israelitæ, adducit. Fidem vero arbitratur excedere acutissimus Vir, Israelitas vel tam immani carnis non expetitæ, locustarum præsertim, quæ bovina ovinaque, quam habuerint, deterior, flagrasse adpetitu; vel si flagrassent, sexcenta eorum millia, liberis exceptis & foeminis, adeo locustis expleta, ut per nares caro dici queat egressa: tanta utique existente locustarum, etiam inter edules maximarum, partibus non esculentis abjectis, exilitate, ut singula corpuscula vix singulis scrupulis respondeant. Experientia vero compertum esse, ex raris cibis tanto minimum, quantum marcis quatuor, sive unciis 64 respondeat, consumendo parem esse hominem. Inde cum 8 in 64 ductis exsurgant drachmæ 512, hisque rursus per tria multiplicatis, prodeant scrupuli 1536; locustæque adeo

p. 67.

68.

69.

70.

71.

72.

- 1536 hominum cuilibet ad propulsandam famem fuerint necessaria: vix Israelitas liguriendi tam avidos, & spe sua frustratos, a murmuratione ob exenterandi tedium sibi fuisse temperaturos; præsertim cum ne manna quidem, delicatissimus utique cibus, importuna eorum ora valuerit comprimere. Quod vero dicitur analogum carnis, ut Man analogum panis, Israelitis datum, nulla putat ratione niti. Hebræum enim בשר, eique respondens Gothicum *Visser* sive *Vister*, proprie significare carnem, Exod. XVI, 12; mannæque & locustarum rationem prorsus esse dissimilem. De illa namque, utpote pane communi meliore, præbita Israelitas æquivisse queri: de his autem, tam horridis animalibus, cladiumque tot in Ægypto instrumentis, exhibitis si questi fuissent, non usque adeo videri mirum. Ad sextam, cum ipsius non parum juvet causam, nihil monet Vir doctissimus; nisi vocem כנה ad pisces potius, quam ad insecta referendam esse, se loco Gen. I, 21 persuasum. Manifestum enim esse ex oppositis versiculis 24. 25, cum ibi de terræ progenie agatur, v. 20. 21 de aquarum solum proventu esse sermonem. Perspicuum item, ut v. 20 extra aquas degentium describitur creatio, ita v. 21 in aquis natantium delineari productionem, quæ inter cum recensetur עוף כנה piscem his vocabulis denotari manifeste concludi. Quo maxime faciat, quod David in exprimendo Mosis שליו voces עוף כנה nusquam in Scriptura, nisi Gen. XXI, ubi de piscibus tantum sermo, conjunctim occurrentes adhibuerit. Ut taceat in Gothica lingua, cum עוף idem sit, quod *hof*, *hop*, currere, volare, cito ferri, כנה idem quod *Knaf*, ala piscium, עוף כנה recte pisces appellari. Postquam deinde Ludolfi contra coturnices argumenta expendit, parumque eis inesse virium Scriptorum fide dignissimorum testimoniis probavit, totam de Selavis historiam ad pisces adplicat, eosque absque miraculo inæstimabili numero dari; modum colligendi & mensurandi per chomor, expandendique, quam locustis magis aut avibus illis convenire, alis esse instructos, tales in mari rubro reperiri, cumulatim denique etiam alias, præter volatiles, pisces in litora nonnunquam projici, innumeris fere gravissimorum Auctorum locis, expe-

experientia, piscatorumque moribus, clarissime demonstrat. Et ne quis concedens volatiles in mari rubro inveniri pisces, dubitet, utrum tales ex ejus profundo evulsos acceperint Israelitæ, constare ait, mare rubrum ab Euro-Noto Zephyro-Boream p. 127. versus se protendere; Israelitas in Pharan Num. X & XII, & quidem non procul a mari (ut ex particula וְ XXXIII, 20 manifestum) castra fecisse; Euro-Noto denique ferente ipsis Selavas esse allatas Psal. LXXVIII, 26. In tali vero maris situ & Israelitarum positu, talique flante vento, non potuisse non a mari illas advehi, cum Euro-Notum undecunque a continente, sive ex Ægypto, sive ex Arabia latæ, sibi gravissime adversantem, a mari vero venientes mirum in modum faventem habuerint. Eurum enim ad hoc conduxisse, ut aqua maris rubri, Indici atque Arabici maris urgente mole turgescens, simul cum piscibus, metu procellarum in unum coactis, versus Pharan surgeret promontorium; Austrum vel Euro-Notum ad hoc, ut eosdem pisces in litus atque castra Israelitarum mari propinqua vicinaque projiceret. Addit denique alia contra locustas & coturnices Vir doctissimus argumenta: videlicet 140. fuisse locustas esu illicitas Lev. II, 42 (non obstante versu 21, quippe quem de avibus arbitretur agere;) nullum advenientes, 141. impuras licet atque nocivas, Israelitis incussisse terrorem; nunquam, nisi ab ultimæ sortis mortalibus, & quidem summa necessitate adactis, receptas in cibum; esse absurdum iis dandis Deum voluisse demonstrare omnipotentiam, talesque immissurum dixisse הַיָּם מֵעַל יַמַּיִם; *trans mare non posse explicari, cum מן in Bibliis eam significationem nunquam admittat;* vocari Selavas in libro Sapientiæ שֶׁלָּוָה *véav*, cum tamen coturnices Israelitæ in Ægypto sæpius sine dubio vidissent; prædicari denique de iis *pluere, depluere*, voces nunquam vel rarissime de avibus usurpari solitas, non solum apud Davidem Psal. LXXVIII, 27, sed & alios optimæ notæ Scriptores. Scribere enim Athenæum lib. VIII, c. 1: multis quoque in locis piscibus Deum pluuisse non ignoro. Phaniam Lib. II de Diis qui apud Eressios Ἐρεσσιῶν fuerunt: in Chersoneso piscium imbrem toto triduo cecidisse. Phylarchum: piscium

p. 174.

multis visam fuisse pluviam non paucis in locis. Plinium lib. XXI cap. 1: Quid esse mirabilius potest aquis in cœlo stantibus? at illæ, ceu parum sit in tantam pervenire altitudinem, rapiunt eo secum piscium examina. Cumque per כנף Vir summus etiam cœtum collectionemque intelligat, postremo vocibus עוף כנף, examen piscium minorum, in specie vero volantium, denotari concludit, adeo ut כנף עוף junctum idem ipsi, quod vox שליו examen piscium minorum itidem notans, involvat.

הלכות שמטה ויובל

Sive

R. MOSIS, FILII MAIMON, TRACTATUS DE JURIBUS anni septimi & Jubilei, in Latinum sermonem versus & Notis illustratus a JO. HENRICO MAJO, Filio.

Franc. ad Moenum, apud Jo. Maximilianum a Sande, 1708, 4.
Alph. 1.

DE anno septimo, sive Sabbathico, ut & Jubilæo Maimonidis ductu superiori anno commentari quædam instituit Cl. Autor, quod sacer solennis atque Jubilæus idem iste Academia Ludoviciana existeret. Dolet in Præfatione summopere, quod ob loci, ubi opusculum impressum est, distantiam tot sphalmata & errores, tam in textum Ebræum, quem Judæus Francofurtanus, ubivis & ipse licet non satis oculatus, reviderat, quam in Notas & Latinum textum irreperint. Usus ad hæc est isto Maimonidis Codice, qui Venetiis in forma majore sub insigni trium coronarum prodiit, qui & parum accuratus & omni paragraphorum distinctione destitutus fuit, unde hos partim ex Tractatu Talmudico שביעיר, partim etiam ex ingenio supplere se debuisse p. 19 adstruit. Antequam vero ad negotium, quod susceperat, propius accedit, in Dissertatione de Jure anni septimi secundum disciplinam Ebræorum operi præmissa ad quinque rem omnem capita reducit. Terræ scilicet Israelis quiete; sponte nascentium usu universis communi; frugum racematione; serorum & ancillarum, nec non debitorum remissione, cum examine

mine succincto, propositis, de ultimo septimi hujus anni jure, quod in *χρεωκοπία* sive debitorum remissione consistebat, controversa quædam adducit, quibus ea, quæ de legitimo anni illius agunt initio, ita subjungit, ut varia jurium variorum hac tempestate observandorum enarratione pensum tandem absolvat. Præter Maimonidem, cujus textum in Annotatis p. 80, ubi pro *בִּטְנִין* cum Talmude *בִּטְנִין* legit; p. 124, ubi in locum *הַגִּיבִּין* fem. *הַגִּיבִּין* substituit; p. 127 & ita porro emendat; Glossatori istius R. Abrahamo F. David, qui *ו* pro *נ* in *הַגִּיבִּין* dictione collocat, p. 81 dicam insimul scribit, & cum Guisio, quem p. 20, 181 & alibi modeste taxat, Hountingium quoque atque Meursium, quod ille *בִּיתְרִין*, ut est p. 126, per Synedrium verterit; hic vero ex Dalecampiana Athenæi versione, Autore ne leviter quidem nominato, non pauca mutatus fuerit, notat. Vocem *פִּירְזְבוֹן*, Viris summis in diversum abeuntibus, p. 107 per cautionem, decretum, constitutionem, quasi idem sit ac *πρὸς ἀσφάλειαν*, prima syllaba in *ἀσφάλεια* ad faciliorem pronunciationem una cum Græca terminatione abjecta, interpretatur. Laudat hac occasione Cohen de Lara, Rabbinus ævo suo doctissimi institutum, quod vocabulorum Rabbinicorum cum Græcis & quibusdam aliis linguis Europæis, Hispanica imprimis, convenientiam, successu licet ubivis non pari, cum Græcæ Latinæque voces a Doctoribus Gemaricis maxime ac Misnicis multum corruptæ, depravatæ, contortæ ac aliena significatione vestitæ sint, demonstraverit. In omni insuper pagina istud agit Autor doctissimus, ut, quantum ex celeberrimorum Philologorum, antiquiorum æque ac recentiorum, Bocharti puta, Hottingeri, l'Empereur, Leydekkeri, Vitringæ, Wagenfeilii, Meieri, Surenhusii, Gussæti, Dassovii, & venerandi Parentis juvenis adhuc profecerit, abunde declaret.

JO. GEORGIO NEUMANNI, SS. THEOLOG. D.
ejusdemque P. P. Wittebergensis, Templi OO. SS. Prepositi,
Consistorii Ecclesiastici Assessoris & h. t. Facult.
sua Decani, Programmata Academica.

Wittebergæ, apud Jo. Hakium, A. 1707, in 4.

Alphab. i plag. 7.

Merito laudandus Celeberrimus Autor, quod septem & triginta Programmata, quæ diversis temporibus partim publico, partim suo nomine conscripsit, in unum fasciculum collecta typis exscribi curaverit, ut, quæ hactenus paucorum, plurium jam usui paterent. Deprehenduntur enim in eruditis istis Programmatibus, quæ ad locupletandum Theologiæ pariter ac Historiæ Ecclesiasticæ studium haut parum facere possunt. Observabis ibi quæ spectant ad Theologiam in genere, ut Programma I de fidei analogia. Ad didacticam, XIII de *ἀποψία* Patris in Filio incarnato. Ad Polemicam, II de notis dignoscendi veros ac falsos Prophetas: VI de quæstione: zelusne an lenitas ad componendas in ecclesia lites magis expediat? XI de miraculo Jonæ ab Empæctis vindicato: XII de Fanaticorum effugio, quod in potentia Dei quærunt, ubi de voluntate ejus nihil revelatum habent: XIV de prætextu abusuum, quo renovandi pruritus exculpate soliti sunt Fanatici: XV de amphiboliis Fanaticorum: XXI de veritate Resurrectionis Christi contra Celsum & Spinosam: XXIII de merito resurrectionis Christi contra Socinum vindicato: XXIV de probatione spiritus Fanatici: XXV de revelationum Angelicarum post excessum Apostolorum silentio: XXVII de unctione fanatica & vere Christiana: XXVI de Angelo Redemptore contra Jo. Clericum: XXXI de resurrectione gemina contra Chiliastras novos; & similia argumenta alia, in quibus eos, quos Pietistas vocant, aggreditur. Ad exegeticam, IX de paupertate Christi & ærario Apostolorum ex 2. Cor. VIII, 9: V de computo tridui, quod Christus in sepulchro traduxit ex Matth. XII, 38 seqq. & locis parallelis: VIII de Divinitate Christi, prioribus tribus seculis extra controversiam posita, ex 1 Tim. I, 15: XVII de Messia regnante *ἀπὸ τῆς ζύλης* ex Psalmo XCVI, 10. Ad Historiam Ecclesiasticam pertinent III de Fide Evangelica ad Suecos propagata: XXII an Christi natales Augusto etiam, Romanorum Imperatori, innotuerint? XXIX de veteris Ecclesiæ more, quo nemini

nemini conferebatur Episcopi dignitas, nisi Lector aut Diaconus ante fuisset.

Unvorgreifliches Gutachten über die in Schlesien öffentlich betende Kinder.

hoc est:

CASPARIS NEUMANNI, ECCLESIARUM ET Scholarum Vratislaviensium Augustanae Confessionis additarum Inspectoris, de pueris ac puellis Silesiorum sub dio ad orandum confluentibus Judicium.

Vratislaviæ, apud hæredes Baumannianos, 1708, in 4.

Constat plag. 2½.

Multa hæctenus fama publica de pueris ac puellis *Silesiorum* sub dio ad orandum confluentibus nuntiavit: cui tamen, utpote sæpius incertæ, cum non in omnibus tuto fidere liceat, de casu hoc mirabili insignis Silesiorum Theologi *Neumanni* iudicium Actis nostris inserere non inconsultum duximus, ipsum exteris imprimis gratum futurum arbitrati, ad quos scriptum *Neumannianum* non defertur. Antequam vero iudicium format Vir doctus atque cordatus, ipsam facti speciem breviter delineat. Nimirum circa finem anni 1707 in iis potissimum Silesiæ locis, ubi Evangelicis templa cum scholis a Pontificiis erepta, pueri atque puellæ motu spontaneo, immo passim parentibus invitis & Magistratu interdicante, bis vel ter per diem aut in campis, aut alibi sub dio oraturi cætervatim convenire cœperunt, quibusdam ex numero electis, qui preces cum psalmis prælegerent & hymnorum cantum moderarentur. Mox vero similes conventus iis etiam in locis celebrati, ubi templa cum scholis per integrum diem patent, zelusque orandi pusillorum Silesiam omnem ita pervadit, ut ipsa etiam Vratislavia, Silesiæ metropolis, suos filios suasque filias eodem corripit admirata fuerit. De hoc casu extraordinario varii varie judicarunt, aliis opus mere divinum, aliis

pure humanum, aliis prorsus diabolicum vocantibus; unde tandem & suum iudicium interponere voluit doctissimus *Neumanus*, reliquorum iudicia coniungenda esse arbitratus, quo unum sanum prodeat. Supponit scilicet, per principia religionis nostræ christianæ satis constare, quod omnes hominum actiones sint casus mixti, ubi & Deo, & homini, interdum & Diabolo quædam sunt tribuenda: atque adeo, quid in præsentē casu subsit divini, quid humani, quid diabolici, monstrat. Non sine fato divino Silesiorum liberos ad orandum confluere agnoscit, cum tales annotentur circumstantiæ, quarum combinatio omnes humanæ artis vires longe excedat. Etenim ad orandum confluxerunt liberi, parentibus invitatis, immo duriter sæpius ab ipsis ea de causa habiti, qui alias ad preces compellendi fuere. Conventus hi non uno celebrantur in loco, sed per universam fere Silesiam, non communicatis consiliis, instituuntur. Somnum ac cibum insuper habent, per diem integrum jejunant, tempestatisque injurias non curant, modo conventui orantium interesse detur. Decentem præterea in conventibus ordinem observant, sui similibus, qui duriter ipsis imperant, obedientiam præstant, signa devotionis singularia edunt, non sine admiratione iis respondent, qui conventuum insuetorum rationem ab illis exigunt, ex suo numero ad Magistratum & Sacerdotes aliquos ablegant, suam causam apud ipsos agentes, zelum ingentem obtestantur & si preces publicas negligere cogantur, non acerbis modo lachrymas effundunt, sed animi prorsus deliquia experiuntur. Nec omni fructu verbum divinum in istis pusillorum conventibus destitui concedit, adeoque parentibus contradicere renuit, qui liberos suos ex immorigeris morigeros factos testantur, quamprimum orantium numero sese junxerint. Vult tamen militem Suecum, in campis preces publicas effundere solitum, cum per Silesiam migraret, conventibus istis ansam dedisse non negat, præsertim cum pueris proprium quasi sit, quæ vident, imitari. Causas quoque humanas ad eorundem continuationem aliquid conferre potuisse largitur, pueris cum lubentia facientibus, ad quæ proprio motu feruntur, & honore quodam imaginario precum prælectoribus, laude a parentibus ac spectatoribus

tributa omnibus ac singulis stimulum addente. Recenset præterea nævos ab infirmitate humana profectos, quales sunt inobedientia erga Magistratum & parentes, atq; cultus publici in templis neglectus, mandato Spiritus S. Hebr. X, 25 & praxi Apostolorum in ædibus, Act. 1, 3. II, 24.26, ab habitationibus ipsorum distinctis, I Cor. X, 22, ad orandum publice convenientium contrarius. Diabolo tandem adscribit mala partim inde jam enata, partim adhuc metuenda. Refert huc, quod concurrentium hominum multitudo orantium devotionem impediatur, quodque summopere verendum, ne Ecclesia Protestantium in Silesia seditionis, vel etiam enthusiasmi maculam contrahat, penes Pontificios male auditura, immo quod alicubi jam quædam enthusiasmi indicia se prodere observentur. Sub finem monstrat, quid hac in re sit agendum. Cogitandum nempe, quod Deus parentibus precum neglectum per liberos exprobrat, adeoque frequentius in posterum ac majore cum ardore precandum. Liberos vero non flagellis (quod fieri passim solet) coercendos, sed instruendos potius de precum bonitate, de obedientia erga Magistratum atque parentes, & de precum publicarum in templis ratione. Mittendos esse ad supplicationes publicas in templum: orandum cum ipsis in ædibus privatis: reliqua Deo committenda.

DIARIUM ITINERIS IN MOSCOVIAM IGNATII CHRISTOPHORI, Nobilis Domini DE GUARIENT & RALL, ab Imp. LEOPOLDO ad Tzarum PETRUM ALEXIOWICIUM anno 1698 Ablegati Extraordinarii, descriptum a JO. GEORGIO KORB, p. t. Secret. Ablegationis Cæs.

Viennæ Austriæ, typis Leopoldi Voigt, in fol.

Const. Alph. 2 pl. 18 & tab. æn. 19.

Complures, qui legatorum munere in aula Moscovitica functi sunt, operæ pretium existimarunt, ut editis Itinerariis, gentis hujus remotissimæ mores & instituta aliaque notatu digna posteritati traderent. Nam ut *Herbersteinium, Petrejum* atque

atque *Olearium* prætermittamus, memorari hic merentur *Philippi* Baronis *de Pernstein*, Maximiliani ad Moscos legati, Relatio Latino pariter & Italico idiomate consignata, quam Philippus Honorius Praxi Prudentiæ Politicæ, Francofurti 1610 editæ, Parte I p. 334 sq. inseruit: *Jacobi Ulfeldii* Legatio Moscovitica, seu Hodœporicon Ruthenicum, Fr. 1627, 4: *Danielis Prinz a Buchaw*, qui pariter eo a Maximiliano II & Rudolpho II legatus fuit, Descriptio Moscoviæ, obstetricante nepote ejus, Gubernæ 1679, 12 edita: Iter in Moscoviam *Augustini L. Bar. de Meyerberg* ad Czarem & M. Ducem Alexium Michalowitz anno 1661 ablegati, cui accessere statuta Moscovitica e Russico in Latinum translata, Lugd. 1688: tres Legationes a Comite de *Carlisle*, Legato Anglico, ad eundem Alexium A. 1663 susceptæ ac 1665 finitæ, quæ Anglice primum Lond. 1668, 8 & deinde Gallice Amst. 1700, 12 prodire: nec non Relatio Imperatoris Leopoldi ad Magnum Moscorum Czarem 1675 Ablegatorum *Annibalis Francisci de Bottoni & Caroli Terlingeri de Guzman &c.* Salisburgi 1676, 8 impressa. Horum, ut videtur, exemplo Vir Perillustris, *Ignatius Christophorus*, Nobilis Dominus de *Guarient & Rall*, quem nuperrime novam legationem in aulam Turcicam feliciter perfecisse novimus, Diarium Itineris in Moscoviam, jussu *LEOPOLDI* divæ memoriæ Imperatoris anno 1698 instituti, publici juris, incertum quo anno, (nullus enim in titulo comparet) fieri passus est, cujus an *Korbis*, cujus nomen dicis causa præponi creditur, an verius, ut ex nimio, quod passim emicat, in Protestantes odio aliqui hariolantur, Patres quidam missionarii, genuini sint auctores, aut symbolas certe suas atque observata ad compilandum opus contulerint, nostrum non est pluribus disquirere. Etsi vero non omni livore, nec calumniis subinde ac erroribus liber careat, nimio sale vel aceto adspersus, cum quædam contumeliosius dicta in gentem Moscoviticam, ut pag. 64, 91, 92, 140, 204, ipsumque summum Imperantem *PETRUM*, ut p. 95, 98, 101, ejusque Augustam familiam deprehendantur, eoque atro in Moscovia calculo notatus sit, multa tamen ut alia singularia, ita summas imprimis ejusdem *PETRI* laudes concernentia exhibet, e quibus aliqua

p. 93. 104.

qua excerpere hoc minus pigrabimur, quod fide digniora videntur, utpote ab eo profecta, qui ab adulandi pruritu fuit quam alienissimus. Nimirum postquam eximiam ejus comitatem, neque minus corporis elegantiam, atque animi magnitudinem, latentis Majestatis testem, laudasset ex merito, justitiæ etiam exemplum exhibet prorsus singulare. Nam cum rebelles equuleo ad extorquendam veritatem, quam pertinacissime celabant, subjecisset, & præterea exautorandos omnes decrevisset Princeps augustissimus, quos campi Dux Schachinius ad varias militarium officiorum dignitates pretio accepto erexerat, Patriarcha iratum ejus animum mitigaturus, clementiam monstrata B. Virginis icone intempestive suadebat. At ille contra non indigna fastigio suo, ut Noster quoque censet, in Patriarcham usus invectiva: *Quid Tibi cum icone, aut quæ muneris tui pars te vocat ista in loca? Abscede ocius, atque imaginem in locum repone cultui suo debitum. Scias, me Deum colere, & Matrem ejus Sanctissimam te forte impensius venerari. Supremi mei officii & debita in Deum pietatis est, tueri populum, & crimina in commune ejusdem exitium vergentia publica ultione prosequi. Interim sententiam hanc in perduelles latam, ac supplicia eorum, quæ toties tanquam justa probavit, quisquis ille est Itinerarii auctor, alio in loco (p. 95) tyrannidem vocare non veretur, ut vel hinc plures uno manum operi admovisse, credibile sit. Parum porro abfuisse docet, quin sororem germanam Sophiam rebellionis illius participem morti damnaverit, provocans quippe ad exemplum Elisabethæ, quæ Mariam capite plecti jusserit. Neque enim quisquam ignorat, eam vitæ fratris insidiatam, multorumque causam tumultuum exstitisse, quam demum poenæ loco in remotius monasterium (in quo anno 1704 obiit) abduci PETRUS præcepit. Mire deinde Auctor, ubi de Czaarea Majestate ex professo agit, animi ejus corporisque dotes eximias, fortitudinem imprimis & in rebus adversis constantiam, ut & gentis suæ ad mansuetiorem sortem, artes liberales bonosque mores adducendæ studium exquisitum commendat. Sic cum anno 1694 Oceanum ingressus esset e portu Archangelico, & mox coorta horribili tempestate, reliqui omnes conterriti ad preces & crucis signa confugerent,*

P. 75.

83.

178.

- solus ad irati maris insaniam impavidus Cæsar, lætissimo animo succedens ad clavum, desperabundis animum reddidit, voto tamen nuncupato, se, ubi occasio tulerit, & quam primum per negotia licuerit, limina S. Petri, Patroni sui, Romæ salutaturum.
- p. 180. Pulcra quoque ejus vox fuit, qua Magnatum nonnullos, qui Moscorum ingenia studiis inepta esse, & sumtus in itinere impendendos frustra profundi, absurde asseruerant, objurgavit. *Ergone, dixit, infeliciores cæteris gentibus nati sumus? Quod Numen ineptas mentes nostris infuderit corporibus? Num manus, num oculi, num eadem habitudo corporis nobis non obtigit, quæ exteris nationibus ad interiorem animi culturam sufficiunt? Cur soli degeneres rudes animos habemus? Cur soli humane sapientie gloria indigni excidimus? Hercule, idem animus nobis, eadem possumus, modo velimus. Omnibus etenim natura fundamenta dedit semenque virtutum, omnes ad ista omnia nati sumus; cum irritator accedit, tunc illa animi bona*
52. *velut sopita excitantur.* Conscientiis vim fieri neutiquam patitur,
206. eoque omnibus in Imperio Romano-Germanico toleratis religionibus, exceptis quidem Judæis, publicum exercitium permittit, & quo magis exteros ad suæ ditionis provincias alliciat, ad ædificanda templa omnibus pecunias & tigna aliaque liberaliter sub-
244. ministrat. Architecturæ vero militari imprimis deditus perhibetur, atque inter alia memoratur, eum durante Assovii obsidione munimentum quoddam (*Zaarische Schanze*) designasse & quatuor vallis instructum tridui spatio excitasse.
205. Hinc prospera quæque sub tanto Principe Moscis pollicetur Auctor, nisi forte, ut loqui amat, factorum iniquitas, populorum defectio, aut ipsa ingeniorum barbaries ferre felicitatem suam nequeat, aut tantam fortunam invideat posteris. Quæ inde de moribus Moscorum, de peditum, quos Strelizios vocant, rebellione & suppliciis, de apparatu & ordine bellico, de aula & sede Regia, de religionis præcipuis capitibus, Patriarcha item, monachis & sacerdotibus, quos fuste excipere licet, ubi vittam illis detraxeris, qua simul imposita, sancti & inviolabiles existunt, de Festis, sacris concionibus, jejuniis, sepultura, Bachanalibus, luxu foemineo, nuptiis, judicii ratione universa, genio soli coeli-que, fluminibus, thermis, divitiis, nec minus de Bojarinis, præ-
- cipu-

cipuisque ministris ac legatis, deque mercatoribus Germanis & artificibus Moscuæ viventibus, ac tandem de classe, quæ navibus bellicis sexaginta sex constat, habet, non licet nobis prolixius persequi. Illud quod de odio Moscorum in Astronomos affertur, P. 205. non omnino prætermitemus, quos prorsus detestantur magisque æquiparant; hinc Vogtii calendarium in Moscoviam inferre prohibitum, quod Streliziorum rebellionem haud obscure prædixisset auctor. Neque minus digna memoratu sunt, quæ reditus Moscoviæ concernunt. Nimirum decem Imperialium milliones, ut vulgo loquuntur, e vectigali portus Astracanensis & Archangelici, ducenta Imperialium millia e cerevisia, vino adusto & mulso, quæ potus genera solius Principis nomine venduntur, inque ejus commoda & compendium, & multum præterea e zobolium, rhabarbari & tabaci monopoliis ad Magnum Moscoviæ Ducem redire probat. Etsi enim clerus in Moscovia fumum Nicotianæ trahendi rationem ut impiam atque diabolicam exsecretur, adeo ut excommunicatus quoque cum tota familia fuerit a Patriarcha mercator, qui jus vendendi tabaci pro annuis rublorum 15000 redemerat, non tamen adduci possunt Mosci, ut se ab ea herba prorsus contineant. Unum superest, quod præcipue in causa fuit, ut libri hujus non adeo novi mentionem faceremus, typus nimirum insignium Moscoviæ non inelegans, quem nos hac occasione repræsentare operæ pretium duximus, quippe alibi frustra hactenus quæsitum. Cum vero, quisquis is sit, operis hujus Auctor ad Artis Heraldicæ regulas quoad metalla & colores insignia hæc non distinxerit, nec explicationem ullam addiderit, utrumque præstitit Vir quidam de gente Russica immortaliter meritis, & emendatis etiam, quæ perperam in archetypo expressa fuerant, sequentem descriptionem, quam totam haud illubentes inserimus, nobiscum benevole communicavit.

185.

186.

*DE INSIGNIBUS IMPERII MOSCOVITICI ET
 Provinciarum ab eo dependentium.*

Aquilam bicipitem antiquum esse Moscoviæ Cæsarum insigne ob matrimonia diversa cum Constantinopolitanis Im-

TAB. III.
Fig. 1.


peraroribus contracta & quod ab his genus ducant Russorum Imperatores, communis opinio est. Hinc Autor libelli, qui inscribitur, *Conspectus Heraldicæ*, Hamburgi impressi putat, a Johanne Basilide hanc aquilam bicipitem primum assumptam esse, eamque auream pingit in scuto coccineo, alis & cauda complicatis, addens, coronas tres super capita aquilæ imminentes tria regna, Moscoviticum, Casanense & Astracanense denotare. Alii argenteam, alii fulvam repræsentant. Verior sententia est, quam etiam Autor libelli qui inscribitur: *L'Etat de la Cour des Roys de l'Europe*, Parisiis anno 1680 editi, sequitur aliique probant, aquilam hanc bicipitem, si non nigram, saltem coloris naturalis (fusci) esse, campum vero aureum, rostrumque & pedes coccinei coloris, coronam denique mediam Imperialem, dexteram Regalem, & sinistram Electoralem vel Archiducalem mitram esse, ut ita dignitas (1) Imperatoria sive Cæsarea, quam Reges Galliæ & Angliæ, Turcarum Imperator, Resp. Veneta aliique Principes, paucis exceptis, Moscorum Avtocratoribus tam in literis ac scriptis, quam in adlocutionibus Legatorum tribuunt, prout Slavonicum quoque *Kesar* contracte *Czar* Cæsarem denotat: (2) Regia, ob regna Astracani, Siberiæ & Casani: (3) Archiducalis, ob titulum M. Ducatus Moscoviæ, demonstratur. Erectæ autem hodie conspiciuntur alæ aquilinæ, quas pendentes olim nonnulli pingebant. A collo aquilæ pendet scutum Georgii rubeum, exhibens equitem argenteum hastam draconi nativi h. e. lividi coloris infigentem. Reliqua Regnorum & Provinciarum, quæ aquilæ Moscovitiæ, sive Russorum Imp. parent, in libro Legationis Guarientii depicta insignia, nullisque ibi coloribus distincta, sequentem in modum determinantur, ac vulgo pinguntur. 1 ASTRACAN, Regnum, in campo cœruleo, corona regia, cum framea, cujus manubrium aureum, ensis argenteus. 2 SIBERIA, Regnum, in campo itidem cœruleo duo lupi argentei, tenentes coronam auream veteri more apertam, & infra arcum aureum, item tela duo decussatim posita argentea. 3 NOVOGARDIA, dicta MAGNA, (*VVeliki Novogorod*) M. Ducatus in campo aureo duo nigri ursi tenentes sellam rubeam cum duobus



Fig. 3.

Fig. 2.

INSIGNIA MOSCOVIAE ET RELIQUARVM PROVINCIA RVSSICI.



obus sceptris decussatim positis. 4 CASAN, Regnum, in campo argenteo draco niger coronatus. 5 KIOVIA, M. Ducatus, in campo cœruleo angelus argenteus dextra evaginatum tenens gladium, sinistra clypeum aureum. 6 VOLODIMIRIA, in campo rubeo leo aureus coronatus unguis tenens crucem Patriarchalem argenteam. 7 PLESCOVIA, in campo cœruleo leo aureus gradiens & superius e nube protensa manus coloris nativi. 8 SMOLENSKO, Ducatus in campo argenteo tormentum bellicum nigrum fulcris rotisque nigris insistent, cui avis insidet nigra similis ei quæ in sylvis arborescunt. 9 TWERIA in campo rubeo mensa argentea, cui insidet corona Regalis aurea, cum pendulis ejusdem metalli. 10 WOLHYNIA, in campo aureo crux rubea. 11 PODOLIA, in campo cœruleo aureus Sol 16 radiorum, supra quam crux aurea. 12 JUGORIA, in campo argenteo e nubibus cœruleis manus utrinque nativi coloris, duo tela rubea extremitatibus argenteis decussatim tenentes. 13 PERMIA, in campo aureo ursus niger, cui insidet liber rubro tectus corio, rasuris & clausuris aureis, unde exaltata crux argentea. 14 WITEPSK, in campo cœruleo rubea manus e nube protensa & jaculans rubeo arcu & telo nigro, cum cruce argentea. 15 BOLGARIA, in campo cœruleo agnus argenteus labarum gestans rubeum. 16 NOVOGARDIA in Tholowor Countroy (*Nisebi Novgorod* sita in regione, quam vocant *Niederland*, versus Casanium) in campo argenteo cervus rubeus cornibus aureis. 17 CZERNIGOW, Ducatus, in campo aureo aquila nigra coronata principaliter, alis explicatis, unguibus tenens crucem oblongam auream, supra humerum sinistram jactam. 18 RESAN, Principatus, in campo cœruleo miles rubro vestitus, albo palliatus, extractam tenens frameam ad feriendum. 19 POLOZK, in campo nigro albus eques evaginatum gerens gladium & scutum cœruleum, in quo similis eques celatus. 20 ROSTOK, Principatus, in campo rubeo cervus aureus, cornibus argenteis. 21 JAROSLAW, in campo aureo ursus niger pedibus insistent posterioribus & hastam tenens rubeam, aut speciem quandam securis. 22 BIELOSE-

RIA, (lacus albus) in campo cœruleo duo pisces quasi trutæ argenteæ decussatim positæ, & supra Luna crescens argentea, cornibus fursum directis, & in medio crux aurea. 23 U-DORIA, in campo atro vulpes alba currens. 24 OBDORIA, in campo argenteo vulpes currens nativi coloris. 25 CONDINIA, in campo argenteo Lapponus rubeo vestitus, caligatus cœruleo, & clavam quasi Herculeam humero portans. 26 WITEPSK, in campo cœruleo eques albus, strictum habens gladium. 27 MSTISLAW, in campo rubeo eques similiter argenteus, sed loricator & plumas struthionis albas galea gerens. 28 SEWERIA, in campo rubeo equus argenteus in cursu, supra & infra stella octicornis aurea. 29 IWERIA, in campo aureo duo sagittæ rubæ decussatim collocatæ, e quarum conjunctione prominent plumæ struthionis utrinque rubæ, & quæ impositæ, argenteæ, quodque deorsum pendet, cœruleum. 30 CARTALINSK, in campo aureo eques rubeus hastam in fauces draconis nativi coloris intrudens. 31 CABARDINIA, in campo cœruleo duæ argenteæ sagittæ decussatim positæ, utrinque duæ stellæ sexcornes aureæ, supra vero flos heliotropii aureus; scutulum in conjunctione positum rubeum, exhibens Lunam crescentem argenteam, cujus cornua versus latus dexterum vergunt. 32 CIRKASKY & JUGORIA, in campo rubeo eques argenteus. Hæc quantum ad typum e Diario supra memorato desumptum, qui cum æri jam incisus nobis esset, verum demum insignium Russicorum ectypum e Cancellaria Russica impetravimus, quem sistimus in Fig. 2, e qua patet, aquilam scuto includi, cui insistit corona Imperatoria, tum primarium quoque insigne, quod equitem S. Georgium cum dracone sistit, multo majori forma repræsentari, quam reliqua sex insignia in alis conspicua, denique caudam non artificiose explicatam, qualis est in insigni Imp. Rom. pingi. Imitatus hæc videtur nuperrime Editor operis grandioris (*des Wapenbuchs*) Fr. 1705, in fol. editi, quod insignium ectypa, nulla addita descriptione, exhibet. Attamen nec satis accurate omnia expressisse videtur, cum & coronam superiorem depressiorem pinxerit, & caudam acuminaverit, ut liquet e Fig. 3. No-

TAB. III
Fig. 2

Fig. 3

tandum &, in majori Imperii Russici sigillo conspici quidem in exteriori circulo insignia Imperii, quadrata, ut par est, forma descripta, at in minori nomen tantum summi Monarchæ Russici describi. Denique miramur ab Auctore Diarii inter alia insignia Russica Volhyniæ quoque, Podoliæ, Polozk, Witepsk & Mstislaw insignia collocari, cum neque in titulo neque insignibus Czaaræ Majestatis deprehendantur, nec Moscis in has provincias, ad Poloniam utique spectantes, jus ullum competat.

FRIDERICI HOFMANNI, CONSILIARII ET ARCHIATRI Regii, Medicina & Philosophia experimentalis P. P. in Academia Fridericiana, Dissertationes Physico-Medicæ Curiosæ selectiores ad sanitatem tuendam maxime pertinentes.

Lugduni Batavorum, apud Theodorum Haak, 1708, in 8.

Constant plag. 20.

Dissertationum, quæ in hoc fasciculo continentur, argumenta non minus utilia sunt, quam curiosa. In prima enim de methodo acquirendi vitam longam disquiritur: in altera docetur, quomodo unusquisque sui ipsius Medicus esse possit: in tertia animi in sanitatem ac morbos influxus consideratur: in quarta ventorum causæ, vires ac operationes in corpora humana & barometra expenduntur: in quinta tempora anni infalubria notantur: in sexta denique motus optima corporis Medicina adstruitur. Ad rem attentus haud difficulter assequitur, dissertationes posteriores pro uberiore argumentorum quorundam in prima non sufficienter discussorum declaratione haberi posse: quare nobis solam primam delineasse suffecerit.

Cum & olim multi extiterint & hodiernum existant homines longævi, recte omnino Autor doctissimus infert, dari aliquas longævitas causas. Quoniam adeo methodum acquirendi vitam longam exhibere ipsi propositum, in causas longævitas sibi inquirendum esse arbitratur. Enimvero quænam vitam diu conservent, quænam ejus conservationi noceant, judicare nequis, nisi, quid vita sit, constiterit. Distinctam itaque vi-

tæ notionem tanquam subsequentiū conclusionum genuinum fundamentum præmittit. Dicitur jam est a nobis in Actis anni superioris p. 128, quod vita ipsi sit perennis fluidorum per tubulos beneficio impulsus solidorum progressio : unde quivis colliget, inter causas longævitatæ ab eo referri, quicquid vel immediate, vel mediate hanc fluidorum circulationem per corpus adjuvat & conservat. Quoniam vero hic non modo fluidorum, sed & solidorum, hoc est, fibrarum habenda ratio ; tam illorum, quam horum constitutionem describit, qualis nimirum esse debeat, ut vita hominis si longæva. Fibras requirit flexiles & compactas, tensas tamen & ex tenerioribus filamentis contextas, cum fibrarum durities senectuti propria deprehendatur, id quod vel solæ animantium annosorum carnes non nisi vi ignis fortiori emolliendæ loquantur : requirit vasa ampla, propterea quod sanguis per ea facilius, quam per angusta & exilia circuletur : requirit in fluidis justam ad vasa proportionem & legitimam temperiem. Equidem fibrarum conformatio a naturæ in illorum productione operationibus pendet, & eatenus vitæ longævitatæ arbitrio nostro minime subesse agnoscit Autor ; dantur tamen adhuc aliæ causæ, quæ tum in fibrarum motum ac rite constitutorum conservationem, tum in fluidorum constitutionem influunt, cumque hic influxus ab homine plerumque moderari queat, ex illorum imprimis consideratione regulæ, quas vitam longam (quatenus in potestate est) acquiri observare tenentur, deducendæ sunt. In istas igitur Autor cum cura inquirat. Multum autem aeri tum in tono ac robore fibrarum musculosarum, tum in fluido spirituofo, quo fluidis pariter ac solidis vigor & robur infundatur, tribuendum esse contendit. Aerem commendat siccum, hoc est, vaporibus minus repletum, eumque paulo compressiorem ac frigidiorum, quod is, calore accedente, dum sese expandit, fibras comprimat, tono ac robore illas instruat motumque intestinum spiritualescenciæ fluidis fœnoret. Hinc deducit, cur homines sub aere frigidiorum, qualis in *Islandia*, *Grœnlandia* ac *Lapponia*, in locis item montosis occurrit, aliis plerumque longæviores ac saniores existant. Monet tamen aerem esse debere non frigidissimum, qualis sub

lis sub

lis sub Polis datur, sed temperatum, atque hujus inprimis temperiei æquabilitatem constantem laudat. Præterea quoque in circulum sanguinis passiones animi influere monstrat, & quod æquabilem solidorum fluidorumque motum sustineat mens tranquilla, hilaris, ab omni tristitia, curis, desideriis vacua, moderato gaudio, spe, fiducia sese sustentans omniumque affectuum domina, notat. Inde rationem longævitatatis, a Deo in Sacris hominibus piis promissæ, admodum ingeniose reddit. Justam denique fluidorum ad vasa proportionem atque temperiem diætæ moderatæ deberi multis exemplis comprobat & rationibus corroborat.

Jactis hisce fundamentis, duplicis generis regulas iis commendat, quibus longævitas curæ cordique existit. Classis prima eas complectitur, quæ innuunt, a quibus sit abstinendum; altera iis destinatur, quæ indicant, quænam sint facienda. Evitandum esse monet 1 immaturum fœminarum complexum, quod per seminis ejaculationem fibræ serum roscidum spirituosum subtrahatur, quo adolescere debitumque robur acquirere debent: 2 nimium vini usum, quod intemperati ac calidi succi ex potationibus provenientes nervis firmandis inidonei: 3 affectuum animi inconstantiam: 4 aeris humiditatem: 5 medicamenta in nimia copia sumta, purgantia præcipue ac vomitoria, ventriculi ac intestinorum robur delibitantia. Suaudet contra 1 abstinentioniam a nimio carniū usu; 2 ciborum compactilium potius, quam fluxilium usum: 3 aerem purum & serenum: 4 aquæ viniq̄ salubris potum (vina vero senibus salubria *Hungarica*, genuina *Toccaviensia*, ex *Helveticis Veltlinum* aromaticum; viridioris ætatis hominibus *Mosellana*, *Rhenana*, *Mænana* salubria dicit:) 5 motum, tanquam optimam corporis medicinam: 6 pharmaca corroborantia, quæ inter balsamus vitæ ab Autore parari solitus non postremum sibi locum vendicat: 7 venæ sectionem, non tamen nimis frequentem: & , si quis prolis longævitati prospicere consultum duxerit, 8 semini per mensem *Majum* & autumnale tempus in uterum immissionem, per antecedentem venerem non debilitandi, ubi

quoque peculiarem curam circa embryonem & foetum enixum matri observandam injungit.

JOHANNIS JACOBI BAIERI PHILOS. ET MED. D.
 bujusque in Acad. Altdorf. Prof. Publ. & Illustris Reipublicæ Norib. Physici Ὀρυκτογῶφία Norica, seu Rerum fossilium & ad Minerale Regnum pertinentium in territorio Noribergensi ejusque vicinia observatarum succincta descriptio.

Noribergæ, impensis Wolfgangi Michaelis, 1708, in 4.

Constat plag. 14 & tabb. æn. 6.

- CUM externæ quidem nationes eam historiæ naturalis partem, quæ Fossilia tractat, strenue excolant, nostro ævo nullum deprehendi Germanorum, qui *Agricolam*, *Cordum*, *Gesnerum*, *Kentmannum*, *Fabritium*, *Encelium*, superiorum seculorum Scriptores imitetur, aut quæ ab his omissa sunt, suppleat, vehementer dolet Autor Clariss. eoque haud abs re esse duxit, horas a publico officio, quod per quinquennium jam ornavit, curis vacuas regioni Noricæ ejusque vicinitati, in quam rerum fossilium copias alibi latissime sparsas velut in compendium redegit natura, impendere. In præsentis igitur Tractatu, cujus supplementum ulterius promittit, postquam de situ & natura agri Norici quædam præfatus fuerat, aquas commemorat,
- I. medicamentosas præsertim, minerales, & curiosas. Quas inter notatu digna admodum est scaturigo illa, in medio fere itinere, quod Altdorffio ad pagum Zeimburg ducit, occurrens. Ibi enim amplus & aliquot orgyas profundus terræ sabulosæ hiatus aquam ex imo eructat, ea quidem copia, quæ modico intervallo tribus molendinis successive agendis sufficiat. Has aquas non alias esse, constanter asseverant ruriculæ, quam illas, quæ in monte Wissenbrunnensi haud procul distito scaturiunt, hinc paulisper continuato supra terram cursu iterum disparent, & quasi absorbentur, ex hiatus demum isto rursus prodituræ. Ubi de terris, quarum singularis usus apud Mechanicis

chanicos pariter ac Medicos est, tractat, mentionem facit argillæ, boli rubræ & flavæ, seu luteæ, rubricæ fabrilis, terræ figillandæ ex luteo puniceæ Veldensis (quam non Martialis vel Vitriolacæ, sed Solaris naturæ esse perhibet) & lactis Lunæ; sibi que gratulatur, quod primus hoc detexerit hisce in terris, ejusque originem deducit ab aquis per corticem terræ absorptis & altius in compagem certi generis saxorum penetrantibus; hæ enim abluunt hinc inde & secum vehunt tenerriam lapidum substantiam & veluti cremorem, eumque postea rursus e suo sinu dimittunt, ubi occasio datur, in subterraneis cryptis, quarum in parietibus corrivatæ aquarum guttæ dicto lapidum cremore scatentes sensim evaporando coalescunt, relicta, quam sibi in transitu e saxis adsciverant, materia in ipsum lac Lunæ coalitura, & ambientis præcipue aeris auxilio siccanda. Nec obiviscitur medullæ saxorum, aliarumque margæ specierum. Pergit ad lapides in genere, & speciatim illos, qui nulla certa figura sunt conspicui, saxum puta arenarium, tophum seu porum calcarium, saxum, gypsum, alabastrum, marmor, silices, crystallum & fluores. Ex illis vero lapidibus, qui certa figura ex lusu naturæ gaudent, refert ætitem, belemnitem, stalactitem, astroitas, modiolum stellarem, dentritem, lapidem Judaicum, aliosque, vegetabilia, partes animalium & huc spectantium, quarundam rerum imaginem representantes. Sequuntur illi qui ex quorundam vegetabilium & animalium transmutatione figurati deprehenduntur, inter quos Autor Clariss. musci petrificati genesin sequenti modo explicat. Quando aquæ particulis saxeo-margaceis intra terræ viscera imprægnatæ scaturiunt, ac per illius superficiem sese diffundunt, in progressu autem forte ad muscum allidunt, non potest non earundem ex parte motus hinc reddi languidior, insimul præcipitationi ansa suppeditari, ut subinde aliquid affigatur, & adhærescat poris atque ramulis musci de materia præfata margaceo-lapidea, cujus aggregatio sic continuata sensim abit in crustam lapidosam, magis magisque obrigescentem. Ipse vero muscus arcto hoc materiæ tophacæ amplexu

C. IV.

V.

VI.

compressus & liberi aeri commercio orbatus paulatim emarcescit, & in pulverem pro modulo quantitatis suæ redigitur; quæ ratio est, cur hujusmodi petrificatus muscus, si frangatur, intus in singulis ramulis foramine sit præditus; cum interim tophacea illa crusta ad figuram musci, quem investiebat, conformetur, nunc quidem accuratius, nunc rudius, prout materia ejus extiterit vel subtilior, vel crassior, ipsaque concretio tenerior vel spissior fuerit. Paria cum musco fata subire coguntur plantæ aliæ, earumque partes, si a tophaceis aquis diutius alluantur. Nec tamen dubitat Autor Clariss. quin alibi alio quoque modo, scilicet per insinuationem succi lapidescentis in poros ac intimiora vegetabilium, eadem penitus indurescant in lapides. Cornua vero, dentes seu ossa fossilia, quæ hodie equidem admodum rara in agro Norica inveniuntur, haud quaquam exlusu naturæ producta, sed ipsorum varii generis animalium, terra margacea obrutorum, partes & reliquias diversimode alteratas esse pronuntiat. Inter petrefacta ex animalibus exhibet quoque ichthyospondylos & ichthyolithos. Petrificatorum testaceorum dum mentionem facit, Cornu Ammonis sistit, seu Nautilitem, quæ quo minus pro naturæ lusibus, sed pro veris conchyliorum testis earumque partium ectypis habeat, variis inducitur rationibus: & quidem 1, quia certus & constans est character non solum totius generis, sed & singularum specierum; 2, quia non tantum præsentia testæ, verum & conveniens ipsius color in pluribus ejusdem speciei individuis monstrari potest, tametsi illam intus modo hæc modo ista repleverit materia; 3, idem structuræ internæ artificium docet; quibus accedit 4, quod perinde ut testacea cuncta pro ratione graduum ætatis suæ diversi moduli a minimo ad maximum usque inveniantur etiam in Nautilite, ita ut in nonnullis speciebus ab ovulo quasi liceat gradatim ascendere ad summam. Quæstante sententia, occasionem, qua ista testacea e loco suo natali, nimirum Oceano, in terram continentem tanta copia pervenerint, referre ad universale diluvium non dubitat. Mittimus turbinatos, echinitas, balanas & tubulos vermiculares, quos copio-

piofos allegat & depingit. Sequuntur testacea fossilia bivalvia, quæ testas habent vel æquales, vel inæquales, utrasque modo striatas, modo nonstriatas. Ab his pergit ad salina & sulphurea fossilia, nitrum scilicet & vitriolum; ubi minus consentit Libavio, qui cuncta ligni fossilis bituminosi Norici, ex quo Vitriolum elicitur, specimina meræ mineralis profapiæ esse existimat. Licet enim hoc concesserit de rudioribus & informibus, de singulis tamen, præsertim iis, quæ ligni vegetabilis naturam quoad tactus fibrarum, pectines, corticem, nodos, & ramorum vestigia &c. nimium exacte referunt, concedere neutiquam potest. Metalla quod attinet, quamvis Noricum solum fecunditate eorum Saxonix, Bohemix & Hungariæ facile cedat, non tamen expers esse ferri cœrulei nativi dicitur.

C. IIX.

IX.

JO. CASP. EISENSCHMIDI DE PONDERIBUS ET Mensuris Veterum Romanorum, Græcorum, Hebræorum, nec non de valore Pecunie Veteris Disquisitio nova, testimoniis vetustis, rationibus, experimentis, calculis recens factis suffulta.

Argentorati, impensis Theodorici Lersæ, 1708, in 8.

Constat plag. 15 & tabb. æn. 2.

Tractationi de ponderibus veterum Romanorum, Græcorum & Sect. I. Hebræorum Autor doctissimus præmittit explicationem libræ C. I. Parisinæ, Argentoratensis, Noribergensis, Anglicæ, variarum Italicarum, Medicæ & marcæ seu selibræ Coloniensis: ubi notat, libram Medicam in Germania myropoliis adhibitam ab ea longe recedere, quæ in Gallia & Hispania recepta est. Agit etiam de Karatio, hoc est, pondere, quo artifices Germani, Hungari, Galli, Hispani ad gradus puritatis in auro indicandos utuntur, & de modo argenti cum ære mixturam æstimandi. Quoniam vero pondera veterum ad Parisinæ libræ partes revocat, notandum est, libram Parisinam distingui in duas selibras sive marcas; singulas marcas esse 8 unciarum; unciam 8 grossorum; grossum 3 denariorum; denarium 24 granorum, ut adeo uncia 576, li-

- bra 9216 grana contineat. Alia quoque libræ *Parisinæ* in usu est divisio in 20 *Sterlinos* (*Esterlins*) *Sterlinus* continet 2 obolos
- C. 2. (*Mailles*) *obolus* 2 *Felinos* (*Felins*) *Felinus* $7\frac{1}{5}$ grana. Libram *Romanam* instar *Aſſis* in 12 *uncias* dividi notat, quarum unam 516 granis *Parisiensibus* æqualem facit. Inter pondera *Græca*
3. fama & usu præcellere ait *Attica*, quorum species *talentum* (*τάλαντον*) *mina* (*μνᾶ*) *drachma* (*δραχμή*) *obolus* (*ὀβολός*) & *keratium* (*κεράτιον*.) Adde *drachmæ* quadruplum *τετραδραχμον* & duplum *διδραχμον*. *Talentum*, juxta Auctorem, æquatur 54 libris, 2 unciis, 5 grossis & 24 granis *Parisinis*; estque *talentum* 60 *minarum*; *mina* 100 *drachmarum*; *drachma* 6 *obolorum*. Disputat contra opinionem vulgo receptam, quæ 8 *drachmas Atticas* *uncix Romanæ* tribuit, cum ipse nonnisi $6\frac{1}{4}$ eidem convenire contendat. Maximum pondus *Hebræorum* *Kikar*, quod *talentum* interpretantur, ex 3000 *Siclis* constare probat, rationibus ex *Exod. XXXVIII* petitis. *Siclus*, notante *Josepho Antiquit. Lib. 3 C. 9*, *drachmas Atticas* 4 capit: unde noster Auctor eundem 268 granorum *Parisiensium* facit. *Mina Hebraica* 60 *siclos* continet, *Ezech. XLV, 12* & *sicli* vigesima pars fuit *Gerah*, *Exod. XXX, 13*, *obolo Attico*, juxta *Nostrum*, respondens. Negat vero *Noster*, differentiam statuendam esse inter *talentum sacrum* & *talentum profanum*, item-
- Sect. II. que inter *talentum auri* & *talentum argenti*. Similiter de
- C. 1. mensuris cavis, hoc est, fluidorum & aridorum, acturus ea præmittit, quæ *Picardus* in volumine *Operum diversorum*, ab *Academia Regia Scientiarum* A. 1693 edito & nobis A. 1695 p. 126 laudato, p. 370 de mensuris cavis *Parisinis* tradidit, subjuncta mensurarum *Argentoratensi* in explicatione. Harum vero mensurarum soliditatem per notissimas *Stereometriæ* regulas determinat. *Mensuras cavas Romanorum* per demonstrationes *Vilalpandi* hoc præ reliquis singulare habere monet, quod non tantum inter se, sed & cum *libra* & *pede Romanorum* elegantissimam rationem servant. Præcipua illorum mensura fuit *amphora*, seu vas cubicum, cujus latus pedem *Romanum* adæquabat. Aqua eo contenta pendeat 80 pondo *Romana*. Con-
- tinet

tinet autem *culeus* 20 amphoras, *amphora* 2 urnas, *urna* 4 congios, *congius* 6 sextarios, *sextarius* 2 heminas, *hemina* 2 quartarios, *quartarius* 2 acetabula, *acetabulum* $1\frac{1}{2}$ cyathum, *cyathus* 4 ligulas. Mensura Romana aridorum maxima *quadrantal* constat 3 modiis, *modius* 16 sextariis, *sextarius* 2 heminis, &c. ut in fluidorum mensuris. Mensuras cavas Græcorum, & quidem *Atticas* triplices fuisse observat, quarum aliæ ad sola liquida, aliæ ad sola arida, aliæ ad utraque referendæ. Refutat *Galenum* de *cotyle* magnitudine erronee statuentem, eamque cum *Vilalpando* *heminae Romanæ* æqualem facit. Sunt autem mensuræ *Atticæ* liquidorum $\mu\epsilon\lambda\eta\eta\eta\varsigma$ (12) $\chi\tilde{\alpha}\varsigma$ (6) $\xi\acute{\epsilon}\varsigma\eta\varsigma$ (2) $\kappa\omicron\tau\acute{\upsilon}\lambda\eta$ (2) $\tau\acute{\epsilon}\tau\alpha\rho\tau\omicron\nu$ (2) $\omicron\zeta\acute{\upsilon}\beta\alpha\phi\omicron\nu$ ($1\frac{1}{2}$) $\kappa\acute{\upsilon}\alpha\theta$ (2) $\kappa\omicron\gamma\chi\eta$ (2) $\mu\acute{\upsilon}\varsigma\tau\omicron\nu$ ($1\frac{1}{4}$) $\chi\eta\mu\eta$ (2) & $\kappa\omicron\chi\lambda\iota\acute{\alpha}\rho\iota\omicron\nu$ (1); mensuræ aridorum $\mu\acute{\epsilon}\delta\iota\mu\upsilon\tau\omicron\nu$ (6) $\acute{\epsilon}\kappa\tau\omicron\upsilon\varsigma$ (2) $\eta\mu\acute{\iota}\epsilon\kappa\tau\omicron\nu$ (4) $\chi\omicron\iota\upsilon\nu\iota\zeta$ (2) $\xi\acute{\epsilon}\varsigma\eta\varsigma$ (2) $\kappa\omicron\tau\acute{\upsilon}\lambda\eta$ (4) $\omicron\zeta\acute{\upsilon}\beta\alpha\phi\omicron\nu$ ($1\frac{1}{2}$) $\kappa\acute{\upsilon}\alpha\theta$ (10) & $\kappa\omicron\chi\lambda\iota\acute{\alpha}\rho\iota\omicron\nu$ (1). Ubi quidem notandum, & in subsequentiis repetendum, mensuras antecedentes esse ad immediate subsequentes ut numeros parenthesisibus inclusos ad unitatem, e. gr. $\kappa\omicron\tau\acute{\upsilon}\lambda\eta$ est ad $\omicron\zeta\acute{\upsilon}\beta\alpha\phi\omicron\nu$ ut 4 ad 1. *Metretes* vero, ex calculo Autoris, continet 2022, *medimnus* 2696 pollices cubicos *Parisienses*: quemadmodum *culeus Romanus* est 26960 & *quadrantal* 1348. Mensurarum cavarum *Hebræorum* magnitudinem Noster, suppositis iis, quæ passim *Josephus* tradidit, facta cum *Græcis* & *Romanis* comparatione, determinat. Sunt autem mensuræ liquidorum *Hebraicæ* *Bathus* (6) *Hin* (12) *Logus* (6) & *Ovum Rabbincum* (1): mensuræ aridorum *Corus* s. *Chomer* (2) *Lethech* (5) *Ephab* (3) *Satum* ($3\frac{1}{3}$) *Homer* s. *Gomer* ($1\frac{4}{5}$) *Kabus* (24) & *Ovum Rabbincum* (1). *Bathus* est 2022, *Corus* 20220 pollicum cubicorum *Parisiensium*. Ubi ad mensuras interval-

C. 3.

4.

Sect. III.

C. I.

par-

particulas. Est igitur *pes Parisinus* particularum 1440; talium vero *Rhinlandicus* per experimenta Auctoris est $1391 \frac{3}{10}$; *Argentoratensis* urbicus $1282 \frac{3}{4}$, ruralis 1309; *Romanus* 1320, juxta *Cassinum*; *Londinensis* 1350, juxta *Bernbardum*; *Noribergensis* urbicus $1346 \frac{3}{4}$, juxta *Wurtzelbauerum*; *Dantiscanus* $1271 \frac{1}{2}$, juxta *Hevelium*; *Danicus* $1403 \frac{2}{5}$, juxta *Picardum*; *Succicus* $1316 \frac{1}{2}$, juxta eundem; *Bononiensis* 1686, juxta *Auzoutum*, vel $1682 \frac{2}{5}$, juxta *Cassinum*; *Venetus* 1540, juxta *Auzoutum*. *Palmus Romanus* Architectorum hodie usitatus juxta *Auzoutum* est $988 \frac{1}{2}$, juxta

C. 2. *Cassinum* 990 istiusmodi partium. *Pedem Romanum* vero veterem esse $1324 \frac{1}{2}$ partium pedis *Parisiensis*, variis modis contra dissentientes demonstrat. Dividebant autem Romani *pedem*,

3. in 4 palmos, *palmum* in 4 digitos. *Passus Romanus* continebat 5 pedes, *milliare* 100 passus, *stadium* 125 passus. Apud Græcos mensuræ intervallorum erant *μίλιον* (2) *ἰππικόν* (4) *στάδιον* (6) *πλέθρον* ($16 \frac{2}{3}$) *ὄργον* (4) *πῆχυς* ($1 \frac{1}{2}$) *πῆξ* (4) *παλαιστή* (4) *δάκτυλος* (1). *Pedem Græcorum* Auctor facit

4. $1379 \frac{7}{10}$ partium pedis *Parisini*. Mensuras denique intervallorum *Hebraicas* memorat *Iter Sabbathi* ($333 \frac{1}{3}$) *Kaneh* s. arundinem (6) *Ammah* s. cubitum (2) *Zereth* s. spithamam (3) *Topahach* seu *palmum* (4) *Erban* seu *digitum* (1). Est vero *digitus* $99 \frac{1}{3}$ partium pedis *Parisiensis*. Huic de mensuris intervallorum doctrinæ quædam de *semidiametro* & *ambitu Orbis Terrarum* subjungit, ubi notat post *Telluris dimensionem*, anno 1669 a *Piccardo* factam, anno 1700 jussu Regis Galliarum *Joh. Dominicum Cassinum* cum plurimis ex *Academia Scientiarum* adjutoribus post exantlatos immensos labores *portionem Meridiani gradibus* 6, min. 18, sec. 55 interceptam *hexapodarum Paris.* 360600 deprehendisse, & ex litteris a *Celeberrimo Viro* ad se datis integræ operationum seriei cum aliis isthuc pertinentibus spem facit. Est adeo *ambitus Telluris* 20556000 *hexapodarum Parisiensium*, consequenter *semidiameter* 3271589, hoc est, 1693047

Sect. IV. *perticarum Rhinlandicarum*. Tandem de valore pecuniæ veteris *Romane, Atticæ & Hebraicæ* differit, & eam computandi rationem exponit. De *Romanis* notum satis, quod ab initio usi

fuerint

fuerint assibus libralibus. *As* vero juxta Autorem est $\frac{1}{5}$ unius imperialis seu thaleri. Postea nummi argentei cudi cœperunt, quorum singuli denis assibus æstimabantur, & inde *Denarii* vocabantur: a quo tempore mos per *sestertia* numerandi cœpit, de quibus eruditum *Gronovii* Tractatum habemus. Septem denarii cum semisse, juxta Nostrum, uni imperiali hoc est 24 grossis *Saxonicis* æquantur. De pecunia *Attica* observat, *drachmam* continere 6 obolos, *minam* 100 drachmas, *talentum* 60 minas: *oboli* vero pretium $2\frac{1}{4}$ cruciatorum statuit, quorum 90 in uno imperiali continentur. De Hebræorum pecunia pauca habet. *Siclum* eorum 45 cruciatis æquat, hoc est dimidio imperiali. Sub finem Tabulæ comparent, in quibus pondera, mensuræ & pecuniæ *Romanorum* veterum, *Græcorum* atque *Hebræorum* tum inter se, tum cum *Argentoratensibus* & *Parisiensibus* comparantur, ex quibus multa in antecedentibus excerpimus.

Comparet inter eas Tabula gravitatis liquorum in pondere *Parisiensi* tum æstivo, tum hiberno tempore, quam propter utilitatem suam dignam judicamus, ut Actis nostris inferatur.

Gravitas

<i>Pollex Cubicus Paris.</i> <i>Liquorum</i>	<i>tempore æstivo</i>			<i>tempore hiberno.</i>		
	Unc.	Gross.	Gran.	Unc.	Gross.	Gran.
Mercurii	7	1	66	7	2	14
Olei Vitrioli		7	59		7	71
Spiritus Vitrioli		5	33		5	38
Spiritus Nitri		6	24		6	44
Spiritus Salis		5	49		5	55
Aquæ fortis		6	23		6	35
Spiritus sulphuris		5	34		5	39
Aceti		5	15		5	21
Aceti destillati		5	11		5	15
Vini Campanici		4	66		4	70
Vini Burgundici		4	67		4	75
Aquæ Vitæ		4	48		4	57
Spiritus Vini		4	32		4	42
Cerevisiæ albæ		5	1		5	9

G g

Cere-

Cerevisiæ fuscae	5	2	5	7
Vini pomacei	5	0	5	6
Lactis Bubuli	5	20	5	25
Lactis Caprini	5	24	5	28
Lactis Asinini	5	17	5	21
Seri Lactis	5	14	5	19
Urinæ	5	14	5	19
Spiritus Urinæ	5	45	5	53
Olei Tartari	7	27	7	43
Olei Olivarum	4	53	Duo hæc olea congelata Aræ-	
Olei Amygdal. dulc.	4	52	ometro excipi non possunt.	
Olei Terebinthinæ	4	39	4	46
Aquæ marinæ	6	12	6	18
Aquæ fluvialis	5	10	5	13
Aquæ putealis	5	11	5	14
Aquæ destillatæ	5	8	5	11

PROJET D'UNE DIXME ROYALE.

hoc est,

DELINEATIO DECIMARUM REGIARUM, AU-
tores Mareſchallo de VAUBAN.

A. 1707, in 8. Constat plag. 14.

AEquitatis esse, ut civium redivibus onera proportionentur, nemo Politicorum diffitetur: ast ubi proportionanda sunt, naturæ lex non semper observatur, vel quod modus veram proportionem eruendi lateat, cum ob plurimas difficultates eam non cuivis eruere detur; vel quod emolumentum proprium impediatur, quo minus dura pauperum fors cernatur. Proponit igitur *de Vauban*, vel alius eius nomine abusus, Regi suo tale onerum subditis imponendorum systema, quod memoratæ ceterisque naturæ legibus ad amissim respondens, & nihil Politicorum arbitrio relinquens, & Regi & subditis maxime proficuum, ea demonstrationum certitudine evincit, quæ rigoroso Geometricarum examini probatur. Omnibus scilicet aliorum systematum defectibus graphice delineatis, *Decimas Regias*, a vigesima redituum subditorum parte

parte nunquam deficientes, decimam nunquam excedentes, systema optimum absolvere, omnibusque malis ex systematibus reliquis enasci solitis certissimam afferre medelam, nec, uti reliqua, corruptioni ulli obnoxium esse demonstrat. Quatuor autem constituit decimarum Regiarum classes. Prima decimas omnium terræ proventuum, ipsius etiam ligni, comprehendit. Ingeniosi sunt calculi, quibus manifestum reddit, quod decimæ Regiæ non modo Ecclesiasticas, sed & ordinariorum tributorum summam longo numerorum intervallo post se relinquunt, utut his minus onerosa existant; quodque sumtus Regi ordinarie faciendi suppetant, si vigesima pars decimetur. Nec minus laudanda consilia de decimis insigni expensarum compendio colligendis collectisque cum numerata pecunia statim commutandis. Classis altera decimas reddituum reliquorum subditorum comprehendit: ubi exponitur quomodo reddituum quantitas exacte cognoscenda, & qua ratione caveatur, ne redditus jam decimati denuo decimentur. Referuntur huc decimationes pretiorum ædium ac molarum locatarum, pro quibus tamen separandis quintam vel quartam partem ante subducendam esse monet, quam decimatio fiat. Operose quoque inculcat, ne nimia commerciis imponantur onera, ac fuscè docet, quo pacto stabiliri ac stabilita conservari commercia queant, quænam litterarum cambialium ratio esse debeat, quomodo artificum inprimis, fabrorum ac operariorum redditus æstimandi, ne nimis graventur. Classis tertia soli destinatur, cui non nimia onera imponi debere judicat, quia in multorum subditorum detrimentum cedunt. Nævos in hac exactione obvios recenset eosque corrigendi modum enucleat. Maxime autem salutare censet, si in Regalium numerum sal referatur. Classis denique quarta fixos Regis redditus complectitur, quos locupletari debere suadet novo quodam tributi genere, quod nemo solvat, nisi cui volupe fuerit. Solvere autem iis volupe, qui luxu delectantur. Tota pecuniæ vis classi primæ debita est 60000000; debita secundæ 15422500; debita tertiæ 23400000; debita quartæ 18000000 librarum: ut adeo summa reddituum annuorum Regis in hoc systemate forent 116822500 librarum

hoc est, 38940833 thalerorum, numero subditorum cujuscunque sexus ac ætatis per omnes Regis Provincias, 28042 milliaria Gallica quadrata complexas, existente 19094146, quemadmodum ex factis sub initium præcedentis seculi numerationibus deducitur. Systematis ratione sufficienter exposita, ejus ulterius præstantiam multis deprædicat, objectiones contra illud movendas diluit, ac inprimis cum cura edocet, quænam observari debeant, siquidem executioni mandandum.

*HEINRICI PIPPINGI EXERCITATIONES ACADEMIÆ
Juveniles, quibus accesserunt duæ ejusdem Exercitationes Epistolice recentiores.*

Lipsiæ, apud Hæredes Jo. Grossii, 1708, 8.

Alph. 1 & pl. 12.

Quanquam Reverendus Autor primos hos suæ diligentia fructus denuo recudere non induxerat in animum, eorum tamen consiliis locum dedit, qui ut in unum fasciculum colligerentur, auctores fuerant. A prima ætate, qua ad altiora jam adspirare cœpit, rebus Theologicis ita se dedit, ut in earum arcanis perquirendis juveniles quoque labores insumserit, hinc pleraque Exercitationum pars vel Theologica est, vel ad Theologicas quæstiones accedit propius. Primi autem conatus sunt de *curioso Novitatis studio*, quibus jam anno MDCLXXXVII sui seculi novitatis ubique studiosissimi mores erudite proposuit. In ea quidem Disputatione cum M. Joach. Christian. Westphalum nactus esset Præsidentem, factum ut alii huic eam addicerent, quam tamen ipse Reverendus Pippingius sibi vindicat, & ut pietatis in jam defunctum Præsidentem monumentum extaret, ejus fata in Præfatione persequitur. Sequenti anno in Magistrorum ordinem receptus, ipse Præses Disputationem habuit Philologicam *de potu puniendis ante mortis supplicium & patienti Christo ante crucifixionem porrecto*. Tertia Disputatio est Historico-Theologica *de Saule per Musicam curato*, quam, cum studiorum causa in Academia Vitembergensi degeret, conscripsit, & sub præsidio Celeberrimi Theologi Casp.

Læ-

Lœscheri publice defendit, & hinc mox Lipsiam, quæ illi patria, reversus novam proposuit Disputationem *de raptu liberorum*, in qua id imprimis agitur, ut indignitas raptus liberorum ad monasteria, qui apud Pontificios ac inter Jesuitas maxime frequens est, demonstretur. Hanc sequitur perelegans *de corona Pontificis*, quam Viri docti dignis decorarunt elogiis. Recentiores illas duas Epistolicas Dissertationes, quas sequioribus quidem temporibus scripsit, adjici appendicis loco passus est, quod ob materiarum in iis tractatarum præstantiam & utilitatem eas desiderari a non paucis intelligeret. Est autem earum prima ad Virum maxime Reverendum, Gottlob Frid. Seligmannum, Pippingii Socerum, tunc temporis Academiae Lipsiensis Rectorem, quem vivis ereptum superiori Mense p. 191 jure deploravimus, & *syllabum* continet *Rektorum Academiae Lips.* qui seculo decimo septimo sibi invicem successerunt. Altera est *de iterata & solida defensione Pupillæ Evangelicæ scriptisque insuper aliis inde ab anno M DC XXIV ad annum usque M DC XXX publica auctoritate in Saxonia superiori evulgatis, D. Matthiæ Hoe ab Hoenegg auctori vindicandis*, ad Virum celeberrimum, Thom. Crenium, urbis Lugdunensis apud Batavos insigne ornamentum. Integro Dissertationum volumini locuplex rerum Index subiectus est,

JO. MEYERI, D. DISSERTATIO THEOLOGICA,
 qua Propheticas visiones Ezechielis de Templo &c. IX extremis Capitibus contentas nondum impletas, sed olim implendas esse, demonstratur.

Harderovici, apud Petrum Sas, 1707, 4.

Plag. 16.

Qui Rabbinicam litteraturam multis hæcenus modis adauxit. Cl. Meyerus, Sanctæ linguæ apud Harderovicenses Professor, difficillimam S. Literarum partem, postrema videlicet novem Ezechielis Capita, de mensuris Templi, partitione terræ Israelis & novæ Hierosolymæ agentia, explicanda sibi sumpsit, ita tamen, ut conjecturis se niti ipse fateatur, neque se speciales ra-

tiones proportionum $\kappa. \tau. \lambda.$ indagare posse, aut rem omnem in summa luce ponere, ultro concedat.

Ac primum in prolixo Proœmio commemorat, Judæos aliquando circa Ezechielis librum in dubio hæsisse, cum primis ob illud, quod Ezech. XVIII, 40 occurrit, verbum de filiis ob parentum crimina puniendis, quod legi Mosaicæ Exod. XX, 5, XXXIV, 7 contrarium videtur. Ubi Cl. Meyerus existimat, Mosaicam legem de solo idololatriæ & apostasiæ delicto, de- que filiis infantibus, qui sint quasi parentum membra & partes, vel de adultis peccata parentum imitantibus agere, istaque loca de justitia Dei nobis imperscrutabili loqui, cum e contrario Deut. XXIV, 16 de justitia judicum humanorum differatur, eaque ordinaria, vi cujus filii innocentes propter parentum peccata a solis hominibus, nulla revelatione speciali accedente, puniri non debeant. Davidem enim 2 Sam. XXI, 1 sq. contra illud agentem, singulari mandato divino excitatum esse: Ezechielis autem verba prophetica esse, exprobrantia Judæis vitam profligatissimam, qui se sanctos esse atque majorum saltem causa pati existimabant; excipi a Propheta saltem filios adultos, peccata parentum non æmulantes, nullamque adeo pugnam hic obvenire. His dictis, Auctor Spinosæ proterviam confutat, suspicantis, Chananiam Judæum librum Ezechielis subinde immutasse, ostenditque, p. 13 illum suam in Scriptura, Talmude & Rabbinis imperitiam prodidisse. Agit post hæc de veteri Judæorum traditione, quod Ezechielis vaticinium a viris Synagogæ magnæ demum post reditum ex captivitate conscriptum fuerit, ubi Huetii aliorumque lapsus arguit, docentium Abarbanelis aliorumque inter Ebræos Magistrorum testimonio olim Haggæum, Zachariam & Malachiam ex albo Prophetarum expunctos fuisse.

Hinc ad rem ipsam se confert, & Sectione quidem I in eo laborat, ut demonstret, divisionem terræ ab Ezechiele datam post reditum Israelitarum ex Babylone non fuisse impletam. Diligenter itaque in ejus mensuras inquirat, schemate etiam appposito, atque ordinarie ab Ezechiele calamos sex cubitis majoribus (quorum quilibet sex palmos habeat) constantes, intelligi demon-

demonstrat, refellens *ὡς ἐν παρόδῳ* Const. l'Empereur, Leusdenium aliosque, qui citra fundamentum duplicem cubitum Ebraeorum, communem, & sacrum, duplo majorem priori, faciunt. Itaque & Villalpandum, M. Hafenrefferum, Castalionem, L. Cappellum, S. Schmidium aliosque, ut plurimum in illis locis cubitos pro calamis substituentes, refutat, cum primis autem Villalpandum, contra quem ostendit, templum Ezechielis sexies majus fuisse Salomoneo & illo, quod post reditum est constructum. Ea occasione data, p. 38, 39 Cl. Hilleri sententiam de Keri & Cetib sibi non probari pronuntiat. Observat porro, post reditum peculiarem terræ portionem concessam Sacerdotibus & Levitis, multo minus Principi; neque huic primos proventus oblatos, neque altare juvenco dedicatum, neque alia facta esse, quæ ab Ezechiele mandata & promissa sint, maximam partem a lege Mosis divergentia, quæ tamen post reditum diligenter fuerit conservata. Illa cum primis, quæ Ezechiel de celebrando Paschate, feria Tabernaculorum, Sabbatho & Noviluniis præscribat, plane alia & nunquam hætenus observata esse; neque flumen ab Ezechiele descriptum ex templo exiisse, neque decem tribus plene rediisse, (paucos enim, circiter 12000, ut ex Esra colligit, tum saltem reversos,) itaque ista nondum esse impleta: hæc Sectione II tradit.

Sectione III & IV in eo est, ut ostendat, Ezechielis illud vaticinium ne quidem in Ecclesia N. T. etiamsi mystice explicetur, hætenus fuisse impletum, quia nondum decem tribus reversæ aut terra inter eos divisa sit (ubi ad literam Judæos intelligi debere credit, postquam peregrinorum, sive Christianorum, inter illos habitantium peculiaris fiat mentio) & quia Hierosolyma vere restaurari cum summa magnificentia debeant. Hic enim omni studio conatur confirmare, remigrationem omnem Israelitarum in terram Canaan divinitus esse permissam, cum primis Deut. XXX, 1 sq. XXXII, 34, 35, Ps. LXIX, 36, 37, Jes. VIII, 11 seq. XLIX, 8 sq. Jerem. III, 14 sq. XVI, 14 sq. quæ loca prolixè interpretatur. Similem in modum de Hierosolymis ad literam denuo & longe magnificentius reædificandis testimonia Jerem. XXXI, 38 sq. Joel. III, 5, IV, 1. 16 sq. Zacha-

Zachariæ cum primis, cap. II, 5, VIII, 1 sq. XII, 6 sq. XIV, 1 sq. clarissima & omni exceptione majora esse opinatur. Concedit tamen p. 100 sq. multa ad illam restorationem pertinentia mystice saltem explicanda esse, v. gr. quæ de congregatione omnium gentium ad novam illam urbem, de aquis vivis ex urbe prodituris, de cultu Levitico, sacrificiis, sacerdotum & Levitarum discrimine dicuntur, &c. id quod partim S. Literarum collatione, partim Abarbanelis aliorumque Judæorum confessione evincit. Tandem fassus, mysticum sensum hic regnare, potissimum circa templi exstructionem, & alia, tamen, quod ad urbem spectat, plus sibi sumens, Apocal. cap. XXI & XXII cum Ezechiele conferendum credit, atque hunc statum Ecclesiæ Israeliticæ, Joannem vero totius Ecclesiæ repræsentare existimat; superesse tamen sibi scrupulos & difficultates fatetur, & indicanti errata maximas se gratias acturum spondet.

HOLY DAVID AND HIS OLD ENGLISH TRANSLATORS clear'd.

hoc est,

S. DAVIDES ET ANTIQVI EJUS INTERPRETES ANGLICANI illustrati,

Londini, apud R. Knaplock, 1706, 8. Const. 1. Alph. plag. 7.

Quoniam juxta Liturgiam Anglicanam Psalmorum recitatio maximam cultus divini partem absolvit, notis eosdem instruere Editori placuit, in quibus voces ac phrasæ difficiliores explicantur. Subjecit etiam in fine responsiones ad objectiones, quas contra antiquam versionem nonnulli movent. In Præfatione cantum Psalmorum publicum defendit, & si quidem fieri potest, Musica instrumentali utendum esse contendit, cum ipse Psalmus centesimus quinquagesimus palam eloquatur, cantui Psalmorum Musicam instrumentalem jungi debere, qua jam olim ante legem Judæorum ceremoniam in casu simili usa fuerit *Mirjam* Exod. XV, 20, & in Novo Testamento utendum esse moneat *Jacobus* V, 13, si textum authenticum consulas. Adstruere porro conatur, Psalmos eum in finem compositos, ut in cultu Dei publico decantentur. Utuntur autem Angli versione Psalmorum Anglicana in prosa, quæ anno 1535 cum reliquis Scripturæ Sacræ libris prodiit, *Tindallo* & *Coeverdalis* interpretibus. In notis Editor *Hammondum* potissimum & *Patricium* Episcopum sequitur. Reperiuntur in versione ista voces quædam obsoletæ, in peculiari, quod subjungitur, vocabulario explanatæ.



ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Junii, Anno M DCC VIII.

*JAMBLICHI DE VITA PYTHAGORÆ LIBER,
Græce & Latine, cum nova Versione, Emendationibus &
Notis LUDOLPHI KUSTERI; accedit Porphyrius de
vita Pythagoræ cum Notis L. HOLSTENII & C. RIT-
TERSHUSII, itemque Anonymus apud Photium
de Vita Pythagoræ.*

Amstelædami, apud Seb. & Christ. Petzold, 1707, 4.
Alphab. 2 plag. 6.

MEndosissimæ editionis Vitæ Pythagoræ, a Jo. Arcerio adornatæ, cum nobis inviderint fata reformationem, quam Ulrici Obrechtii & Thomæ Gale parabant Musæ, jam ecce Cl. Kusterus in ejus laboris partes succedit, a quo præclara omnia non expectare non possunt, quibus, quem Suidæ induerit ornatum, usu paulo magis familiari innotuit. Excitavit eum ad præstandam illam utilissimo Scriptori operam, codicis Parisiensis usus, cujus ope præcipuas Jamblichæ maculas deterfit; exemplar item Rigaltianum, in quo præter ejusdem codicis lectiones, Jos. Scaligeri, ut suspicio est Cl. Editori, legebantur emendationes, quibus accessere duorum codicum Bodlejanorum lectiones ex Anglia transmissæ. Horum subsidi-
diorum ope ita jam prodit Jamblichus, ut deterfis maculis insignioribus, sibi jam demum similis videri queat. Versio textui emendatiori accessit ante aliquot annos ab Ulr. Obrechtio edita, confecta a Viro illustri ex codice laudato Parisiensi, suppetias passim ei ingenii ferente acumine. De qua tamen si qua monenda essent, a Cl. Kustero in notis sunt observata, quibus

perpetuis Autorem istum illustravit, illisque emendando inprimis textui operam dedit. Ipsum Jamblichum opus hoc imperfectum reliquisse, collectaneis ad illud in schedis digestis, colligit ex variis ejusdem rei repetitionibus, passim obviis, & diligenter annotatis. Porphyrii vita Pythagoræ solis Holstenianis Rittershusianisque notis illustrata in hac editione comparet, omissa Holstenii de Vita & Scriptis Pythagoræ dissertatione. Ceterum cum Cl. Kustero propositum fuerit, in sola Jamblichi Vita Pythagoræ perpurganda occupari, adhuc apud quosdam gratiam retinebit Arceriana, utut mendosa, editio, quod in ea & Jamblichi Protrepticæ Orationes ad Philosophiam, & Theanus, uxoris Brontini Metapontini, Myæ, uxoris Milonis Crotoniatæ, Melissæ item & Pythagoræ Epistolæ quædam Græce & Latine habentur, quæ in nova editione non comparent. Nec ignorare hac occasione volumus Lectores, Celeberrimum Kusterum nunc in Aristophane eleganter in Belgio edendo occupari, Thoma Fritschio nostro sumtus suppeditante. Quo labore cum prope defunctus sit, Jo. Millii Nov. Test. novis collationibus, quas e Gallia expectat, auctum, Addendis quoque suo loco insertis, sumtibus Bibliopolæ pariter nostratis, Jo. Frid. Gleditschii, mox quam emendatissime in Belgio recudet.

LA VIE DE PYTHAGORE, SES SYMBOLES, ses Vers dorez, &c.

i. e.

PYTHAGORÆ VITA, SYMBOLA, CARMINA Aurea. It. Hieroclis Vita & Commentarii in Carmina Pythagoræ, quos ex codd. MSS. restituit, in Gallicum sermonem transtulit, Notisque illustravit A. DACERIUS.

Tomi II.

Parisiis, apud Rigaud, 1706, 12. Alph. 1 $\frac{1}{2}$.

Elegantissimum hoc interioris reconditæque doctrinæ monumentum ut Celeberrimus *Daceries*, in reliquis *Platonis* & *Plutarchi* Operibus in linguam patriam transferendis adhuc occupatus, interrupto isthoc labore, erudito Orbi exhiberet, Regia auctori-

toritate adductus est. Ludovicus quippe XIV, cujus sub Herois imperio Musæ in Gallia summo fruuntur præsidio ac felicitate, novis illustri Numismatum atque Inscriptionum Academia legibus latis, ex quibus non solum res nummaria & antiquitates, uti antea, verum etiam omnis elegantioris litteraturæ studia laudatissimæ Societati jamjam excolenda sunt, insuper etiam jussit, ut præter labores Academicis communes unusquisque eorum pro asserenda litterarum dignitate peculiare quoddam opus in publicum emitteret. Hinc adeo ad Regis præscriptum cum Socii omnes, pro genio quisque suo ac studiorum ratione, ad scriptum aliquod edendum animum adverterunt, tum vero imprimis Nobilissimus *Dacrius*, in obsequio Regi præstando nulli inferior, quæ studiis suis maxime convenirent, duo edenda suscepit elegantioris Græcorum Philosophiæ, *Pythagoricæ* scilicet atque *Epicteticæ*, specimina, eorundemque prius, *Vitam Pythagoræ* ac *Symbola*, tum & *Commentarios Hieroclis*, quibus Sapiencia Pythagorica solide explicatur, continens, primus inter Socios Regis desiderio satisfaciens, jam publicavit. Qua vero ratione in hoc opere consignando versatus fuerit, ex Præfatione breviter declarabimus. *Vitam* igitur *Pythagoræ* nova plane methodo conscripsit, qua non solum fata moresque Philosophi accurate exponuntur, verum etiam, quantos in inquirenda veritate progressus idem fecerit, inprimis ostenditur. Neque enim *Diogenis Laertii*, *Jamblichi* atque *Porphyrii* labores Nostro probantur, quippe qui in Vita Pythagoræ componenda omnem ordinem atque delectum negligentes, non nisi commentarios indigestos, plurimarumque rerum frivoliarum, puerilium, tantoque Philosopho indignarum, imo veræ ejusdem sententiæ sæpe contrariarum plenos nobis reliquerunt. Qui autem hos autores secuti sunt, non solum eadem nota afficiendi, verum etiam, quod varii adhuc generis miraculis atque præstigiis, circulatori magis quam Philosopho convenientibus, vitam & doctrinam tanti viri contaminarint, majori reprehensione digni esse videntur. In explicandis *Pythagoræ Symbolis*, quæ Vitæ ipsius statim subjiciuntur, & plenius multo, quam unquam antea factum fuit, hic exhibentur, doctissimi Gyraldi potissimum

interpretandi rationem sequitur, ita tamen, ut, ubi a mente Pythagoræ alieniores ejusdem sint enarrationes, ab eadem quoque discedat. *Dissertationem de Hierocle, Commentariorum in Carmina Pythagoræ Auctore, ipsis ὑπομνήμασι præfixam, eo consilio conscripsit, ut communem de eodem eruditorum errorem, quo libri hujus dignitas valde imminuitur, refelleret, huncque adeo Hieroclem diversum plane esse ab illo, qui sanctissimam religionem nostram scripto acerbissimo impugnavit, ipsosque Christianos odio Vatiniano persecutus est, argumentis gravissimis comprobaret.* Jam vero, quod ad ipsos *Hieroclis Commentarios* attinet, qui ex codicibus MSS. emendati & in sermonem Gallicum conversi Tomo II exhibentur; quibus subsidiis Vir Cl. adjutus, elegantissimum hoc opus, quodque præstantia sua reliqua ejusdem argumenti scripta omnia facile superat, integritati suæ hac nova versione restituerit, ut distincte explicemus, operæ pretium nos facturos speramus. Latinam Hieroclis versionem una cum ipso textu Græco, sub finem Seculi XVI, anno scilicet 1583 edidit *Joh. Curterius*, quæ tamen ipsa versio, manca atque mutila, Curterium & codices habuisse valde depravatos, & præterea quoque accurata Græcæ linguæ veterisque Philosophiæ cognitione destitutum fuisse ostendit. Equidem *Mericus Casaubonus* in notis ad hanc Curterii versionem, Londini A. 1655 recusam, loca Græci textus bene multa emendavit, sed ejus labores non sufficiunt, ut textus in integrum restitui possit. Ante Curterium *Joh. Aurispa*, Siculus, vir doctissimus, & in Græcis litteris egregie versatus, hoc Hieroclis opusculum, Venetiis a se emtum, cum ex ejus lectione multum profecisset, idemque a Religione Christiana parum aut nihil differre deprehendisset, ætatis suæ anno octogesimo Latine reddidit, & Nicolao V Pontifici dicavit; cujus versionis editiones duæ, quarum prior Patavii A. 1474, posterior Romæ A. 1475 prodiit, in Bibliotheca Regia Parisiensi asservantur. De qua quidem Aurispæ versione Noster pronuntiat, neque scientiam, neque ingenium, nec ipsam eloquendi facultatem, verum codices emendatos Auctori defuisse; interim tamen, cum loca quædam feliciter & melius, quam a Curterio factum, ab eodem fuerint expressa, in textu Hieroclis

Græ.

Græco olim edendo, insigni adjumento illam futuram. Quæ vero *Aurissa* & *Curterio* defuere subsidia, Cl. *Dacero* ad versionem Hieroclis Gallicam perfectam atque integram conficiendam peroptato obtigerunt. Nam & ab Abbate *Renaudoto* exemplum editionis *Curterianæ* obtinuit, cujus margini adscriptæ fuerunt variæ lectiones, ex optimæ notæ codicibus MSS. excerptæ, & ejusdem Abbatis opera, ab *Antonio Maria Salvino*, Gr. L. Professore Florentino transmissas accepit, ab eodem descriptas, varias lectiones præstantissimi Hieroclis codicis MS. qui in illustrissima S. Laurentii Bibliotheca Florentiæ asservatur. Hujus igitur codicis, non solum lectiones editionis *Curterianæ* margini adscriptas plerasq; confirmantis, verum etiam alias emendationes maxime necessarias suppeditantis ope, ut textus Hieroclis integer & uti ab Autore ipso consignatus fuit, hac versione compareat, effecit. Præter textus integritatem, in ipsa versione perspicuitatem imprimis quoque sectatus est, ut nimirum Lectoris menti veræ ac dilucidæ eorum, quæ ab Hierocle dicuntur, ideæ inferantur, & hunc in finem vocibus ac loquendi rationibus claris apertisque & argumento maxime accommodatis usus est. Ad versionem *Notas* addidit, quibus cum emendationes præcipuæ, ex codicibus MSS. supra laudatis petitæ, recensentur, tum meditationes Hieroclis sublimiores ex Veterum Philosophorum scriptis illustrantur, & integrum *σύνημα* Pythagoricum explanatur, id quod neque *Theodorus Marcilius* in suis ad Carmina Pythagoræ annotationibus, neque *Mericus Casaubonus* in brevioribus ad Hieroclem observationibus, textui emendando unice inservientibus, nec quisquam alius præstitisse deprehenditur. Ceterum Hieroclem plurima dogmata, quæ ex libris & traditionibus Judaicis Pythagoras hauserat, nulli interpretum ante intellecta, Christianæ religionis subsidio egregie exposuisse, exemplis aliquot in fine Præfationis Cl. *Dacero* demonstrat. De Autore quoque *Versionis* Carminum Pythagoræ Aureorum *Arabica*, & *Salmasii* in hac emendanda labore judicium suum exponit, & postquam utrumque eorum *σύνημα* Pythagoricum minus bene intellexisse ostendisset, tandem *Grotium* laudat, qui pro divino, quo præditus fuit, ingenio

in intimos Pythagoricæ doctrinæ recessus penetravit, quique & Hieroclem fere integrum memoriter recitare potuit, & omnium felicissime hoc autore usus est; quemadmodum cum reliqua ejusdem scripta, tum in primis Commentarii, quos in V. & N. T. composuit, & in quibus multa passim Sacri Codicis loca ex Hierocle eleganter illustravit, abunde testantur.

His ex Præloquio de totius libri ratione notatis, paucissimis jam verbis ipsius Vitæ Pythagoræ, summo cum judicio ac pereleganter scriptæ, summam dicemus. Quod igitur ad ortum Pythagoræ atque educationem attinet, natus est Sidone, patre Mne-marcho, matre Pythaide, circa Olymp. XLVII, cumque in puero statim corporis animique dotes exsplendescerent, in Insula Samo solícite educatus, Hermodamantisque disciplinæ traditus est, cui constanter adhæsit, insuperque, ut ea, quæ ad Deum ejusdemque cultum pertinerent, disceret, cum sacerdotibus quotidie versatus est. Ephebus factus multas sapientiæ causa peregrinationes suscepit. Nam anno ætatis XVIII fama Pherecydis allectus in Insulam Syros commigravit, & paulo post Miletum ad Thaletem atque Anaximandrum audiendum profectus est. Deinde Phœnices adiit, & in urbe patria Sidone cum Vatribus ex familia Moschi cujusdam, qui forte ipse fuit Moses, oriundis aliquamdiu vixit. Hinc in Ægyptum se contulit, & circumcissione admissa, aliisque difficultatibus fortiter superatis, mysteriis Ægyptiorum initiatus est, ac omnem illorum sapientiam hausit. Ex Ægypto in Babyloniam deductus, Magi cujusdam Nazatati seu Zabrari, quem nonnulli Ezechielem fuisse contendunt, familiari consuetudine usus est. Domum rediens in Cretam, Epimenide suo tum temporis illustrem, & hinc Spartam, ad Leges Minois & Lycurgi investigandas divertit. Ast domum ubi reversus est, nimia Polycratis tyrannide offensus, cum libertatis esset amantissimus, mox iterum discessit, Græciaque perlustrata tandem in Italiam venit, & Crotone sedem suam atque domicilium constituit. Hic jam multa gessit notatu digna, ac primo quidem omne studium in id convertit, ut corruptissimos civitatis mores emendaret, Crotoniatasque delicate ac molliter viventes, luxuriaque diffluentes ad pristinam vitam labo-

labo-

laboriosam duritiemque reduceret. Tum vero magistratus rogatu in templo Apollinis juventuti, foeminis autem in aede Junonis optimas vivendi regulas & officia Deo, parentibus, maritis, aliisque praestanda explicavit. Inde, civium moribus ad honestatem quodammodo compositis, familiam condidit, ut Philosophiam, cujus studiosissimus erat cultor, illi traderet. Hac igitur occasione Auctor familiae hujus seu sectae Pythagoricae instituta recenset accuratissimeque exponit, v. gr. morem Pythagorae usitatum, illorum, qui in familiam recipi volebant, ingenium & propensiones prius explorandi; ἐχεμυθίαν vel silentium quinquennale modo admissis praestandum; certas ac definitas discipulorum classes, & quinam illorum dicti fuerint ἀκαστικοί, qui vero μαθηματικοί; communitatem, quae inter ipsos obtinuit, bonorum; ac omnem tandem eorundem vivendi modum. Hinc ad Pythagorae docendi rationem progreditur, quae cum triplex fuerit, διεξοδική, ἱερογλυφικὴ & συμβολικὴ, ea imprimis, quae ad doctrinae Pythagoricae, numeris ac symbolis involutae, naturam atque originem pertinent, fuse lateque persequitur. Jamque ipsas scientias, a Pythagora propositas, pertractat, adeoque primo loco Theologiae Pythagoricae σύστημα exhibet, unde apparet, Pythagoram unum aliquod Ens omnium supremum constituisse, eidemque subordinasse ad ipsius imaginem conditos *Deos Immortales*, Diis vero hisce *Demonas* atque *Heroas*, hisque *animas humanas* subjecisse. Hanc doctrinam suam qua ratione Pythagoras explicaverit, cultumque Dei inde deduxerit, & quousque in hujus rei veritate indaganda progressus fuerit, Autor ostendit, hisque addit, quae ejusdem de animae humanae natura ejusdemque post mortem in aliena corpora demigratione vera fuerit sententia. Hoc enim de μετεμψύχῳσι dogma, ab Aegyptiis excogitatum, uti communi errore ad litteram vulgo explicatur, ita contra Pythagoras pariter atque Aegyptii eodem αἰνιγματικῶς docuerunt, quod vitia homines natura sua quasi exuant, ita ut non amplius homines, sed bruta illa, quorum vitia haec propria sunt, esse videantur. Pari modo circa reliquas artes ac scientias a Pythagora tra-

ditas,

ditas, Ethicam nimirum, Physicam, Mathesin, Musicam, & Logicam versatur, earundemque *συσήματα* ex monumentis Pythagoricis proponit pariter atque illustrat. Ex schola Pythagoræ prodire magno numero clarissimi Viri, qui doctrinam famamque doctoris sui longe lateque disseminarunt, quos inter fuere Archytas, Lysis, Empedocles, Timæus, Epicharmus, tresque illi prudentissimi legislatores, Zamolxis, Charondas & Zaleucus. In schola autem patri successit filius natu minor Telauges, quem ex Theanone Brontini, viri inter Crotoniatis primarii, filia genuerat. Ex hac ipsa Arimæstum etiam & filiam Damonem Pythagoras suscepit, quæ Damo insignes in Homerum commentarios scripsit, & de qua relatum legitur, quod a patre sibi commissos libros ab ipso scriptos, nemini extra familiam communicandos, nullo pretio vulgare voluerit. Quemadmodum autem Pythagoram doctrinæ suæ capita quædam litteris consignasse certis scriptorum testimoniis comprobatur; ita tamen pleraque scripta sub nomine Pythagoræ olim jactata, non ipsius Pythagoræ sed ejus discipulorum fuisse recte censentur, quippe quorum primi more Ægyptiorum omnem, quam habebant, scientiam ad magistrum suum referentes, ipsis quoque scriptis suis nomen ejus præfigere solebant. Extremo Pythagoras tempore ad statum miserum atque calamitosum a fortuna redactus est. Nam cum Cylonem in familiam suam recipere nolisset, quod parum idoneum doctrinæ suæ auditorem illum fore certis signis colligeret; hic ut se vindicaret, seditione excitata, Pythagoram in capitis periculum adduxit, oppidoque excedere coegit. Qui diu errabundus tandem Metapontem venit, ac ibi, cum signo quasi Crotone ad extinguendam Pythagoræ sectam sublato scholæ ejus per omnes Magnæ Græciæ urbes destruerentur, annos circiter XC natus in tumultu interfectus est, seu ut alii tradunt, in æde Musarum, in quam confugerat, fame periit. Hunc vitæ exitum habuit summus ille Philosophus, quem quidem injuste occisum poenitentia ducti interfectores tam vehementer luxerunt, ut cum suo sanguine, si possent, ab Acheronte cuperent redimere. Omnis autem Italia, Græcia ac universa fere Asia doctrinam Pythagoricam recepit, sectaque Italica per multa temporum

inter-

intervalla floruit, & ad finem usque imperii Alexandri M. perduravit.

DAVIDIS PEIFERI, CONSILIARII SAXONICI, EPI-
stolæ, publico nomine scriptæ, & nunc primum editæ,
cura M. FR. GOTTHELF
GOTTERI.

Jenæ, sumtibus Ernesti Claudii Bailiar, 1708, 8.

Plag. 20.

BEne de Orbe litterario meritus est Vir doctissimus *M. Frid. Gotthelf Gotterus*, Altenburgensis, qui luculentissimas *Davidis Peiferi* Epistolas magno studio collectas brevibusque summariis ornatas in lucem nuper emisit. Etenim insignem omnino utilitatem sibi hinc polliceri possunt, quibuscunque constat, qualis vir fuerit Peiferus, quam singulari ille eruditionis & prudentiæ laude ubivis floruerit, & quam arduis negotiis expediendis, quantique momenti consiliis legationibusque obeundis fuerit adhibitus. Is enim non solum a teneris annis maximas præclari ingenii sui significationes dederat, & indefesso studio, peragratis etiam exteris regionibus, haud vulgarem rerum scientiam sibi comparaverat, Bononiæ quoque summam in utriusque Juris disciplina dignitatem consecutus; verum etiam deinceps tum aliis Principibus summis, tum inprimis Augusto, Serenissimo Saxoniae Electori, a quo primum in Senatuum Aulicum, deinde in Consilium Intimum cooptatus erat, summam fidem suam, dexteritatem & exquisitissimam judicandi facultatem mirifice approbavit. Cui rei indicio sunt, præter quatuor Libros *Originum Lipsiensium*, quos Venerandus Rechenbergius noster anno 1689 edidit, hæ Epistolæ, publico nomine, ac inprimis maximam partem Augusti jussu, ad Reges Principesque, item & alios, conscriptæ; quas qui legat, haud ægre intelligat, quis eo tempore, in Saxonia præsertim, Reipublicæ Ecclesiæque fuerit status. Eas igitur Epistolas jure meritoque non solum a nitido & civilibus negotiis accommodato scribendi genere, sed præcipue etiam a prudentiæ & gravitatis laude in Præfatio-

ne præmissa commendat Vir de bonis literis rebusque divini-
 ribus optime meritus, *Jo. Franciscus Buddeus*, Theologus Jenen-
 sis. Verum ut benevolus Lector de utilitate Peiferianarum
 litterarum facilius existimare possit, quarundam argumenta pau-
 cis nunc exponemus. Epistola IX nomine Friderici Guilielmi,
 Ducis Saxoniae, scripta est; qua ab Henrico IV, Rege Gallia-
 rum, petitur, ut reddat LIII millia florenorum Rhenanorum,
 quæ Jo. Guilielmus, Dux Saxoniae, in usum Regni Galliae impen-
 derat, neque minus LX millia flor. Rhen. quæ Christianus,
 Princeps Elector Saxon. mutua Regi dederat. Num. XV habe-
 tur Responsum Legato Reginae Angliae, Roberto Delo, datum,
 quo res & controversiae religionis tractantur, simulque summa
 Augusti pietas luculenter declaratur. Speciatim vero ostendi-
 tur, neutiquam in Germania id agi, (quod Regina verita erat,)
 ut novæ quædam & a Confessionis Augustanae sensu alienæ
 doctrinae fingantur; neque cuiquam Germanorum Principum
 inde periculum creari, modo sinceram A. C. sententiam ample-
 ctatur: sed pio & salutari Christianæ concordiae studio consi-
 lia & sententias optimorum Theologorum exquiri, ut Augusta-
 nae Confessionis symbolum suo vero & genuino sensui restitua-
 tur, & ut ad pauca tantum religionis capita, quæ in contro-
 versiam vocata fuerant, vera explanatio perscribatur. Dein-
 de in eodem Responso excusatio affertur, quamobrem Eccle-
 siae extra Germaniam quietæ his rebus non involvantur. Et
 tandem singularis Elisabethæ propensio erga Ordines A. C. ad-
 dictos, & declaratio regii animi ad ferenda subsidia promptissimi
 prædicatur. In Ep. XXII Augustus Stephano, Regi Polonorum,
 significat, se legatos mittere in Poloniam, qui Georgii Fride-
 rici, March. Brandenb. legatis in negotio Borusfiaco præsto sint,
 & cum aliorum Principum cognatorum Consiliariis promove-
 re nitantur omnia, quæ ad firmissimam conjunctionem inter
 Regnum Poloniae & Marchiones Brandenb. custodiendam fa-
 cere videantur. Quam ipsam causam Borusfiacam in sequen-
 tibus etiam Epistolis Augustus quibusdam Regni Poloniae Proce-
 ribus commendat. Num. XXXI legitur Responsum, quod Au-
 gustus, Pr. Elector Saxoniae, Joanni Buzinski de Bucinin, Lega-
 to Re-

to Regio, ad Stephanum Regem Poloniae perferendum dedit: in quo Regi victoriam a barbaris relatam gratulatur, & pecuniam, quam ad bellum continuandum mutua sibi dari exoptierat Stephanus, certis conditionibus se procuraturum promittit. Ubi & alia deinceps, quae huc spectant, inveniuntur; tum, quemadmodum Augustus testatus sit, se Regi Poloniarum L millia florenorum mutua dedisse, & pignus vicissim accepisse; tum etiam, qua ratione Polonorum Rex fidem suam Augusto obstrinxerit. Num. XXXIX affertur Responsum Augusti ad eundem Regem Poloniae datum, in quo Elector inprimis gratias agit pro eo honore, qui tribueretur sibi, dum Rex consilium suum in rebus cum Mosco tractandis exquirere voluerit. Epistola LI nomine Friderici Guilielmi, Ducis Saxoniae, scripta est, in qua Sigismundo III, Regi Poloniarum, significatur, Rectori & universo Senatui Academiae Salanae injunctum esse, ut in Chronica Laurentii Molleri & Salomonis Henningi inquirerent, & juventutem studiosam ab istorum librorum lectione dehortarentur; idque mandatum publica auctoritate promulgatum minus commode nunc posse revocari. Num. LXVII Responsum illud exhibetur, quod Augustus ad mandata, quae per Em. Philiberti, Ducis Sabaudiae, Legatum, Franciscum Vaudanum, exposita fuerant, dedit. Quod responsum maxime controversiam inter Ducem Sabaudiae & Mediceorum Ducum familiam ob novos titulos ortam concernit; in eodemque Augustus Sabaudum recte facere censet, quod locum illum, qui post Ducem Venetum Ducum Sabaudiae genti antiquo jure proximus debeat, non plane negligat. Cum enim Romanus Pontifex, qui Mediceorum Ducum familiam majoribus titulis primus auxerit, ipse literis suis ad Sabaudiae Ducem scriptis professus fuerit, se non voluisse, Sabaudiae Duci ejusque successoribus hac novae dignitatis concessione, qua Mediceam Domum ornaverit, quicquam praedjudicari; & hoc etiam amplius ipsemet Dux Hetruriae in Epistola, qua Sabaudiae Ducis gratulationi respondit, manifeste contestatus sit, mutuam utriusque Principis amicitiam non pati, se antecedere Sereniss. Sabaudiae Ducem: hinc Augustus statuendum indicat, etiam

Imperatori Rom. Maximiliano II nihil minus in mentem venisse, quam ut in Sereniss. Sabaudia domus injuriam aliquid decernere voluerit; ideoque suadet, ut hæc, prout gesta & acta sint, ad Cæsarem referantur, qui, si quid forte obscurius in decreto hac de re in Comitibus Ratisbonensibus facto perscriptum videatur, id totum æque justeque sit moderaturus. In Ep. LXXXVIII Augustus apud Sebastianum, Lusitania Regem, pro Hieronymo Cramero, iter in Indiam parante, sed per Religiosorum scrupulosam severitatem & inquisitionem valde impedito, multis gravibusque argumentis usus intercedit, petens a Rege, ut hunc clientem clementi patrocinio tueatur, & ab ejusmodi hominum vexatione & molestiis vindicet. Epistola XCII sitis testatur, quanti eo tempore in Aula Saxonica existimatus fuerit Jo. Sturmus, Academiae Argentinensis tunc Rector, & bonarum literarum Doctor longe celeberrimus. Et enim Augustus non tenui laude hunc virum extollit, eundemque hortatur, ut ea, quæ significaverit instituta habere, perficiat; cum non dubium sit, quin ipse, qui non modo præsentium exemplorum, sed omnis vetustatis actiones civiles & militares, consilia & eventus, memoria & scientia comprehendere, aliquid elaboraturus sit, quod & patriæ satisfaciat, & nomine Sturmiano dignum sit. Inprimis autem non levia sibi Augustus promittit de disputatione, quam de bello contra Turcas suscipiendo se scripturum Sturmus innuerat. In Ep. XCIX Augustus a Principe Vidano Chartensi, Chavenovi & Fertæ Domino, petit, ut aliquid ex iis artibus, quæ naturæ arcana concernant, quarumque scientia Principem abundare intellexerit, sibi communicet, ideoque Simoni Simonio, Lucensi, in Academia Lipsiensi Medico & Professore Publico, eam ob causam ablegato, faciles aditus præbeat. In Ep. CIII Augustus Francisco Forrensi, Italo, qui studium suum scientiamque metallorum transfundendorum ipsi obtulerat, gratias agit, eidemque significat, se in eo genere eo usque jam pervenisse, ut ex octo argenti unciis auri perfectissimi uncias tres singulis sex diebus comparare queat. In Ep. CVIII Augustus Carolo Arragonio, Principi Castelvetro, & reliqua, qui ab Hispaniarum Rege ad se-

sedandas turbas in Belgio ortas ablegatus erat, felicem rerum successum apprecatur, & cum Carolus Serenissimi Electoris sententiam de hoc negotio exquisivisset, hic censet, Hispaniarum Regem recte & felicissime hunc motum compositurum esse, si & subjectis privilegia, quæ habeant, salva & integra præstet, & *inquisitionis* ante paucos annos in Belgium introductæ immanitatem compescat, & transactionem, publica fide & auctoritate Regia anno sexagesimo sexto Bruxellis initam, tueatur atque conservet. In fine harum Epistolarum adjecta est commendatio, qua Augustus, Princeps Elector, testatur, Joannem & Casparum, Gœbelios, fratres Germanos, quorum alter Borussiae Ducis ærario præfectus, alter civis Gedanus fuit, sibi formam obtulisse preli, quod magnis fratrum istorum sumptibus & sagaci artificis ingenio ita fabrefactum cognoverit, ut tam arte, quam structura differret ab omnibus aliis machinis in Germania ad illud usque tempus ad argentum signandum usurpatis. Hujus autem Gœbelianæ machinæ usum usque adeo expeditum esse ait, ut diurna monetariorum opera tantum numerum omnis sortis imaginibus bellissime expressis produci queat, quantum alias viginti hominum labor, si malleo res peragenda esset, non posset repræsentare.

LES DELICES DE LA GRAND' BRETAGNE,
& de l'Irlande, &c.

h. e.

DELITIÆ MAGNÆ BRITANNIÆ ET HIBERNIÆ
ETC. Figuris illustratæ a JACOBO
BEEVERELLIÛ.

Tomii VIII.

Lugduni Bat. apud Petr. van der Aa, 1707, in 12. Ch. aug.

Alph. 3 plag. 8 & figg. æn. pl. 40½.

Variorum hæctenus Regnorum atque Provinciarum, ut *Portugallie, Hispanie, Gallie, Italiæ & Belgii Delitiæ* prostant, quibus fere omnibus palmam præcipiant hæc *Magnæ Britannie*

Et Hibernia Delitia copiosissimis pariter atque elegantissimis figuris æneis, tabulisque Angliæ, Scotiæ ac Hiberniæ Geographicis ornatae & octo Tomis comprehensæ, quorum quinque prioribus Regnum Angliæ, posterioribus Regna Scotiæ & Hiberniæ sistuntur. In Angliæ descriptione quo accuratius procederet Autor doctissimus, a plaga orientali per meridiem versus septentrionem, ac inde ad oras occidentales vergens, pergit per septentrionem ad meridiem, hoc est, ad Principatum Walliæ. Hinc percurrit mediam Regni partem, describens ordine provincias ejusdem altitudinis, progressusque versus meridiem, ad occidentem & postea ad orientem, pedem figit in Comitatu Middlesexiæ, ubi agmen claudit totius Regni metropolis Londinum. Urbe hac celeberrima elegantissime, ut meretur, representata, producit Parliamenti Magnæ Britanniæ membra, personarumque illustrium & nobilium in villis vicinis palatia. Quem in Scotiæ porro atque Hiberniæ delineatione observavit ordinem, capitum argumenta lustrantibus facile innotescet. Agit vero non de iis tantum, quæ in singulis provinciis urbibusque notatu sunt dignissima, verum etiam de gentium religione, moribus, ludis aliisque voluptatum generibus & reliquis, quæ ad solidam jucundamque horum Regnorum notitiam spectant. Speciminis loco paucula tantum enotabimus. *Pag. 83* refert Autor noster ex antiquis feudorum regni Anglicani catalogis de oppido *Hemingston*, illud cuidam *Balduino* sub hac conditione homagii Regi præstandi concessum fuisse, *ut pro eo faceret die Natali Domini singulis annis coram Domino Rege Angliæ unum saltum, unum suffletum, & unum bombulum.* Quando *p. 183* de fluvio *Youre* & incidente in illum rivo *Baint* dicto loquitur, mentionem facit viculi cujusdam *Baint-bridge* appellati, in cujus loco olim fuit insigne quoddam fortalitium, Romano præsidio firmatum, quod probat ex effossa ibidem Inscriptione sequenti:

IMP. CÆS. L. SEPTIMO.

PIO. PERTINACI. AUGU. . .

IMP. CÆSARI. M. AURELIO. A.

PIO. FELICI. AUGUSTO. . . .

BRAC-

BRACCHIO. CAEMENTITIUM.
VI. NERVIORUM. SUB.
CURA. LA.

SENECION. AMPLISSIMI. . . .
OPERI. L. VISPIUS. PRÆ. . . .
—— LEGIO. ——

In urbe *Beverlea* (p. 208) Rex *Atbelstan* inter alia privilegia erexit asylum pro obæratīs & capitis reis, utque immunitas loco concessa eo magis innotesceret, ibidem sella quædam lapidea posita est, cum hac Inscriptione:

*Hæc Sedes Lapidea Freedstoll Dicitur, id est, Pacis
Cathedra, Ad Quam Reus Fugiendo Perveniens, Om-
nimodam Habet Securitatem.*

Quantum lingua Wallica ab Anglica differat, vel ex his (p. 472) patere potest vocabulis: *Aban* significat Bellum, *Adaf* Manus, *Avon* Fluvius, *Bara* Panis, *Bro* Provincia, *Bychan* Parvus, *Cadarn* Potens, *Cof* Memoria, *Da* Bonus, *Du* Niger, *Didro* Error, *Estyn* Donum, *Ffol* Stultus, *Gosper* Vesper, *Huan* Sol, *Ja* Glacies, *Lle* Locus, *Mam* Mater, *Nai* Novus, *Puch* Voluntas, *Rhaitb* Jura-
mentum, *Siad* Caput, *Tat* Pater, *Ufel* Ignis, *Whern* Rapidus, *Ych* Bos. In oppido *Woodstock* (p. 588) Henricus II R. Angl. labyrinthum construxisse fertur, in quo concubinam, pulchram illam *Rosamundam Gliffordiam*, absconderet; ast Regina Eleonora eam ad veneni præparati haustum compulit, humoque mandari jussit in monialium cænobio, *Godstow* seu *Dei loco* dicto, cum sequenti Epitaphio:

*Hac jacet in tumba Rosa mundi, non Rosa munda,
Non redolet, sed olet, quæ redolere solet.*

Cum *Southamptonie* (p. 704) adulator quidam Canutum Angliæ & Daniæ Regem potentissimum appellasset, Rex homini illi stultitiam suam exprobraturus jussit ad maris littus sellam poni, quo tempore mare exæstuabat, quam præsentibus aulicis ascendens his fere verbis mare compellavit: *cum sim potentissimus, prohibeo, ne ultra littus ascendas, pedesve aut vestes
meas*

meas irriges. Cum vero mare dicto haut esset audiens, de sella sua surgens hæc ad aulicos verba fecit: *Discant cuncti, nullam esse Regum potentiam, neminemque Regis mereri titulum, præter illum, qui est supremus cæli, terræ & maris Dominus.* Atque ex illo tempore noluit amplius coronam capiti suo imponere. Londini in templo Westmonasteriensi (p. 842 & seqq.) variorum Regum leguntur Epitaphia, ut *SIBERTI:*

*Labilitas, brevitatis, mundanae prosperitatis,
Cœlica præmia, gloria, gaudia danda beatis
SEBERTUM certum jure dedere fatis.*

*Hic Rex Christicola verax fuit hac regione,
Qui nunc cœlicola gaudet mercede coronæ:
Rex humilis, docilis &c.*

HENRICI III:

*Tertius HENRICUS jacet hic, pietatis amicus,
Ecclesiam stravit istam, quam post renovavit,
Reddet ei munus, qui regnat, Trinus & Unus.*

EDUARDI I:

EDWARDUS primus Scotorum malleus hic est.

HENRICI V:

Gallorum mastix jacet hic HENRICUS in urna.

RICHARDI II:

Corpore procerus, animo prudens, ut Homerus.

In Ultonia Hiberniæ provincia olim fuit mirus Regem constituendi modus, quem (p. 1517) vetus quidam Scriptor ita delineat: *Est in boreali Ultonia parte - - Gens quaedam, quæ barbaro nimis & abominabili ritu sibi Regem creare solet. Collecto in unum universo terræ illius populo, in medio producitur jumentum candidum, ad quod sublimandus ille, non in Principem, sed in Belluam, non in Regem, sed in Exlegem, coram omnibus bestialiter accedens, non minus impudenter quam imprudenter, se quoque bestiam profitetur.* Quæ sit linguæ Irlandicæ indoles, ex sequenti (p. 1540) Oratione Dominica apparet:

Ar nathair atà ar neamb.

1 Naombthar

1 Naombthar bainm. 2 Tigeadh do rioghadh. 3 Deuntar do thoil ar an Halamb, mar do nithear ar neamb. 4 Ar naran laeathambail tabhair dhuinn a niu. 5 Agus maith dhuinn ar bhfiacha, mar mhaithmidne dar bhfeitheambnuibh fein. 6 Agus na leig sinn a ccathughadh: achd saor in o ole.

Oir is leachd fein an rioghadh, agus an cumbachd, agus an ghloir go siorruighe. Amen.

LE THEATRE DE LA NOBLESSE
du Brabant, &c.

h. e.

THEATRUM NOBILITATIS IN DUCATU
Brabantino, &c.

Leodii, apud Joannem Franciscum Broncartium, 1705, 4.

Constat 3 Alph. 20½ plag.

Librum hunc oculis nostris haecenus subtractum aliquanto serius, quam nunquam, recensere malumus. Agit in eo Autor maxime industrius tribus partibus de variis Ducatus Brabantini terris, quæ inde a primis Brabantia Ducibus ad modernum, quem Noster Hispania Regem Philippum V vocat, splendidiori titulo condecoratae sunt. Quippe earum possessores ab his ipsis Ducibus Baronum, Comitum, Vice-Comitum, Marchionum, Principum imo atque Ducum axioma obtinere; quibus subjunguntur nonnulli ab iisdem Principibus Equestri & Nobili dignitate donati. Inter illos quidam ab Imperatoribus Romano-Germanicis Imperii honoribus digni iudicati sunt; ita a Ferdinando III *Philippus Franciscus de Fourneau & Cruyquenbourg*, & a Leopoldo *Theodoricus de Voorhout*, nec non *Philippus le Roy* Barones Imperii; a Friderico *Jacobus de Hornes*, a Ferdinando II *Joannes & Jacobus de T'serclaes*, fratres, *Toparchæ de Tilly*, a Ferdinando III *Conradus ab Ursel*, *Baro de Hoboke*, *Winandus de Glymes*, *Vice Comes de Jodoigne*, atque *Theodoricus*, *Gerardus & Leonardus van der Nath*, fratres, & a Leopoldo *Joannes*, *Baro a Groesbeecke*, *Comites Imperii*; aque Ferdinando III *Thomas Lopez de Ulloa*, *Baro de Limale*,

Kk

Mar-

Marchio Imperii, sunt declarati. Immixtæ conspiciuntur Virorum horum illustrium atque nobilium genealogiæ, nuptiarum solennitates, epitaphia & alia alibi non facile obvia. Ex Epitaphiis tria tantum speciminis loco allegare placet. *Francisci de Busleiden, Archiepiscopi Bisuntini*, hoc est:

Sum Bisuntinus Flamen Buslidius, alma

Pacis opus, Martis hostis, amorque Ducum.

Me Luxemburgum terris, Hispania Parcis

Addidit, aſt claris facta decora viris.

Cor Bisuntinis miſi, liqui oſſa Toleti:

Flevere exanimem Rex pius & patria.

Joannis Miræi ita habet:

Chronicon ex Psalmo.

Non Confundar In æternUm.

Honorarium

Æternitati Sacr.

Heus, Viator,

Tumulum Hunc Aspice, Tumulatum Suspice.

Joannes Miræus Bruxellæ Natus,

Belgico Orbi Notus,

Facet Hic.

Episcopum Antverpia Ann. VII Viventem vidit,

Raptum Fato Invidente Luget,

Et Tu Luge, Qui Legis.

Doctrinæ Ac Pietatis Cultor Extitit,

Hereseos Pravitatis Ultor Stetit.

His Vis Pretium Dare? Precem Dona,

Et Ad Aras Ora Mœstus,

Si Bonus Es.

Sin Malus Es, Audin? Cede Latus,

Facet Hic Tui Tuorumque Malleus.

Christophori Plantini hoc est:

Doctorum si jacturam, Plantine, virorum

Respicimus, fateor, vixeris ipse parum.

Si meritum, studiumve, exantlatosque labores

Pro Musis toties, vixeris ipse satis.

Sive tot ærumna, aut cœca ludibria Divæ

Occurrunt, nimium vixeris ipse dies.

At si spectamus Famæ monumenta perennis,

Hæc vitam spondent jam tibi perpetuam.

Janus Douſa F. amico pos.

THORMODI TORFÆI S. R. M. DAN. ET NOR-
veg. Historiogr. Trifolium Historicum, seu, Dissertatio
Historico - Chronologico - Critica de tribus potentissimis
Daniæ Regibus Gormo Grandævo, Haraldo Cæru-
dente & Sveno Furcata
Barbæ.

Hafniæ, apud Joh. Melchiorum Lieben, 1707, in 4.
 Plag. 22.

TOrfæus, diligentissimus rerum Danicarum indagator, edidit duobus abhinc annis Universi Septentrionis Antiquitates, seriem Dynastarum & Regum Daniæ a Skioldo ad Gormum Grandævum exhibentes. Cœptum laborem ut continuaret, Trifolium hocce Historicum publicæ luci exposuit. Refert hic primum, Gormum Holsatiæ Comitis Haraldi Klakii filiæ, vel neptis potius, nuptias petiisse, eidemque futuræ sortis præfagia ex oblatis per quietem imaginibus examinanda proposuisse. Qua occasione laudatur virginis istius in conjectandis præfagiis sagacitas, steriles quippe annos prævidentis & annonæ sævitiam consilio avertentis. Ex hoc conjugio suscepit Gormus filios duos, Knutum & Haraldum, quorum cum illum avus Haraldus, cujus pariter singularis fuit in explicandis prodigiis solertia, bonorum omnium Holsatiæque hæredem constituisset, ipse in Galliam profectus, Christianæ militiæ nomen dedit, perpetuoque peregre

abfuit. Gormum porro ab Imperatore Henrico Aucupe, cum exercitu Daniam ingreffo, in tantum terrorem fuiſſe coniectum, docet Noſter, ut pacem ſupplex peteret; cui tamen Jutiæ Rex Frodius poſtea fuit ſubjectus. Hinc varias de Gormi Knutique extremis traditiones affert, & fabulam Suenonis Aggonis de Thyra Danmarkebot exponit atque refellit. De jure quoque Haraldi in Angliam, ex teſtamento Eduardi Regis quaſito, nec non ejusdem excuſſione in Normanniam diſquiri- rit. Tum fidem Chriſtianam in Dania ab Imperatore Ottonne I ſub Haraldo Cærulidente promotam fuiſſe oſtendit, expenditque Islandorum de Haraldo hoc, deque Chriſtianæ religionis ſub Imperatore Ottone II inſtitutione traditiones, quas Saxonem quoque ſequi oſtendit, additis Islandorum de eodem Rege, nec non de religionis negotio ſub Imperatore Ottone III antiquitatibus. Inde expendens ea, quæ de celeberrimo Vandalia oppido, Islandis Jomsburgo, aliis Julino, appellato, traduntur, num idem id ſit cum Jumenta vel Wineta, cujusve auſpiciis & quo tempore ædificatum fuerit, diſquiri, additis, quæ de portu, ipſiusque oppidi variis viciffitudinibus atque excidio memorantur. Ut porro Gullharaldus ſive Haraldus aureus, Knuti Dana aſt, Haraldi Cærulidentis fratris, filius, ab Hacone, Hladarum Comite, aſtu fuerit circumventus, ac Regis patruſi permiſſu oppreſſus, Norvegia ab eo in poteſtatem redacta, quæque Styrbiorno Sueciæ Princeps, athleta Sueciæ alias dictus, patruſi, deſcribuntur, & Knytlingorum hiſtoria enarrata, contra Saxonem demonſtratur, Styrbiornum poſt annum CMLXXXIV caſum non fuiſſe, nec ante annum CMLXXX caedi potuiſſe. Neque minus illuſtrat Autor hiſtoriam de Audure, Comitſ Haconis Hladenſis filia, Eirico Victoſo collocata, cauſamque exponit concepti a Palnatokio odii in Regem Haraldum, cædem nempe patruſi Akii, annexis Palneris nuptiis, Palnatokii educatione & conjugio. Haraldum Regem ex inopi foemina Suenum progeneraſſe, filiumque eum agnoſcere noluiſſe affirmat, unde Palnatokius occaſionem arripuerit, ut ultioni diu ob patruſi cædem conceptæ viam paraverit. Hinc mira Sueni quindecim annos nati, & a nutritio ſuo Palnatokio inſtigati ferocia deſcri-

describitur, qui Regem coactum ibat, ut se filium agnosceret. Denique Haraldi cum Sueno bellum, Regisque cædem, dissidentibus sententiis conciliatis, describit Torfæus, annumque, quo Haraldus Cærulidens obierit, demonstrat, & Suenum, Haraldi filium, ab admorsa vel furcata barba cognomen consecutum esse docet.

*OTTHONIS SPERLINGII, U. J. D. CONSILIARII
Regii, Prof. P. & Collegæ Soc. Angl. Commentarius de Sum-
me Regio Nomine & Titulo, Septentrionalibus & Germa-
nis omnibus & aliis usitato, Ronning, & ejus apud
Danos origine, ejusque potestate &
Majestate.*

Hafniæ, ex Typograph. Reg. & Universit. 1707, in 4.

Constat 2 Alphab. & 5½ plag.

DE Clar. Autoris Dissertatione ad nummum Furiæ Sabinæ Tranquillinæ, Aug. Imp. Gordiani Uxoris, & Commentario- lo de Danicæ Linguae & Nominis antiqua gloria & prærogativa inter Septentrionales in Actis nostris A. 1687 p. 645 & A. 1694 p. 357 diximus. Quem nunc exhibemus, Commentarius agit de summe Regio titulo Ronning, Septentrionalibus, Germanisque omnibus & aliis gentibus usitato, deque ejus apud Danos origine, potestate atque majestate. Argumentum regium Regi dedicandum censuit, Friderico nempe IV, Danorum Monarchæ Augustissimo. Sub initium opusculi docet, Regis titulum apud Danos, Norvagos, Suecos, Islandos, Fennos, Esthonas, Livonos, Vandalos, Anglos & Germanos summis Imperantibus tributum fuisse & adhuc tribui, quod & de Scotis atque Hibernis §. 1 asserit. Russos quoque, quoad Græcæ religioni nomen nondum dedissent, nullo alio titulo Reges suos compellasse, quam Ronger, §. 5 evincit. Tartaricam vocem *Cham* significare Principem aut Regem, eamque didicisse Tartaros a Septentrionalium sæpius in Scythiam magnam profectorum nomine *Rong*, ad eorundemque exemplum Dominis suis titulum Chon imposuisse, Septentrionis autem Reges nomen Chani nunquam

assumisse, §. 14 declarat. Quam gloriosum fuerit Danicum nomen, *Ronger*, Regibus populorum ab ultimo Septentrione ad Danubium usque, Danicam vel Germanicam linguam professorum, §. 21 innuit, id quod & de Hunnis in terras Boreales se recipientibus asserit, ut videre est §. 22 & seqq. Quare autem Teutones patria egressi nomen Septentrionale Regum aspernati sint, nec *Ronger* vocari perrexerint, §. 29 & seqq. indicat, Reginamque apud Danos æque ac Regem *Rønning* appellari, §. 36 seqq testatur. Quod Canutus porro & alii quidam Reges Regio nomine, ut vili, abstinerint, titulum *Βασιλεύς* affectantes, §. 39, & cur exteri Reges a Danorum summis Imperantibus Reges creari & pronuntiari voluerint, §. 43 & seqq. docet. Reges Daniæ propter Holsatiam & Vandaliæ Imperii Feudatarios esse, §. 52 quodammodo concedit, Regnum vero Daniæ feudale beneficium Imperii Germanici quondam fuisse, penitus negat, & Attilam, Hunnorum Regem, se quoque Danorum Regem scripsisse, æque ut Gothorum, uti quidem vult Calvisius ad Ann. Christi 450, somnii & nugarum loco habet §. 53. Quando autem nomen *Rønning* cœperit, & unde per totum terrarum orbem velut exierit, inquit Sperlingius, primamque ejus memoriam a Danorum Regibus repetit §. 54 & seqq. Quod ubi agit, §. 63 culpatur Pufendorfium, qui, ne honorem istum Danis tribuere, & ab iis Suecos nomen *Rønninge* didicisse, fateri cogetur, vocem eam in Introductione sua ad Historias non e Danica, sed Scandica lingua petendam finxit. Eo autem consilio nomen *Rønning* & *Ronge* in Dania prodiisse, non ut superbirent illo Reges, sed quod optime illorum exprimeret dignitatem atque majestatem, nullumque alium titulum post Hebræorum *מלך* Regum Majestati magis respondere, quam *Rønning*, statuitur §. 82 & seqq. Postquam itaque Autor noster docuit, quando Regium nomen in Dania cœperit, §. 96 & seqq. id quoque inquit, quo tempore Monarchæ apud Septentrionales initium sumserint, ostenditque, quod in Dania Rex Gormus, in Suecia Rex Ericus & in Norvegia Rex Haraldus pulchricomus prima Regna instituerint, qua in re gloria rursus prima Daniæ Regibus debeat, ceteris exemplo præeuntibus. Quam-

vis autem hæc ita credat Sperlingius, inde tamen non vult inferri, quasi ante Gormum aut Ericum aut Haraldum in Dania, Suecia & Norvegia Monarchæ non fuerint: sæpius enim hæc Regna vices illas experta esse ait, ut nunc solus quidam Monarcha sederit, nunc cum aliis divisas provincias habuerit, quemadmodum & post Gormum, Ericum & Haraldum inter plures Reges Regna hæc divisa legantur, §. 123. Successionem Regum Daniæ jam olim fuisse hæreditariam, probat §. 127, quod & de Angliæ Regibus asserit §. 128, ac secus statuentes §. 129 & seq. refutat, §. 150 & seqq. asserens, nomina Regia non tantum in gentibus circumvicinis per Danos propagata esse, sed & a Septentrione olim exiisse. Quibus vero in rebus imprimis Daniæ Regum Majestas constiterit, §. 171 declarat, & §. 180 & seqq. apud Danos & Germanos nec infantem, nec foemellam a successione olim fuisse exclusam, quin & Septentrionales Reges successores sibi adoptare potuisse, quos voluerint, §. 129 tuetur. Denique Daniæ Reges solo Regio nomine delectatos fuisse, aliisque titulis nequaquam superbivisse, e §. 240 & seqq. patet. Tacemus curiosiora alia, quæ ex ipso Opere multo jucundius cognoscuntur.

*VELLEJI PATERCULI QUÆ SUPERSUNT,
i.e. Historiarum Libri II ad M. VINICIUM CONSUL-
LEM, cum annotationibus & indicibus CHRISTO-
PHORI CELLARII.*

Lipsiæ, apud Thomam Fritsch, 1707, 12.

Plag. 8.

Quæ nobis pulcherrimas præstantissimorum Græciæ Latii-
que Auctorum editiones peperit, Viri celeberrimi, Chri-
stophori Cellarii, solertia & infinita, dum viveret, in bonis lite-
ris juvandis industria, eidem quoque Velleji Paterculi novum
hunc, quo gaudet, habitum & ornatum acceptum referre de-
bemus. Quem quidem ut eidem afferret, non suo magis in-
stinctu, quam beatissimi Friderici Benedicti Carpzovii, Viri ad
bonas literas in majus provehendas nati, instituto commo-

tum se fuisse fatetur. Is enim singulari consilio hunc Auctorem sumtu suo exscribendum curaverat, notas ei quasdam & explicationes adjecturus, a Cellario autem verborum indicem, qualem is Nepoti, Cæsari, Curtio, aliisque optimis Auctoribus non sine insigni studiosæ juventutis emolumento addiderat, elaborari voluerat; sed præmaturo bonisque literis adverso facto ereptus Carpzovius vix semiperfectum opus reliquerat. Quod a Bibliopola solertissimo redemptum annotationibus quibusdam & indicibus in honorem & memoriam amicissimi Carpzovii ornandum duxit superiori anno Cellarius. Annotationes paucae quidem sunt & breves, sed quæ accurata concinnitate sua bene multa continent. Jam enim lectionem emendat: sic v. gr. statim initio Lib. I Cap. 1 num. 3, ubi de Hermione sermo est, pactæ sibi non ejus legendum observat, & pluribus aliis locis, ut Cap. 14 num. 8, ubi pro *Fregella Fregene* legendum dicit, ipsum sensum commoda lectione restituta clariorem facit. Nonnunquam etiam contra Heinsium & alios receptam lectionem, probatissimorum Scriptorum autoritate, v. gr. Cap. 10 num. 1, tuetur. Sæpius lectionem receptam optimorum collatione ac testimoniis Auctorum confirmat, cujus specimen e Libro I Cap. 13 num. 1 de Catone perpetuo diruendæ Carthaginis autore, Cap. 12 num. 1 de Corinthiis Achajam in arma instigantibus, & pluribus aliis locis sumere licet. Historiam antiquam & Geographiam frequentissime illustrat, quo pertinet quod Lib. 1 Cap. 1 num. 1, deficiente libri principio, per distractum tempestate a duce suo Nestore Metabum vel Epeum intelligendum tradit: quod Cap. 7 num. 1 Hesiodi & Homeri ætatem curiosius inquirit: Lib. 2 Cap. 71 num. 2 per Varronem ad Antonii ludibrium moriturum, non Marcum Terentium Varronem, plurimorum librorum Auctorem, sed alium quendam hujus nominis intelligendum tradit: quod Lib. 1 C. 4 num. 1 per Magnesium a Lacedæmoniis in Asia conditam, neque illam, quæ ad Mæandrum sita est, neque istam, quæ sub Sipylo, sed tertiam forte aliquam a Vellejo designari putat. Subinde etiam *Φράσεως* Vellejanæ tum sensum tum elegantiam notat. Ita Lib. 1 C. 2 num. 6 *Insulam condere* imitatione Græcæ *Φράσεως κτίζειν νῆσον*
idem

idem esse ac Insulam urbibus instruere, pluribus exemplis e Diodoro Siculo, Æliano, Eutropio docet: & elegantiam singularem *Φράσει* isti Lib. 2 C. 117 num. 1 tantum quod ultimam imposuerat bello *Cesar* manum inesse, particulasque illas tantum quod ad brevis, quod intercedat, spatii significationem pulcherrime jungi e Cicerone ac Nepote declarat. Tandem duobus concinnis Indicibus tum res, tum voces & phrasas præcipuas Velleji exhibet, & ad Chronologiam Autoris rectius percipiendam excerpta quædam ex Annalibus Vellejanis Henrici Dodwelli, una cum judicio Gerhardi Johannis Vossii de hoc ipso Autore, præmittit.

LETTERE FAMILIARI SCRITTE AD
un Amico &c.

i. e.

EPISTOLÆ FAMILIARES PRO COMITE CAROLO
CÆSARE MALVASIA, auctore Felsinæ (Bononia)
Pictoriæ, scriptæ ad Amicum a JOANNE PETRO
CAVAZZONI ZANOTTI,
Pictore.

Bononiæ, apud Constantinum Pisarrum, 1705, 8.

Plag. 7.

Cum abhinc quinquennio *Vincentius Victoria* in Observatio-
nibus nonnullis, de quibus in Actis anni M DCC VI p. 171
seq. diximus, Comitem Malvasiam injuriarum in Raphaelem
Urbinatem, Pictorem, postulasset, eum tuendum paulo post
septem Epistolis suscepit non indoctus Pictor, *Cavazzoni Za-*
notti, dignus corona, qualem in principio libelli depictam cer-
nimus, cum lemmate: CIVE SERVATO. In prima Epistola
Malvasiam excusat ob litteras Annibalis Caraccii (*Coraggio*)
ab illo productas, ostenditque eas Raphaeli neutiquam esse præ-
judicio, qui etsi a Caraccio colorum subtilitate superetur, re-
liquis omnibus haud dubie eo sit inferior. In secunda ostendit,
Malvasiam pictoriæ artis scientissimum non ipsum studium sta-
tuarum,

tuarum, sed quendam tantum defectum, (*maniera statuina* vocat,) quem earum imitatio producat, non plane a Raphaelē alienum, reprehendisse, cum id quicquid est duritiei, quod nunquam non in statua obvium est, non sit vitium artis, sed materiæ, quæ ad recipiendos quosdam inflexus atque umbras teneriores non æque idonea est ac caro transplendens quasi ac mollis. Quantum vero ad nomen *picillatoris Urbinatis*, quod Raphaeli imposuerat Malvasia, docet Noster, eum mox, plagula operis recusa, loco verborum *Boccalajo Urbinate* reposuisse *gran Raffaello*, & patere alioquin ex ipsa Felsina pictoria, ipsum in Raphaelē haud male animatum fuisse, quem nunc *primum*, nunc *divinum Pictorem* appellet. In Ep. tertia Annibalem Caraccium Ludovicum in arte pictoria magistrum habuisse, atque hunc Ludovicum revera restauratorem fuisse Scholæ Romanæ atque autorem elegantia illius, quam hodie *Caraccesca*, quasi Caracciis propriam vocant, contra Victoriam probat. In quarta inventionem negat a Malvasia insuper haberi, sed tantum designatione (*disegno*) inferiorem constitui. In quinta juste nonnullas Domenichini inventiones a Malvasia reprehendi ostendit, qui in reliquis optimum hunc pictorem laude sua nequaquam fraudaverit. Denique in sexta, Ludovicum Caraccium utique apud Malvasiam in pretio fuisse, contra Victoriam demonstrat, eosque Pictores, qui picturam ipso archetypo meliorem exhibeant, laude potius, quam censura dignos esse censet.

*TRACTATUS JURIDICUS DE PRÆSCRIPTIONE
immemoriali præsertim rerum Domaniarum & Regalium
Principum, itemque rerum Ecclesiasticarum, mensalium,
Prelatorum Germaniæ, adornatus autore D. AN-
DREA OCKEL Jcto, Scabinatus Regii Borussici in
Ducatu Magdeb. Sub-Sen. Civit. Hallensis Consule &
Collegii Mariani Directore.*

Halæ Magdeburgicæ, sumtibus Orphanotrophii, 1707, 4.

Alph. 2 plag. 19.

Tractatus hic vel sola argumenti dignitate se commendat: nam uti universa præscriptionis materia variis involuta est difficultatibus, ita ea inprimis, quæ Regalia, aliaque jura illustriora respicit, non levibus premitur, eoque consideratione diligentis præcipue digna est. Consultissimus Autor duodecim capitibus universum laborem absolvit. Explicatis in Capite primo generalibus de nomine, natura, origine, descriptione & causa impulsiva præscriptionis immemorialis personas deinde, quæ præscriptione temporis immemorialis, & agendo & excipiendo se tueri possint, in secundo recenset. Inde subit Caput tertium, in quo de bonis domanialibus Principum Germaniæ Secularium, an præscriptioni immemoriali subjaceant, disquiritur, cui disquisitioni geminam addit quartum de bonis mensalibus & ecclesiasticis Prælatorum Germaniæ, quatenus alienari & præscribi possint. In Capite quinto expendit Noster Majestatem, Superioritatem Territorialem, Regalia majora & minora, immemoriali tempore acquirenda, quam tractationem in Capite sexto excipit consideratio rerum privatarum, quæ temporis immemorialis præscriptionem requirant, quibus expeditis, ad jura in præscriptibilia, & inprimis res meræ facultatis, in Capite septimo Noster pergit, cumque alias ad præscriptionem varia requirantur, hinc in Capite octavo de bona fide, titulo, scientia & patientia adversarii, an & quatenus in præscriptione immemoriali necessaria sint, disquisitionem instituit, eique in Capite nono modos, quibus præscriptio illa interrumpatur, adjicit. Tum in Capite decimo ea, quæ præscriptioni illi contraria sunt, sequuntur, undecimum vero privilegia & effectus temporis immemorialis exhibet, ac duodecimum modum probandi præscriptionem immemorialem sistit. Cumque Consultissimus Autor in hoc tractatu ad documenta nonnulla provocaverit, hinc illa etiam in calce subnexit: inter ea vero præcipue eminent duorum Collegiorum Juridicorum Responso, præscriptionem bonorum domanialium Principum Imperii concernentia. De cetero uti doctissimus Autor multam lectionem, ac eximiam rerum Germanicarum notitiam passim ostendit, ita nonnulla ex hoc labore specialius

delibasse dividia non erit. In Capite secundo occasione quæstionis, num homines proprii libertatem præscribere queant, prolixa digressione Noster in naturam hominum priorum & rusticorum Germanorum inquit, ac, relatis variis eorum generibus, hinc inde admonet, quod interpretes ignorantia juris Germanici & abusu juris Romani in decidendis controversiis, inter Nobiles & rusticos hodie agitari solitis, sæpe fallantur, v. gr. quando Jcti Saxonici disquirunt, an in dubio bona rusticorum emphyteutica, an censitica habeantur? cum tamen bona illa originis nunquam fuerint emphyteutica *p. 34*; aut quando contendunt interpretes, servitutem non præsumi & quemlibet præsumi liberum, nisi contrarium doceatur, cum potius præsumtio sit, quod quilibet rusticus, qui censum sive in pecunia, sive alia re, v. gr. ovo aut gallina, ratione fundi vel personæ præstat, & de jure Saxonico cinguli non est capax, *der nicht zum Heerschilde gehöret*, ad servitia sit obligatus, adeoque indeterminata etiam præstare debeat, donec exemptionem vel in totum vel pro parte probet; hinc tabularum inventum Noster amplius dicit, quando contra Nobiles, in possessione servitorum constitutos, actio negatoria eo fine instituitur, quo onus probandi in illos rejiciatur *p. 40. 41*. Eadem digressione doctissimus Autor sex illa Scuta, quibus antiqui Saxones diversos nobilitatis gradus signarunt, fuse satis persequitur, ita ut primum Scutum Regi, secundum Electoribus tam Secularibus quam Ecclesiasticis, tertium Principibus, quartum Comitibus & Baronibus, quintum Nobilibus, quorum diversa fuit conditio, & denique sextum nobilitate recenter donatis, nec non hominum equestrium Subvasallis tribuat, cumque his septimum scutum accesserit, ex conjectura Nostri, homines civici ordinis, qui exigua feuda possident, ac de iis operas militares non præstant, eodem continentur. Inter alia observat Noster *p. 57*, nomen *semper frey* non esse ex *sendbar-frey*, quod recentioribus nonnullis fuit visum, sed inde potius deducendam, quod quidam Barones, qui in aliquo quinque Ducum Germaniæ Ducatu terras sitas habebant, a necessitate comparandi in aula illorum Ducum fuerint immunes, adeoque *semper frey* dici meruerint. In Capite quinto solertis-

mus Autor de Majestatis, Superioritatis territorialis ac Regalium præscriptione sollicitus, Majestatem vel absolutam vel limitatam immemoriali tempore præscribi, vel præscriptione augeri posse censet; ac exempli loco Regem Galliarum producit: cum enim ille repagula, quibus quondam Regia potestas inclusa fuerat, dudum fregerit, ac libero dominatui omnem libertatem Francicam subjecerit, non dubitandum esse putat, quin, si postera dies hæc non immutet, Reges Galliarum futuri immemoriali possessione dominatum suum defendere possint imposte-
rum. De Superioritate territoriali eadem Noster est sententia, ex qua præscriptio Regalium ultro etiam profluit. Sed illa ad Imperantes pertinent: gravior est quæstio, an subditus contra suum Principem possit Regalia majora acquirere, ut nihilominus in statu subjectionis maneat? quam, aliis licet negantibus, nihilominus etiam affirmandam esse Noster censet, eamque sententiam exemplis nonnullis, nempe jurisdictionis, juris collectandi, immunitatis a collectis & juris venandi amplius illustrat. Circa ultimum illud jus tamen observat, venationem minorem, leporum & vulpium &c. ad Regalia non pertinere, nec Reges & Principes sibi eam, hoc nomine, reservasse, sed potius, cum militiæ species sit venatio, in hostium fortitudine gloriam quæsisse, adeoque bestias, dente vel cornu armatas, tantum persecutos esse. Juxta hæc igitur de majore seu alta venatione quæstio remanet, quam immemoriali tempore, sed saltem extra loca bannita, posse præscribi Noster contendit.

DE CONSTRUCTIONE ÆQUATIONUM DIFFERENTIALIUM PRIMI GRADUS. Auctore GABRIELE MANSFREDIO, Phil. D. Bononiensi, Philosophicæ, quæ in patria est, Academia Socio Ordinario.

Bononiæ, typis Constantini Pisarii, 1707, in 4.

Constat 1 Alph. 3 plag. & 7 Tabb. æn.

Quanta Mathesis sublimior per *Analysin Leibnitianam* incrementa ceperit, sola Acta nostra abunde loquuntur. De-

lituit ea hæcenus inter paucos, & in *Italiam* præsertim paulo ferius penetravit. Optandum vero, ut utilissimum hoc calculi genus in quam plurimorum notitiam veniat, quoniam ita futurum, ut *Scientiæ Physico - Mathematicæ* incredibilia augmenta capiant & naturæ ac artis mysteria magis magisque retegantur. Quemadmodum igitur utilissimum erat Illustrissimi *Marchionis Hospitalii* institutum, cum primam Analyseos hujus partem, *calculus nempe differentialem directum*, seu artem differentiandi explicaret, ejusque usum exemplis egregiis illustraret; ita non exiguam utilitatem habet & *Manfredii* labor, qui præclare usus speciminibus in his Actis Commentariisque *Academiæ Scientiarum Regiæ Parisinæ* & alibi extantibus, *differentialem regressivum*, id est, *summatorium sive integralem* in opere docto atque ingenioso illustrandum suscepit, longius utique progressus, quam *Dn. Carré*: ita ut non pauca, quæ Viri insignes magis innuerant intelligentibus, quam exposuerant, in hoc libro explicata habeantur, etiam ad captum tironum hujus methodi. Enimvero Autor celeberrimus non nisi eas æquationes differentiales considerat, quas indeterminatarum x & y differentia primæ dx & dy ingrediuntur, & in facilioribus quænam ipsis Curvæ satisfaciunt, edocet. Itaque *Sect. I* viam monstrat, qua ex datis alicujus Curvæ proprietatibus ad æquationem differentialem perveniri possit: quæ est pars hujus Analyseos directæ. Positis nempe coordinatis x & y , erunt earum differentia dx & dy . Inde valorem Subtangents, Tangents, Subnormalis, Normalis aliarumque linearum, quæ per istas haberi possunt, eruit. Illum igitur cum differentiales dy & dx ingrediantur; æquatio differentialis prodit, si datæ proprietates Curvæ per istos valores explicentur. Ex. gr. si desideretur æquatio differentialis Curvæ, in qua summa ex subnormali & abscissa æquetur $\sqrt{xx + yy}$; cum subnormalis valor sit $y dy : dx$, erit æquatio differentialis $(y dy + x dx) : dx = \sqrt{xx + yy}$. Hæc non modo ad Curvas Algebraicas, sed & ad Transcendentes applicat: & methodus non tantum satisfacit, si relationes mutæ Subtangents, Tangents, Subnormalis, Normalis aliarumque linearum per istas datarum; sed & si re-

si relatio spatii Curva & coordinatis comprehensi, vel arcus Curvæ, vel solidi ex rotatione Curvæ circa axem vel ordinatam, vel aliam rectam datam, aut superficiei ex tali revolutione orituræ ad spatia quævis vel lineas per coordinatas & constantes quomodocunque expressas detur, aliisque in casibus, quos ex Autore excerpere prolixum nimis foret. Postquam igitur modum æquationes differentiales ex datis Curvarum proprietatibus eliciendi docuit, ad *Regressum* deinde procedit, ut ex æquatione differentiali colligatur (qua licet) æquatio a differentiis libera, vel saltem (quod succedaneum esse *Leibnitiana* methodus ostendit) reducta ad Quadraturas. Varii autem cum hic occurrant casus, de singulis seorsim agit. *Seçt. 2* adeo docet, quomodo construantur æquationes differentiales, si constet eas esse Algebraice summabiles, e. gr. si fuerit $y^{n-1} dy = dx$. Ubi aliqua reperies exempla reductionis æquationum difficilius summabilium ad tractabiliores. Equidem huc referri debebant, quæ summus noster *Leibnitius* in *Actis A. 1702 p. 210 & A. 1703 p. 19* de Quadraturis ac Summis tradidit; monet tamen *Manfredius*, excellentia ista Schediasmata *Leibnitiana* ipsi demum innotuisse, ubi opus suum jam ad umbilicum perduxerat, eaque ita esse comparata, ut peculiari volumine illustrari mereantur. Quoniam vero nulla adhuc inventa methodus, ex qua judicare detur, num differentialis proposita sit integrabilis, consultum putat, ut quis Canones differentiarum per artificia hactenus inventa integrabilium construat. *Seçt. 3* ad æquationes construendas progreditur, quæ sub formula generali $dz = q dv$ continentur, posito q dari per v & constantes, & constructionem fieri posse, spatii alicujus Quadratura supposita, observat. Inter exempla investigationem Curvæ, cujus subtangens sit constans, proponit indeque *Logarithmorum differentias* & vice versa regulas summandi differentias, quas Logarithmica quantitas ingreditur, deducit: ubi generatim evincit, posito $m + 1 = r$, esse $\int y^m l y^n dy = y^r, \frac{1}{r} l y^n$

$$\frac{y^n}{r^2} + \frac{y^{n-1}}{r^3} + \frac{y^{n-2}}{r^4} + \dots \text{ \&c.}$$

in in-

in infinitum: quæ series tamen finitur, si n sit numerus integer affirmativus. *Sect. 4* de constructione æquationum agit, quæ præter utriusque indeterminatæ differentias ad quamvis potestatem elevatas alterutram tantum determinatarum continent, e. gr. si fuerit $a dx^2 + a dy^2 = x dx^2$, quæ semper pendent a Quadraturis. *Sect. 5* de æquationibus tractat, quæ per formulam generalem $q dt = p du$ exprimuntur, ubi p datur per u & constantes, q datur per t & constantes. Denique *Sect. 6* varias æquationes differentiales primi gradus expendit Algebraice non integrabiles, in quibus ambæ indeterminatæ cum suis differentialibus reperiuntur, nec tamen facile sunt ab invicem separabiles. Et coronidem operi imponit solutione hujus æquationis differentialis $dy : dx = z + vy$, posito v & z quomodocunque dari ex x , quam primus *Leibnitius* ita solvit, ut faciat $dn : n = v dx$, seu $ln = \int v dx$ & $y = \int (z dx : n)$ Eodem tendit *Analys. Dn. Jo. Bernoullii Act. A. 1697 p. 115*. Ceterum generalis tales æquationes tractandi methodus hætenus non est inventa. Et adeo absumus a generali talium constructionum methodo, ut ne criterium quidem adhuc habeatur, unde certo cognoscatur, num differentialis propositi summatio Algebraice sit possibilis, an impossibilis, Curvamque adeo postulet transcendentem. Ne vero quispiam rerum Mathematicarum non satis gnarus miretur, calculum hunc multum adhuc abesse a perfectione sua; considerandum est, differentiarum summationem in *Analysi infinitesimali* respondere radicum extractioni in *Algebra*. Et quemadmodum extractio radicum *Arithmetica exacta* non procedit in numeris surdis, ita summatio formularum differentialis Algebraica non procedit in quantitatibus transcendentibus. Sicuti porro radices affectas ad puras reducere hætenus generaliter non licuit, nisi in æquationibus secundi, tertii & quarti gradus; ita mirum non est, reductionem æquationum differentialis affectarum ad puras, hoc est, ad eas, quarum summatio a Quadraturis pendet, non nisi in facilioribus hætenus præstitam esse. Unde patet pro construendis Curvis æquationum differentialis duo in calculo infinitesimali maxime desiderari, reductionem differentiarum

tiarum affectarum ad puras, quæ pars etiam calculi differentialis adhuc valde imperfecta est, & deinde integrationes seu summas, & maxime quidem Quadraturas, quod officium foret calculi summatorii seu integralis.

Monendum denique, nos in posterum in his Actis usus esse Signis *Leibnitianis*, ubi cum *Algebraicis* res nobis fuerit, ne typho tædia & molestias gratis creemus, utque ambiguitates evitemus. Loco igitur lineolæ characteribus supraducendæ parenthesin adhibebimus, immo in multiplicatione simplex comma, ex. gr. loco $\sqrt{aa + bb}$ scribemus $\sqrt{(aa + bb)}$ & pro $aa + bb \times c$ ponemus $aa + bb, c$. Divisionem designabimus per duo puncta, nisi peculiaris quædam circumstantia morem vulgarem adhiberi suaserit. Ita nobis erit $a : b = \frac{a}{b}$. Et hinc peculiaribus signis ad deno-

tandam proportionem nobis non erit opus. Si enim fuerit ut a ad b ita c ad d , erit $a : b = c : d$. Quod potentias attinet,

$\sqrt[m]{aa + bb}$ designabimus per $(aa + bb)^m$: unde & $\sqrt[m]{aa + bb}$

erit $= (aa + bb)^{1:m}$ & $\sqrt[n]{aa + bb} = (aa + bb)^{n:m}$.

Nulli vero dubitamus fore, ut Geometræ omnes Acta hæc legentes Signorum Leibnitianorum præstantiam animadvertant, & nobiscum in eadem consentiant.

L'ARITHMETIQUE MILITAIRE.

hoc est,

ARITHMETICA MILITARIS, AUTORE CLERMONTIO, Rei tormentaria Commissario. Editio secunda correctæ & auctæ.

Argentorati, apud Jo. Renaldum Doulsseker, 1707, in 12.

Const. plag. 12.

AUtor communes regulas Arithmeticas istiusmodi exemplis illustrat, quæ castra sequentibus obvia fieri solent: unde

M m

Arith.

Arithmetice Militaris nomen libello imponit. Regulam extrahendi radicem Cubicam omittit, quod ejus in praxi Geometrica nullum esse credat usum, cum nullum unquam viderit Architectum militarem aut agrimensorem, qui ad eam recurrere opus habuerit, indeque eam curiositati unice inservire colligat. Enimvero ut alios regulæ usus taceamus, notum est data soliditate massæ e. gr. plumbeæ unius libræ inveniri diametrum globi ex ea parandi, & data hac diametro reperiri ulterius diametrum globi ponderis multipli desiderati: cujus in re tormentaria momentum evidens. Rejicit quoque vulgarem additionis probationem per novenarii abjectionem, nec male; fallit enim, quoties errorem novenarius metitur. Quoniam vero is tum contingit, cum numerus falsus in locum decadum aut numerorum, qui respectu seriei jam summatae pro decadi- bus in operatione habentur, rejicitur; probationis fallacia facile evitatur, si numeri seriei decadum connumerati a latere notentur, ut facta probatione intelligatur, num idem novenariorum numerus ex aggregandis abjectus, & in summa partim inter operandum omissus, partim inter probandum deletus. Ita enim æqualitas novenariorum abjectorum indicabit, nullum errorem, quem novenarius metitur fuisse commissum, & æqualitas numerorum residuorum novenario minorum immunitatem ab errore reliquo eloquetur.


*GEORGII ALBERTI HAMBERGERI, PHIL. NAT.
& Math. P. atque Alumnorum Ducalium Inspectoris in
Academia Jenensi, Fasciculus Dissertationum Aca-
demicarum Physico-Mathemati-
carum.*

Jenæ, typis & sumtibus Gollnerianis, 1708, in 4.
Constat 2 Alph. 20 plag. & 8 Tabb. æn.

Operæ pretium fecit doctissimus Autor, quod dissertationes antehac seorsim editas in unum fasciculum colligi & de- nuo inprimi fecerit: continent enim selecta quædam argumen- ta uberius quam alibi pertractata. Ex cordis mechanismo
fufe

fuse explicato Dei existentiam eruit, methodo finium generali ad casum specialem applicata; phænomena Iridis, machinarum hydraulicarum, frigoris & barometrorum cum cura recenset atque ad causas suas revocat; optica oculorum vitia explicat & remedia contra ea repræsentat; in Epochæ Christianæ ortum & auctorem solerter inquirat; Computi denique Ecclesiastici difficultates & genuinam indolem reformationis Calendarii a Statibus Protestantibus sub initium hujus Seculi factæ exponit.

*DUBIUM GEOMETRICUM CIRCA TETRAGONIS-
mum Circuli, almæ Geometriæ acutissimis Cultoribus
propositum, a FERDINANDO ERNESTO, Comite
ab HERBERSTEIN.*



Describatur super axe transverso AB Ellipseos AGBDA Circulus ACBH. Radioque AH æquali lateri Quadrati eidem circulo inscripti ex C & H velut centris refecentur lunulæ AEBCA, AFBHA.

Quæritur: An, reperto Rectilineo æquali excessui, quo Spatium Ellipticum superat Spatium curvilineum AEBFA, exhiberi possit Quadratum æquale circulo ACBH?

*Cum hæc cum Cl. CHRISTIANO WOLFIO, Ma-
thematicum in vicina Halensi Professore Publ. qui in-*

defessam in recensendis varii generis libris operam hactenus nobis prestitit, communicassemus, sequentia nobis per litteras rescripsit, quæ inseri hoc loco, operæ pretium duximus.

SOLUTIO DUBII GEOMETRICI, AB ILLUSTRISSIMO Comite ab HERBERSTEIN propositi, excerpta ex litteris C. WOLFII ad
N. - - datis.

Quæris ex me, quid de dubio ab Illustrissimo Comite proposito mihi videatur. Scito igitur, me in ea esse sententia, quod data Quadratura Lunulæ $AGBEA$ sine negotio inveniat & Quadratura Circuli $ACBHA$, & Quadratura Ellipseos $AGBDA$. Etenim Spatium Curvilineum $ACBEA$ est Lunula *Hippocratis*, quam quadrare norunt Geometræ: est nimirum Triangulo AHB seu quadrato super recta AI constructo æquale. Quodsi igitur detur Lunula $AGBEA$, dabitur etiam Lunula $AGBCA$, hoc est, differentia Semiellipseos $AGBA$ a semicirculo $ACBA$. Constat vero ex *Conicis*, esse Semiellipsin $AGBA$ ad semicirculum $ACBA$ ut GI ad CI . Quare ex *Elementis* notum est, esse etiam $ACBA-AGBA$, hoc est, Lunulam $AGBCA$ ad circulum ut GC ad CI , consequenter cum data Lunula $AGBEA$ inveniri possit Lunula $AGBCA$, *per demonstrata*; Lunula $AGBEA$ data reperietur circuli area, & inde porro area Ellipseos. *Q. e. d.* Quodsi itaque Illustrissimus Comes de quadratura Lunulæ $AGBEA$ quædam meditatus fuerit, rogandus est, ut ea diutius non premat. Ita enim Tetragonismi circularis celebre problema tandem perfecte solvetur.

Η ΚΑΙΝΗ ΔΙΑΘΗΚΗ ΤΟΥ ΚΥΡΙΟΥ ΚΑΙ ΣΩΤΗ-

ρῶ ἡμῶν, Ἰησοῦ Χριστοῦ, μεταφραθεῖσα &c.

h. e.

NOVUM TESTAMENTUM DOMINI ET SERVATORIS nostri, JESU CHRISTI, ante plures annos pro-

COM-

*communi Christianorum usu in sermonem Vulgarem
translatum ab Hieromonacho, MAXIMO CALLIOPOLITA,
& nunc denuo excusum, ex correctione SERAPHIMI,
Hieromonachi Mitylenæi.*

Londini, apud Benjam. Mottæum, 1703, 12.

Plag. 19.

Postquam Græcæ litteræ in ipsa Græcia periere, & inveteris linguæ locum successit nova, quæ propter plurimas, quas continet, voces barbaras, Turcicas imprimis, Sclavonicas, atque Italicas, tum etiam quoad ipsam analogiam Grammaticam a Græca veteri, veluti a Latina Italica, differt; adeo Græci, sub Turcarum jûgo hodie gementes, veteris suæ linguæ ignari deprehenduntur, ut vel ipsum Novum Testamentum, communi licet seu Alexandrina eademque facillima *διαλέκτω* a scriptoribus sacris consignatum, recte intelligere nequeant. Ne igitur fructu ejusdem lectionis prorsus carerent miserandæ sortis homines, laudabili instituto jam olim Generales Fœderati Belgii Ordines, impulsu maxime incomparabilis Viri, Jacobi Golii, Novi Testamenti Versionem Græco-Barbaram a Maximo Calliopolita componendam, suisque postmodum impensis, una cum ipso textu Græco originali, caractere elegantissimo imprimendam curarunt. Prodiit prima hæc N. T. Græco-Barbari editio Genevæ, anno M DC XXXVIII, cui duplex præmissa est Præfatio, altera ipsius Metaphrastæ, altera doctissimi Patriarchæ CP. Cyrilli Lucaris, quarum utraque, scopo versionis prius explicato, tam egregium opus Ecclesiis Græcis magnopere commendatur. Atque ex hoc ipso opere Genevensi, pretiosiori illo rarissimoque, Novi Testamenti Versionem Græco-Barbaram denuo edidit, cum aliquot abhinc annis in Anglia versaretur, Seraphimus, divino quippe, uti ipse in Præfatione, vulgari etiam sermone conscripta, testatur, in gentem suam zelo commotus, & a viris quibusdam piis ad id faciendum excitatus. Etsi vero, quod ipsa libri inscriptio testatur, versio sit Maximi Calliopolitæ, attamen a Seraphimo ex colla-

tione cum aliis versionibus, veterisque Ecclesiæ Patribus ita fuit emendata, ut nova plane esse videatur. Eadem editio recudi nunc fertur Halæ Saxonum.

Kurze Fragen von den menschlichen Gemüths-
Bewegungen, &c.

h. e.

JOANNIS WOLFGANGI TRIERI QUÆSTIONES
succinctæ de hominum commotionibus animi, quibus de
harum ortu & effectibus singulari ratione agitur. Ac-
cedunt observationes de commotionibus animi in
Historias Estheræ & Josephi.

Lipsiæ, apud Jo. Frid. Gleditsch, 1708, 12.

Alph. 1 plag. 10.

p. 1.

15. sq.

Qui superiori anno de affectibus librum edidit Autor, nunc etiam de animi commotionibus agere voluit: quo in labore ita versatus est, ut & totam divisionem earum aliam faceret, quam adhuc ab iis, qui hoc argumentum tractarunt, factum meminerit, & præterea ubique multa a consuetis principiis diversa immisceret. Triplici potissimum ratione ab affectibus, quorum quatuor, ambitionem, avaritiam, libidinem, gulamque, constituit, animi commotiones differre ait. Nimirum ad has requiri rem externam, quæ animum impellat, in illis propensionem omnem ex interna constitutione animæ sanguinisque ortum habere: deinde in his insolitam sanguinis mutationem reperiri, in illis autem secus esse: denique has brevi tempore, illas perpetuo fere durare consuevisse. Omnem animi commotionem aut ex voluptate oriri, aut ex dolore, illam *amorem*, hanc *odium* dici. Horum duorum generum octo species ab Autore constituuntur.

I IRA, amor doloris in aliis.

II ANIMUS, amor doloris in se ipso.

III ODIUM, *stricte sic dictum*, odium voluptatis in aliis.

IV TRI-

- IV TRISTITIA, odium voluptatis in se ipso.
 V AMOR, *strictè sic dictus*, amor voluptatis in aliis.
 VI LÆTITIA, amor voluptatis in se ipso.
 VII MISERICORDIA, odium doloris in aliis.
 IIX IGNAVIA, odium doloris in se ipso.

De singulis Autor peculiaribus Capitibus ita agit, ut primo nomen definitionemque expendat, deinde quæ in genere de quavis commotione animi notanda sint, indicet, qui homines ad eam præcipue sint propensi, quos effectus in corpore humano, gestibus, cogitationibus, verbis, factisque habeat, quomodo homines ad eam incitari possint, quodque sit hominum circa eam officium. Capite ultimo agit de sex aliis animi commotionibus, quas potissimum in intellectu se exerere dicit, licet in voluntate etiam aliqua ratione se exerant. Sunt vero

I ADMIRATIO, commotio intellectus ob voluptatem præsentem.

II TERROR, commotio intellectus ob dolorem præsentem.

III PUDOR, mixtio admirationis & terroris.

IV SPES, commotio intellectus ob voluptatem futuram.

V TIMOR, commotio intellectus ob dolorem futurum.

VI FLUCTUATIO, mixtio spei & timoris.

In appendice exemplum dare voluit Autor, quomodo in lectione historiæ ratio commotionum animi annotari atque hoc modo profectus in hac doctrina augeri possint. Nimirum Biblicas historias Estheræ & Josephi ita pertractat, ut primo brevem historiæ partem recenset, & deinde observationes de animi commotionibus subjungat. Omnia tum in ipso tractatu, tum in appendice multis exemplis ex historia petitis & meditationibus variis curiosisque repleta sunt, ut lectio hujus libri non solum utilis sit, sed etiam jucunda.

THE FRAUDS OF ROMISH MONKS
and Priests.

h. e.

h. e.

FRAUDES MONACHORUM ET SACERDOTUM Romanensium.

Vol. I.

Londini, apud Robertum Clavell, 1704, in 8.

Constat 1 Alph. 4 plag.

Autor, Clericus quondam Secularis in Ecclesia Romana, dum per Italiam iter fecit, multa cum cura annotavit, quæ religionem Pontificiam concernunt, ac Clericorum inprimis fraudes, quibus ad incautos decipiendos utuntur, tangunt. Octo in hoc opusculo reperies litteras, quarum prima de reliquiis ac perverso earundem usu ad populum decipiendum agit; secunda animum Cleri Romani ad vindictam pronum delineat; tertia de xenodochiis & viatoribus religiosis tractat; quarta iter Autoris *Lauretanum* describit; quinta Festivitates ac Confraternitates sacras Italorum repræsentat; sexta abusum concionandi deplorat; septima de supplicationibus publicis in Italia institui solitis discurrit; octava denique corruptionem Sacerdotum & Monachorum Italorum tam in doctrina, quam in moribus depingit. Enimvero specialiora quædam delibemus.

In Abbatia *S. Benigni*, quæ est *Divione* in Ducatu *Burgundia*, B. Virgo infantibus in utero mortuis ad tantum temporis spatium vitam largiri dicitur, quantum ad eos baptizandos sufficit. Autor igitur portentorum horum veritatem cogniturus, Missam frequentat, & dum inter ejus celebrationem Sacerdotis minister librum de altari tollens cubitum adversus tabulam, in qua infantes mortui jacent, impingit, artus infantum moveri observat: quo facto Sacerdos formulam baptismalem, *Baptizo Vos in nomine Patris, Filii & Spiritus S.* aqua infantibus adpersa, pronuntiat, populus vero exclamat: *Miraculum! Miraculum!* Ibidem imago Christi aliquando locuta fertur, desiderans, ut a monacho quodam occultetur, duris additis comminationibus, ne quis injussus velum retegeret.

Enim.

Enimvero cum post multos annos, ipso Autore præfente, velum removeretur, in multa fragmenta contusa apparuit imago squalore sordida, certo indicio, monachum istum casu infelici imaginem miraculosam deiecisse, ac superiorum metu miraculum finxisse. Prior tamen coenobii fraudem detectam celavit, ne populi devotio monachis proficua deficeret. Hæc & similia Autorem permovent, ut asserat, plures monachos sub specioso devotionis, silentii ac vitæ solitariæ prætextu nil quærere, quam ut sui veneratione animis instillent, quo ipsis ad nutum uti liceat, & pleraque ab iis ad commodum temporale referri. Itaque hunc annotatum ab eo reperies characterem, quod sint in gerendis negotiis prudentes, in colloquiis disertis, in conversatione etiam cum exteris civiles & lepidi, ad consilia & officia parati, in amicitia constantes, sed vindictæ nimium cupidi, qua clerici præsertim delectentur. Manifestat etiam arcana inquisitionis, ejusque crudelitatem insigni exemplo illustrat. Memorat nimirum, quendam *Calabriae* Abbatem, quod monachum de apparitione animæ cujusdam defuncti e purgatorio prodeuntis narrantem risisset, *Venetis* non modo per integrum annum in carcere detentum, sed & exquisitissimis tormentis subjectum fuisse. Artubus nempe violenter distortis, digitisque valide contusis, laminæ ferreæ candentes plantis pedum applicabantur: trochlearum ope in libero aere per horas complures miser homo suspendebatur, & demissus spiculis ferreis pungebatur, ut sanguis subinde largiter efflueret. Refert &, quod monachi laicis adeo exosos reddant Protestantes, ut etiam docti plerique sibi persuadeant, eos non magis, quam Mahumedanos, in Christum credere. De xenodochiis dum agit, notat monachos præcipuam sumptuum in viatores pauperes impendendorum partem in luxum proprium eumque vanum convertere. Ceremonias in consecratione Sacerdotum, celebratione Eucharistiæ & pompa ad Pascha præparatione observandas graphice delineat. Multum autem de concionatorum nævis conqueritur, Italis non nisi eos laudantibus, qui cachinnos movent: & inter alia vocem Capuccinorum tam horridam affirmat, ut sola hæc canes omnes ex templo expelli observaverit.

Dum supplicationes publicas perstringit, pompas inprimis theatrales taxat. Etenim in Festo Corporis Christi Bononiæ omnia ædificia picturis pretiosis alioque ornatu vestiuntur noctuque illuminantur, & fontes in hortis vinum effundunt a plebe hauriendum. Dum per plateas hostia consecrata gestatur, personæ quam plurimæ vestitu theatriali indutæ præcedunt, quarum aliæ angelos, aliæ Prophetas de Christo vaticinantes, aliæ Sybillas, aliæ Apostolos, aliæ Sanctos Pontificiorum, ex. gr. *Thomam Aquinatem, Antonium de Padua, Franciscum* repræsentant. Ex his intelligitur, qualia in præfente opusculo sint, quærenda, quæ nostra quidem neutiquam facimus.

GEOGRAPHIE HISTORIQUE, OU DESCRIPTION de l'Univers.

h. e.

GEOGRAPHIA HISTORICA, SIVE DESCRIPTIO Orbis universi. Autore DE LA FOREST DE BOURGON.

Tomi II.

Parisiis, apud Petrum Witte, 1705 & 1706, in 8.

Constat Alfab. 4 plag. 18.

IN opere hoc Geographico - Historico, cujus duos priores Tomos jam exhibemus, ita procedit Autor, ut novem Capitibus, quæ Tomi I Librum I constituunt, tantum generalia inculcet, & præter Geographiæ nomen atque definitionem, de partibus terreis & aqueis, de zonis, de climatibus, regionum item longitudine ac latitudine, nec non populorum, situ & totius mundi in partes suas divisione, succincte disserat. His ita præmissis, Libro II ad Europæ descriptionem pergit, de cujus primum præ reliquis Orbis partibus prærogativa, nomine, situ, amplitudine, limitibus, natura, ceteris, generatim quædam adnotat; mox speciatim Cap. 1, quod 18 Articulis absolvitur, Galliam; Capite 2 autem, quod 20 Articulos continet, Tomoque I coronidem imponit, Germaniam confide-

rat,

rat, quacum Articulo 4 Transylvaniam; Art. 5 Hungariam & Slavoniam; Art. 6 Bohemiam; Art. 15 & 16 Belgium, utrumque; Art. 20 Helvetiam conjungit. Ad alterum Tomum delatus, in Poloniam Libro I duobus Articulis, quorum posterior Lithuaniam sigillatim, Livoniam & Curlandiam depingit, primum inquit, & hac perlustrata Libro II tribus Articulis Insularum Britannicarum; Libro III Scandinaviæ, & Capite quidem primo Daniæ ac Norvegiæ; Cap. 2 Sueciæ; Libro IV Moscoviæ; Hispaniæ Libro V C. 1 & Portugalliæ C. 2; Italiæ Libro VI; cui & Capite 5 hujus libri Insulas Italicas subnectit; Turciæque tandem Europeæ Libro VII examen instituit. In tertio atque quarto Tomis, quos, ut in Præfatione ad Lectorem pollicetur, propediem cum publico communicaturus est, quæ restant, ita digeret, ut in priori Asiam; in posteriori eodemque ultimo Americam, unam cum Spheræ compendio, repræsentet. Quantum vero ad uniuscujusque provinciæ dispositionem attinet, inprimis notandum est, quod secundum lineas in Europæ totius designatione generaliter ductas omnes quoque istius partes propemodum instruat atque informet. Sic, ut de Anglia exemplum capiamus, T. II L. II c. 1 præmissa regionis prærogativa ejus nomen, situm, amplitudinem, terminos, naturam, historiam, gubernandi rationem, mores, linguam, flumina & religionem, quam specialis regni distributio & provinciæ uniuscujusque ex iisdem principiis expositæ declaratio insequitur, aperit. Nominis enim rationem inquitur, ante omnia monet, quod ob promontoria & montes albicantes, a Latino *albedo* Albion quondam; postmodum vero a Britonibus, qui ex Gallia eo secesserant, Britannia; & ab Egberto Rege, Regna septem per Saxones ibidem stabilita in unum redigente, Angelandia tandem nuncupata fuerit. Reprehendit vero inprimis Autor noster, ubi de Regni amplitudine agit, tabulas Geographicas ad unam ferme omnes, quæ inter 14 & 22 gradum, qua longitudinem, Angliam collocant, cum tamen inter 16 & 24, qua longitudinem, & 50 ac 56, qua latitudinem, si accurate negotium expendatur, porrecta sit. Aeris temperiem ex frequenti

pluvia & ventorum frigiditate oriundam digne prædicat, atque simul soli fertilitatem, foecunditatem armentorum pecorumque, vervecum imprimis, quæ lanam longiorem multo ac molliorem, quam in ceteris regionibus fieri assolet, suppetunt; montium item, in quibus, præter stanni, plumbi, aliorumque metallorum, argenti etiam fodinas, thermæ & aquæ minerales admodum salubres reperiuntur, feracitatem; nec non varia Regni fata justo ordine describit. Patriæ vero & sacrorum, quibus ipse addictus est, amore abreptus, de publico regionum cum civili tum ecclesiastico statu & hic & alibi ita commentatur, ut cordatiorum lectorum plausum, nostro iudicio, non ubivis mereatur. Ingenue tamen fatetur, Anglos bonos, probosque, agendi dexteritate, iudiciiue subtilitate excellentes, artibus ac scientiis imprimis deditos, navigandi bellandique prudentia subactos fortesque esse, adeo ut cum ipsis phalangibus Macedonicis, quantum ad pedestrem sigillatim attinet militem, eosdem comparet. Linguam ex antiqua Britonum, ex Latina & Saxonica, Danica porro & Normannica veteri, quæ postrema hodiernam Anglicanam fecerit disertissimam, contextam fuisse adstruit. Variam insuper, quam Regnum hoc, Protestantium partibus maximam partem addictum, tolerat, religionem ita detegit, ut ad Independentes, Presbyterianos, Puritanos, Anabaptistas, Quakeros, Tremulos, Millemarios, Latitudinarios aliosque provocet; ipsa autem fidei Christianæ semina a Josepho Arimatheensi, cujus vestigia Lucius seculo X florens presserit, sparsa illic esse, Anglorum traditione nixus, existimet.

Neue Deutsche Sprach-Kunst.

h. e.

*NOVA GRAMMATICA LINGUÆ GERMANICÆ,
Præceptis brevissimis comprehensa, Autore GEOR-
GIO BARENIO.*

Norcopiæ, apud Jo. Godofr. Liebezeit & Sam. Heylium,
1707, 8.

Constat 7 plag.

Ger.

Germanicam linguam inter Europæas esse difficillimam, conqueri omnes, seductos errore communi, magis opinione, quam ratione nixo, ait Autor noster doctissimus in Latina ad Lectorem Præfatione: difficultatem enim non linguæ, sed cæcitati facilitatem non videntium esse adscribendam, non tamen diffitetur, eam valde obscurari orthographiæ diversitate. Nam dum aliud aliis placeat, fieri non posse, quin ex eorum diversis & sæpe perversis opinionibus multa mala redundent. Quosdam inveterata socordia detentos nullam admittere correctionem esseque monitoribus asperos; quosdam vero nulla analogia, nullisque regulis contineri, & omnia ad cerebelli sui decempedam dimetientes voces pro cujusvis oris dilatatione scribi velle. Hinc oriri monstrosa scribendi genera, analogiam corrumpi, & anomalam omnis difficultatis matrem augeri. Magnam enim verborum anomalorum catervam, quæ sola discentes abstertere posset, conflata esse ex diversis pro diversitate regionum pronuntiationibus. Itaque incertum, vagum, perpetuoque fluctuans fore eorum fundamentum, qui spreta analogia nimis solliciti & superstitiosi inhærerent pronuntiationi semper & ubique mutabili; hanc quippe nec literis describi, nec coloribus depingi posse, sed usu & auditu esse addiscendam. Suadet proinde Autor noster, ut ii, quibus lingua materna curæ est, faciant sicut legum periti, qui magis faveant juri communi seu regulari, quam ab eo exorbitantibus, & qui hæc semper tanquam odiosa restringant, illud vero tanquam favorabile in consequentiam trahant. Præire jubet doctiores, plebem quondam secuturam, habiturosque Germanos vernaculam brevi & purissimam & omnium facillimam. Noster indolem linguæ Germanicæ accuratius intuens, ut eam alios doceret, offendisse se perquam multa fatetur, falso & tædiosa prolixitate de illa tradi solita, hinc falsis rejectis, inutilibus resectis, plerisque ad minorem numerum redactis, scripsit hæc Præcepta, quibus secundam & tertiam Partem suo tempore addere constituit. In fine conspiciuntur varia Proverbia Germanica ordine alphabetico consignata.

NOVA LITTERARIA.

PRodiit Parisiis specimen non inelegans Thesauri novi idiomatis Italici & Græco-Barbari, quem ab Alexio Sumaverensi, Ordinis Capuccinorum, Missionario Apostolico, & Missionum Gallicarum omnium in Græcia Custode, quondam compositum Thomas Parisiensis, ejusdem Ordinis Missionarius, in forma quarta evulgabit sub titulo: *Tesoro della Lingua Greca-volgare & Italiana; cioè ricchissimo Dittionario Greco-volgare & Italiano, che contiene i quasi tutte le Dittioni della Lingua Greca-volgare ed Italiana, e principalmente le proprie Dittioni d'ambidue queste due Lingue: 2 molte altre Dittioni letterali, particolarmente quelle, che appartengono alla Grammatica, la Filosofia, e la Theologia: 3 certe particolari notationi, ed altri piccoli Capitoli molto utili, e necessarii.* Cl. Longi, Congregationis Oratorii Parisinæ Bibliothecarii, Pars prior Bibliothecæ Sacræ, quæ Editiones & Versiones Bibliorum recenset, adhuc sub prelo est. At prodiit ibidem in lucem Analysis R. P. Raynaud, Congregationis Oratorii, duobus justis Voll. in 4, quo in libro Autor non tantum de Analyfi antiqua & Cartesiana, verum etiam de Leibnitiana, calculoque adeo tam differentiarum quam summarum agit. Accepimus & Caperonierum, S. Theol. Lic. hortatu atque ope ipsius Universitatis studiorum Parisinæ, cujus membrum est, animatum in eo occupari, ut Eustathium, Homeri commentatorem, post Romanam & Basileensem editionem, iterum edat, sed meliorem, locis imprimis Autorum, quos citat, inspectis, notisque adspersis. Ceterum hoc anno die 9 Aprilis Franciscus Maucroix, Canonicus Ecclesiæ Cathedralis Remensis, editis scriptis clarus, nonagenarius Parisiis decessit.

Senis in Italia Hieronymus Gigli ingens Opus molitur, quod sub tit. *L'Accademia Sanese, ovvero Scrittori diversi dell'Accademia Sanese, tanto in Prosa, che in Verso volgare* Tomis XXXVII in 4 constabit. In his Varia vario-

riorum Academicorum Senensium scripta, quæ ad Grammaticam, Oratoriam, Historiam, Poeticam, Philosophiam, artem Epistolicam, Emblematicam, Militarem, Criticam spectant, & maximam partem lucem antehac nondum aspexerunt, distinctis Voluminibus continebuntur, quorum quotannis quatuor proditura, Editor spondet. Philippus Bonannus S. J. novam eamque locupletiolem parat editionem Bibliothecæ Scriptorum S. J. a P. Ribadeneira inchoatæ, & a Phil. Alegambe ac Nathan. Sotvello continuatæ, cujus editiones hæctenus fuere rarissimæ.

In Anglia Vir celeberrimus, Guilielmus Cave, quocum doctissimi Generi, R. Gery, Eccl. Angl. Presbyteri, mortem, quæ Calendis Octobris anni superioris accidit, acerbè lugemus, vitam ipsi longissimam publico nomine apprecati, in reconcinnanda Historia sua Litteraria totus occupatur, quam multis modis auget. Cumque nihil supersit laboris, quam ut cel. Jac. Usserii MSpta Theologica, quæ illi e Bibliotheca Bodlejana Vir promovendis bonis litteris natus, Joannes Hudson, nuper transmisit, evolvat & perlustret, eo facto, Casparo Fritschio, Bibliopolæ Amstelodamensi, opus integrum tradet excudendum, qui, ut accurate omnia & nitide imprimantur, diligenter curabit. De Aristophanis & Novi Test. Milliani novis editionibus, quas in Belgio nunc parat Ludolfus Kusterus, eodem hoc Mense p. 240 dictum est.

LIBRI NOVI E GALLIA;

Prostant Lipsiæ, apud Jo. Frid. Gleditsch.

Evangeliorum Harmonia Græco-Latina, auctore Nicolao Toinard, Aurelianensi. Par. ex officina Andr. Cramoisy, 1707, fol.

Venerabilis Hildeberti, primo Cenomanensis Episcopi, deinde Turonensis Archi-Episcopi Opera, tam edita, quam inedita. Accesserunt Marbodi, Redonensis Episcopi, Opuscula; labore & studio D. Antonii

Beau-

Beaugendre, Presbyteri & Monachi Ordinis S. Benedicti e Congr. S. Mauri. Par. apud Laur. le Conte, 1708, fol.

Histoire de Bretagne, composée sur les titres & les auteurs originaux, par Dom Gui Alexis Lobineau, Prestre, Religieux Benedictin de la Congr. de S. Maur; enrichie de plusieurs portraits & tombeaux en taille douce, avec les preuves & pieces justificatives, accompagnées d'un grand nombre de Sceaux. Tome I & II. A Paris, chez la Veuve Francois Muguet, 1707, fol.

Histoire des Demelez de la Cour de France avec la Cour de Rome, au sujet de l'affaire des Corses, par M. l'Abbé Regnier Desmarais, 1707, 4.

Memoires d'Artillerie, recueillis par Mr. Surirey de Saint Remy, Lieutenant du Grand Maistre de l'Artillerie de France. Seconde Edition, augmentée de nouvelles matieres & de plusieurs planches. A Paris, chez Rigaud, 1707, 4.

L'Etat de la France, contenant tous les Princes, Ducs & Pairs, & Marechaux de France, les Eveques, &c. Les Noms des Officiers de la Maison du Roy, &c. Suivant les Etats portez à la Cour des Aides. A Paris, chez Charles Osmont, 1708, 12.

Traité de l'Amour de Dieu, en quel sens il doit être désintéressé. Trois Lettres au R. P. Lamy, Religieux Benedictin, & une quatrième, ou Reponse Generale a celles de ce même Pere. Par le R. P. Malebranche, Prêtre de l'Oratoire. A Lyon, 1707, 12.



ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Julii, Anno M D C C V I I I.

NOVUM DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI TESTAMENTUM Syriacum cum versione Latina, cura & studio JOANNIS LEUSDEN & CAROLI SCHAAF editum.

LEXICON SYRIACUM CONCORDANTIALE ELABORATUM a CAROLO SCHAAF.

Lugduni Batavorum, apud Jordanum Luchtman & Jo. Mullerum, 1708, in 4.

Alphab. 8 plag. 7.

EX quo *Moses Meredineus*, Sacerdos ex Mesopotamia, ab Ignatio, Patriarcha Antiocheno, missus, & Syrum Novi Testamenti volumen MSctum pro Asiaticis Christianis prelo excudendum in Europam secum apportans, commode admodum in *Joannem Albertum Widmanstadium*, Jctum, Austriæque Cancellarium amplissimum, incidit, & prompto hujus, utpote Linguae Syriacæ peritissimi, auxilio prima Novi Testamenti Syriaci editio Viennæ A. 1562 prodiit, quam mox complures exceperunt aliæ, præsertim cum exemplum in gratiam Ecclesiæ Syriacæ impressa maximam partem in Orientem reportata fuerint, atque adeo in Occidente rariora evaserint. Viennensem namque hanc secuta est altera editio *Tremellii*, literis Chaldaicis adornata, cum Latina versione, quam ipse omnium primus elaboravit, Heidelbergæ A. 1568. Tertia hinc editio in ornamentum Bibliorum Regiorum a *Plantino* Antverpiæ excusorum curata est opera *Guidonis Fabricii Boderiani*, qui textum Syrum

caractere Syriaco, prout hunc in Viennensi editione repererat, exscripsit, locis tamen haud paucis e MScto quodam vetusto emendatis. Addidit hic versionem suam Latinam, in qua frequentius Tremellianam secutus fuisse deprehenditur. Ab eodem *Plantino* duæ aliæ editiones literis Chaldaicis minoribus, & sine vocalibus, impressæ sunt Antverpiæ A. 1575. Quin & laudatus modo *Guido Fabricius Boderianus* literis Chaldaicis, absque punctis, cum versione sua interlineari Latina, aliam adhuc excudi fecit Parisiis A. 1584. Secuta est illa, quam Norimbergæ publicavit A. 1599 & 1600 *Elias Hutterus*, cum Novo Testamento undecim aliarum linguarum. Textum illa Syriacum exhibet characteribus Chaldaicis, omnino ut habet Tremelliana. Addidit quoque de suo Hutterus Syriace loca omnia in Mosis Meredinæi MScto deficientia, historiam puta adulteræ, secundam Petri Epistolam, Johannis secundam & tertiam, Epistolamque Judæ & Johannis Apocalypsin. Imo & Epistolam, quæ dicitur, Pauli ad Laodicenses in linguam Syriacam Hutterus transtulit, & post Epistolam ad Colossenses collocavit. De novo *Martinus Trostius* editionem singularem literis Syriacis & vocalibus pluribus ad codicis Viennensis imitationem, versione Latina subjuncta, Cothenis Anhaltinorum publicavit A. 1621. Sed & *Michael de Jay* novam huc diligentiam contulit, quando Operi heptaglotto Parisiensi A. 1645 Novum Testamentum Syriacum inseruit, usus præcipue adjutore Gabriele Sionita, Maronita, qui primus vocales omnes ex ipso Syriasmò cuique syllabæ apposuit. Præterea editioni huic additi sunt libri in ple-risque antecedentibus desiderati, Epistola scilicet secunda Petri, secunda & tertia Johannis & Epistola Judæ, quas Eduardus Pocockius ex Bibliothecæ Bodlejanæ MScto ediderat Lugduni Batavorum A. 1630. Accessit quoque Apocalypsis Johannæa, quam Ludovico de Dieu ex MScto Scaligeriano caractere Syriaco & Chaldaico cum versione Latina & animadversionibus itidem Lugduni Batavorum emiserat A. 1627. Simillima est editioni, adminiculante Sionita vulgatæ, illa, quæ reperitur in Bibliis polyglottis Anglicanis a *Briano Waltonò* editis Londini A. 1653. Suppleta est in hac historia adulteræ ex MScto Jacobi

Usserii, Archi-Episcopi Armachani. *Ægydius Gutbirius* in illa, quam Hamburgi A. 1664 curavit, editione, exemplar Trostianum secutus est, quod exornaverat ipse vocalibus quibusdam ex Constantini l'Empereur MScto mutuo transsumtis. Tandemque omnium novissima hactenus illa fuit, quæ impressa habetur literis Chaldaicis, absque vocalibus, *Sulzbaci* A. 1684. Enumeratis vero omnibus ac singulis palmam reddere dubiam omnino videtur præsens hæc eaque *decima tertia* Novi Testamenti Syriaci editio, de qua studiose concinnanda convenit inter Viros clarissimos, *Jo. Leusdenium*, linguæ Hebraicæ & Philologiae Professore Ultrajectinum, & *Carolus Schaaf*, linguarum Orientalium in Academia Lugduno-Batava Doctorem. Uterque igitur huc contulit, quicquid in viribus suis positum esse deprehendit, quanquam Leusdenius, cum in versum vigesimum capitis decimi quinti Evangelistæ Lucæ deventum esset, e vivis excesserit, adeoque Schaafio soli incepta ad umbilicum deducenda reliquerit. Ceterum diversa fuit Duumvirorum horum celeberrimorum de Novi Testamenti Syri punctatione sententia, Leusdenio iis accedente, qui in Syriacis Chaldaizant, Schaafio autem illos sectante, qui purum Syriasmum observant. Quoad igitur vixit Leusdenius, ad ejus nutum socius clarissimus se composuit, sed in labore post illius decessum exantlato ipsorummet Syrorum punctationem sibi magis eligendam venire arbitratus est. Et ut hæc editio eo prodiret accuratior, ad omnes, quotquot antea vulgatæ fuerant, eandem Schaafius quam diligentissime recognovit; Novum Testamentum integrum, æque ac in Anglicana & Gutbiriana editione habetur, representavit; insuper ad latus adjunxit versionem Latinam, non solum ex editionibus antecedentibus, & Tremelliana imprimis, verum etiam, ubicunque visum fuit, propria opera compositam; denique variantes lectiones ex omnibus editionibus magna industria collectas subnexuit, ut Lector earum ope & ductu adjutus omnes quasi editiones ex diversis MSctis multo studio formatas uno fere intuitu in hac editione contemplari & non tantum juxta consonantes, verum etiam secundum puncta examinare & inter se conferre valeat. Neque

tamen in his acquiescendum sibi esse reputavit Vir celeberrimus, quin potius ad faciliorem ac pleniorē exegēsin magno labore & studio apparavit *Lexicon Syriacum Concordantiale*. Utut enim in condendis Syriacis Lexicis jam olim se satis operosos exhibuerint Andr. Masius, Guido Fabricius Boderianus, Val. Schindlerus, Christophorus Crinesius, Buxtorffius junior, Mart. Trostius, Ægidius Gutbirius, Edmundus Castellus, alique; ceteris tamen locupletius, & si methodum imprimis spectes, accuratius præsens hoc vocari merebitur, in quo omnes dictiones, quotquot occurrunt in Novo Testamento Syriaco, exhibentur atque exponuntur; haud pauca etiam ex Syra V. Testamenti versione, aliisque libris Syriacis deprompta, & ad majorem dilucidationem vocum Novi Testamenti Syriacarum facientes, adjunguntur, methodo ubivis constanti & facili juxta Grammaticæ seriem quam diligentissime observata.

DAN. GEORGII MORHOFII POLYHISTOR IN tres Tomos, Litterarium, Philosophicum & Practicum divisus, accurate ex ἀποστολικῶν emendatus, cum Hypomnematis historico-criticis, duabus Prefationibus atque Indicibus, una cum Morhofii Vita & scriptis, illustratus a JOANNE MOLLERO, Scholæ Flensburg. Rectore.

Lubecæ, apud Petrum Boeckmannum, 1708, 4.

Constat Alph. II plag. 18.

CUM primæ operis hujus partes prodirent, tanto omnium applausu excipiebatur liber elegantissimus, ut ceteras etiam partes cum Orbe litterario communicari vehementer optarent. Sed Morhofio non multum post fatis extincto, jacebant opera interrupta atque inelaborata adhuc, & cum auctore suo extincta simul videbantur. Erant tamen, qui operis hujus conficiendi spem non levissimam nobis injicerent, quo in numero novimus Viros doctissimos, *Henr. Muhlum, Jo. Henr. Majum & quondam hic degentem Jo. Erickium*, qui Carpzovianis auspiciis laborem

laborem susceperat. Nullus vero eorum, quo fato nescimus, opus integrum in ordinem relatum evulgavit. Unde ad *Joh. Mollerum*, judicio & doctrina exquisitum virum, labor revolutus est, qui non vulgari industria opus retractavit, & quæ Polyhistoris desiderabantur inedita, ex auctoris defuncti manuscriptis congeffit atque emendavit. Fatetur tamen ipse Vir clarissimus, se invitum hanc suscepisse provinciam, partim quod nec elaborata illa satis, nec editioni quoque destinata essent; interim digna ait, quæ in lucem communem proferantur, ob plurima, quæ legantur, præclare monita atque solerter observata. Inprimis male habet Nostrum, posteriores Tomi Litterarii libros a Viro quodam interpolatos, multa auctoris textui inserta, quin & integra capita adjecta esse, monetque caput 2 libri VI & VII Morhofio nequaquam deberi. Etsi enim has additiones laudem mereri, nec Morhofio indignas, fateatur, quod multum doctrinæ præ se ferant, seorsim tamen abjiciendas, aut signo aliquo distinguendas fuisse censet, cum ipse Morhofius moriturus graviter, ne quid alieni suis admisceretur, præceperit. Itaque religioni sibi duxit Mollerus noster, in opere residuo quicquam vel interserere vel immutare: sed omnia ex *ἀπογραφὰς* aliisque monumentis plene & accurate transcripsit, in periodos distinxit, singulis capitibus summaria præmisit, & Hypomnemata quædam historico-critica ad omnes tres Tomos subjunxit, in quibus Morhofii errores vel modeste emendat, vel opus observationibus suis illustrat. Accedunt Indices numerosissimi, & in totum opus Prolegomena, in quibus Morhofii vita & scripta, edita & inedita, non accurate minus, quam eleganter exponuntur. Polyhistor vero Morhofianus in tres Tomos divisus est, Litterarium, Philosophicum & Practicum. Tomus porro LITTERARIUS in septem Libros distinguitur, quorum tres priores jam olim prodierunt, in Actis quoque nostris A. 1688 mense Octobri recensiti: itaque nihil ex iis jam decerpimus, & iam adnotasse suffecerit, Mollerum hinc inde paginis observationes atque notulas addidisse, quæ vel lapsus Morhofianos corrigunt, vel textum illustrent. Itaque ad posteriores hujus Tomi Litterarii libros nos accingemus, ubi pri-

mum occurrit Liber IV, qui *Grammaticus* inscribitur. Hic a
 sermone hominum & literis initium faciens, demonstrat primo
 earum sonum & originem, tum varios scripturarum modos per
 hieroglyphica & *σημεία* expressos tradit, nonnullis quoque de
 typographia additis. Porro ostendit, quænam sit lingua omni-
 um prima, & linguarum diversitatem & harmoniam exponit,
 & proprias Europæ linguas explicat, Germanicam, Gallicam,
 Italicam, Hispanicam, Anglicam, quarum originem & progres-
 sum diligenter enarrat, multaque admiscet lectu non indigna:
 post linguas orientis exponit, Hebraicam nimirum, Arabicam,
 Ægyptiacam, Punicam, Persicam, in quarum natales & moni-
 menta inquirat. Linguæ Græcæ historiam dum tradit, Gramma-
 ticos, veteres & recentiores, ac scholiastas enumerat, glossas-
 que hujus linguæ & lexica persequitur, pariterque de lingua
 Latina edisserit, ejusque scriptoribus etymologicis, nomenclato-
 ribus atque lexicis, tum de Grammaticis veteribus ac no-
 vis; denique Latinos potiorum ætatum scriptores ordine
 chronologico recenset, de quorum ætate, scriptis, genere,
 dicendi, editionibus, commentatoribus multa adfert erudita &
 curiosa. Liber V *Critici* nomine insignitus est, in quo de ar-
 te critica & viris, qui hoc in studio excelluerunt, quique in an-
 tiquitatibus excutiendis probe fuerunt versati, agitur. Liber VI
Oratorius audit, ubi Rhetores veteres & novi adducuntur, impri-
 mis Oratores antiqui Græci, de quorum ætate, genio, libris, sty-
 lo, editionibus, commentatoribus egregia adferuntur, non ex
 Morhofii quidem, sed Clar. Frickii, ut videtur, penu. De
 Oratorum quoque recentiorum stylo egregie judicat Morho-
 fii, quos excipiunt Oratores sacri variarum gentium. Liber
 VII *Poeticus* est, in quo scriptores primum Artis Poeticæ com-
 muniore suppeditantur. Hinc de Poetis Græcis eorumque
 vita, libris, dictione, editionibus, interpretibus & scholiastis fuse
 & eleganter edisserit Frickius. Sequuntur Poetæ recentiores
 vario carminum genere nobilitati. Denique adduntur doctis-
 simi Molleri Hypomnemata historico-critica, quæ evoluisse Le-
 ctorem non poenitebit: quanquam præstitisset forsitan, quod in
 prioribus Libris factum, paginis debitis notas subjectas fuisse.

Succe-

Succedit Tomus II, PHILOSOPHICUS, qui in IV Libros divisus est: in quo opere non obscure ostendit Morhofius, se in nullius verba jurasse, quippe modo antiquiorum, modo recentiorum placita atque sententias calculo suo approbat, prout auctores a veritatis parte visi sunt stetisse. Liber I *Philosophico-Historicus* vocatur, in quo Historiæ Philosophicæ scriptores enumerantur, maxime Philosophiæ Barbaricæ, Populi Orientis & Septentrionalis, quos sequantur specialiores; Philosophiæ Pythagoricæ, Socraticæ, Stoicæ, Epicuræ, Scepticæ, Platonicæ, Aristotelicæ fata & scriptores, tum Aristotelis interpretes Græci, Arabici, Latini, ut & adversarii, doctores porro scholastici, speciatim nominales, reales, denique præcipui in philosophia novatores, Cardanus, Cartesius, Hobbesius, Paracelsus, Espagnetus, de quorum genio & scriptis Auctor accurate judicat. Liber II *Physicus* inscribitur, qui in Partes II abit, quarum prima Historiæ Naturalis notitiam monstrat ex Bac. Verulamio aliisque, Locorum item Communium in Philosophia scriptores exponit, & Physicam Mosaicam ejusque interpretes veteres & novos tradit. Succedunt Philosophiæ Ægypticæ naturalis, Chinensis, Indicæ, Pythagoricæ scriptores, & principia physica Democriti maxime & Epicuri proponuntur: tum sectæ Stoicæ principia, Pyrrhonorum & Scepticorum, sectæ Jonicæ, Platonicæ, cujus & commentatores enarrantur & consensus ac dissensus ab Aristotele ostenditur, ac mox ipsius Aristotelis principia, ejusque propugnatores & oppugnatores proferuntur. Adduntur & præcipui in Physicis novatores, qui ab Aristotele dissentiunt, maxime Bernardinus Telesius, cujus principia fusius examinantur atque refutantur. Neque minus Franc. Patricii, Campanellæ, Cardani, Jordani Bruni, Hobbesii, Paracelsi, Cartesii & qui eorum vestigiis insistant, principia expenduntur; denique quis consensus & dissensus inter veteres ac recentiores constituatur, & ut conciliari inter se possint, quæque principia constitui utique debeant, ostenditur. Parte secunda principia corporis naturalis uberius ex Aristotele ac recentioribus affert Auctor, & de monstris potissimum & causis, de eorum corporum affectionibus, in specie de quantitate, de loco & vacuo, de tempore, de mo-

tu corporum, de qualitatibus, de sympathia & antipathia, transplantatione, magia ejusque discrimine, de principiis mechanicis, mundo, cœlo ac stellis, elementis, luce, coloribus, igne, frigore, aere, aqua, mari ejusque fluxu & refluxu, terra, de usu elementorum, de meteoris aereis, imprimis de ventis, de meteoris igneis, de iride aliisque meteoris, de ignibus porro subterraneis ac terræ motu, de meteoris aqueis, nube, rore, nive, glacie, grandine, de alteratione, generatione & corruptione, de mineralibus & eorum scriptoribus, de variis terrarum generibus, de lapidibus eorumque generatione & petrefactione, de magnetete, ejusque causa & viribus, de lapidibus pretiosis, de vitro & gemmis artificialibus, de metallorum generatione & transmutatione, de mediis mineralibus, antimonio, succino, ambra, de salibus & nitro, de sale communi, vitriolo aliisque speciebus, de plantis & earum vegetatione, de earundem propagatione, de agri, vini & horti cultura, de plantis quibusdam specialioribus, malo aureo, citro, tabaco, de zoophytis & sensu plantarum, de animalium generatione & insectis ac eorum scriptoribus, de variorum animalium scriptoribus, de homine ejusque affectionibus, de animalium sensu, deque animæ rationalis sede distinctis capitibus agit. De quibus quid sibi promittere possint Lectores, facile intelligunt, qui Morhofium rerum naturalium peritissimum fuisse non ignorant. Libro III, qui *Μαλαίότερον* vocatur, primum de divinatione in genere ac ejus scriptoribus agit, hinc commendat artem cognoscendi hominum affectus & genium, scriptoresque commendat, tandemque scriptores physiognomicos, chiromanticos, onirocriticos, astrologicos, magicos recenset. Liber IV *Mathematicus* est; ubi principio de Matheseos scriptoribus in genere commentatur, tum specialiores refert libros, Arithmeticos, Geometricos, Opticos, Musicos, Geographicos aliosque. Subjiciuntur ad integrum Polyhistora Philosophicum diligentissimi Mollerii Notæ.

Ultimus restat Polyhistoris Tomus, PRACTICI nomine insignitus, & in libros VII descriptus, cujus primus *Ethicus* veteres scriptores, in quibus nonnulla Moralia sunt, breviter recen-

cenſet, & generaliores de hac diſciplina ſcriptores variasque va-
riorum tractandi moralia methodos proponit, & inter ceteras
methodum per fictiones ac fabulas, tum ſpecialiores adducit
ſcriptores, qui de rebus moralibus egerunt. Liber II *Politicus*
vocatur, ubi Politices ſcriptores ita recenset, ut primo ſystema-
tum & compendiorum autores, deinde ſcriptores de Republica
generaliori & ſpecialiori, poſtea vitarum ſcriptores, memoria-
rum & actorum publicorum collectores, ſcriptores ſatyricos, iti-
neraria politica, commentatores veterum Politices ſcriptorum,
diſſertationum politicarum autores, de ratione ſtatus ſcripto-
res, ac eos denique, qui de legibus gentium ac moribus commen-
tati fuere, enumeret. Sequitur Liber III, *Oeconomicus*, qui bre-
viſſimus eſt. In hoc Auctor recenset antiquos nonnullos & no-
vos Oeconomiae ſcriptores, poſt conſilium dat de integra com-
merciorum ſcribenda hiſtoria. Liber IV *Historicus* eſt, in quo
tam Civilis quam Eccleſiaſticae hiſtoriae ſcriptores perſequitur, &
praemiſſis quidem iis, qui methodum legendi hiſtoricos & ar-
tem hiſtoricam tradidere, aut compendia confecerunt, progre-
ditur ad Chronicorum vitarumque ſcriptores, quibus Genealo-
gicos addit; tum ad hiſtoriae Eccleſiaſticae ſcriptores, imprimis
generales, convertitur, demumque lexicographos, ſcriptores
patrologicos aliosque enumerat. Liber V *Theologicus* adpel-
latur, ubi auctor a Theologiae Naturalis auctoribus initium fa-
cit; hinc commendantur ſystemata ex veterum moralibus col-
lecta atque congeſta, ſequuntur, qui de religionis Chriſtianae
veritate ſcripſerunt, Naturaliſtae item, qui theologiam Chriſtia-
nam infringunt, nec minus ii, qui de atheiſmo hiſtorice, do-
gmaticae, elenctice egerunt, enarrantur. Poſt haec de Sacri Co-
dicis verſione, editionibus, lectione, interpretatione, commen-
tatoribus criticis & exegeticis agitur, quibus ſubjiciuntur Lo-
corum Communium Theol. ſcriptores, & Polemici, qui Judaeos,
Mahumedanos, Graecos, Pontificios, Calvinianos, Socinianos,
Anabaptiſtas, Chiliaſtas, Entuſiaſtas oppugnarunt. Liber VI,
quem *Juridicum* inſcripſit, generaliores primo naturae ac gen-
tium ſcriptores profert, quos ſpecialiores ſequuntur, qui de
jure naturae Hebraeorum, Judaeorum, Aegyptiorum & Graeco-

rum sunt commentati, nec non Historiæ Juris scriptores, Juris veteris Romani & Justiniani commentatores, ut & Juris Bibliothecarii scriptores, quo & Lexica Juridica referuntur, tum singulares juris interpretes & specialium controversiarum scriptores, quibus denique accedunt juris publici, statuari & practici scriptores. Liber VII, cui *Medici* nomen imposuit, admodum brevis est, cum Morhofius ad illos remittat auctores, unde accuratior rerum notitia hauriri potest, de methodo quoque & introductione ad artem medicam brevissime agens. Nonnullos tamen Medicos scriptores veteres recenset & horum commentatores, post ad specialiores Medicinæ partes transiens, de Physiologiæ & Botanicæ scriptoribus agit.

Preussisches Neuburg, und dessen Gerechtsame, abgefasst durch Peter von Hohenhard. Gedruckt Teutschenthal, 1708.

NOVUM CASTRUM EJUSQUE JURA PORUSSIÆ
Regi adserta, scriptore PETRO de HOHENHARD.

Teutschenthalii, 1708, 8.

Alph. i. pl. 14.

AUtor est libelli, quod sermone habemus aliorum, *Johannes Petrus Ludewig, Porussiae Regi a consiliis, Juris ac Historiarum in Fridericiana, que Hala est, Professor, atque Principis tabulario Praefectus.* Plura sunt, quæ Principis sui causa per octennium, & quod excurrit, idem Vir celeb. in publicum emisit. Diadema Porussiae ergo adscitum dissertatione illustravit *de Auspicio Regum*, in qua hoc argumentum plene expositum est ex monumentis Regnorum cultioris orbis fere universi. In gratiam illorum, qui prolixiora nauseant, eandem materiam in epitomen contraxit, in vernacula inscriptam: *Kronwürdiges Preussischer Adler*, quæ in volumine, quod scripta Viri Germanica comprehendit, exhibetur. Deinde cum Pontifex novum diadema libello, quem stylo Curiae Romanae Breve vocant, lacerasset, idem Auctor opusculum edidit in vernacula: *Päpstlicher Unfug wider die Cron Preußen*, quod

quod Latinus deinde interpres, quem id habuit, *Nenias* inscripsit *Pontificis Romani de jure Reges appellandi*. Post novo conatu regali dignitati oblocuti sunt Equites sacrae militiae addicti, Ordinis Teutonici, quod memoriam hac occasione recolerent Porussiae quondam, ut dixerunt, per vim amissae. Verum respondit ad haec Vir laudatus in lucubratiuncula, quam appellavit: **Verthaidigtes Preußen wider den Teutschen Orden**, atque haec altera jam vice impressa est. Plurima ejus generis scripta alia ab eodem scriptore exarata esse accepimus, quae in tabulario latent, neque lucem haecenus viderunt. Summa *Novi castri adserti*, quem librum recensendum suscepimus, haec est. Principio habetur enarratio causae, quam *Jcti speciem facti* dicunt, ubi historia exponitur controversae successionis in Principatu Novi Castri a primordio ejus ad tempora novissima. Cum vero neque adversa pars de historia disputet hujus Principatus, sed omne momentum jura hic ferant, aliquantum sub obscura, progredimur ad alteram partem, quae argumenta tractat jurium Porussiae Regis in Novum Castrum. In illis *primum* est sententia pro Rege Porussiae lata in ordinum Novi Castri curia suprema. Hac enim stare debent omnes illi, qui jura allegant Hochbergensia, Porussicis adversa, id est Longovillani, Badenses, Brissacenses, Diguierii, Villaregii, Carignanans, Contius, Sueffionum Comes, Wurtenbergius, Furstenbergius, Mallius, Alegrius, Montjoius, & si qui alii sunt, qui nos fugiunt, competitores, p. 497 recensiti. Nam extra controversiam esse putat Noster, Hochbergenses jure pactitio olim id dedisse Neoburgensibus ordinibus, ut ipsi judices essent in causa litigiosae in Principatum successionis. Deinde probat, plerosque eorum, quos diximus, litem coram hoc judicio intendisse aliis. Quod igitur principio voluntatis fuerit, nunc fieri necessitatis, neque integrum esse parti, ut forum relinquat, quod semel agnovit. Post etiam ex rationibus consilii arguit, consultum magis esse inter Christianos, per arbitros componere & expedire Principum lites, quam belli incendia excitare. Ad extremum possessionis jura extollit, quae Porussiae Regi obvenerint bona omnium civium ac subditorum pace. Alterum argumentum plene ac so-

lide tractat Autor, quod in eo cardo rei versari omnino videatur. Scilicet cum alii competitorum Porusisæ Regis Novum Castrum pro feudo habeant promiscuæ successione; alii pro mere hereditario, quod alienari potuerit, invito etiam & inscio domino: ipse ex plurimis iisque gravissimis causis contendit Novum Castrum esse *feudum pure masculinum*, quod, stirpe mascula extincta, foeminas excludat, dominoque, id est, majoribus Porusisæ Regis toties fuerit apertum, quoties defecerit proles mascula vasalli. Probat hoc 1 ex natura feudorum *universim*, 2 e peculiari indole feudorum *regalium*, 3 quia Novum Castrum feudum *datum* sit, non oblatum, ubi sæpius promiscuæ successiones tolerentur, 4 feudum Novi Castri eo tempore constitutum sit, quo Germania jam abhorruerit a successione foeminarum in Principatibus, 5 constituerit hoc feudum Rudolfus Habsburgicus Imperator, qui pestem Imperii habuerit, foeminas feuda hereditate capere alicujus momenti, 6 formula feudalis pro masculis concepta esse videatur, ex stylo Rudolphi conditoris, 7 militaria feuda regulariter non cadant in foeminas, quale feudum sit Novi Castri. Tertium argumentum illud est, quod post demum convenerint dominus & cliens, ut in Novo Castro succederent foeminae; neque vero aliae ex his, quam quæ filiae essent in *casa* patris; ceteræ autem excluderentur. Hac occasione accurate & docte formulæ explicantur clientelares: *tibi & filiabus casa tua*, ad fidem omnis fere ævi monumentorum. Porro quæstio illa ex moribus Neapolitanis exposita est: num filiam primogenitam, si hæc dotem acceperit, secunda natu excludat, idque perpetuo, an eo usque tantum, donec hujus exaruerit defeceritque posteritas? Primum & ultimum affirmatum est Doctoribus Italis, idoneis rerum ibi judicatorum testibus: alterum vero testibus iisdem est negatum. Universim dictum, prorsus esse incongruum, ad hanc consuetudinem confugere velle in causa Novi Castri. Quod illa 1 peregrina sit Burgundisæ & ditionibus vicinis, 2 intra limites utriusque Siciliae inclusa, 3 ab eadem feuda masculina abhorreant, quale Novum Castrum, 4 formulæ clientelares hic manifestæ sint, ut opus non sit tam longe petito patrocinio. Quartum argumentum

jura spectat, unde hereditas pateat Porussiae Regis, qua Cabillonensia quæque inque his postulata in Novum Castrum ad illum ejusque posteros pertinere videantur. Vis præcipua hic desumitur 1 ex testamentis Cabillonensium, quorum valor demonstratur prolixè ex variis causis & diplomatibus Cæsarum, 2 ex Regis Angliæ cessione Porussiae Regi facta. Superest quintum argumentum, quod cursim exponitur ad hominem magis quam ad veritatem, quæ patet aliunde. Scilicet, esto etiam, quod Friburgenses & Hochbergenses principio justam possessionem habuerint, eandem tamen illos feloniam crimine, in dominos directos Principes admissio, iterum amisisse. Objecta crimina recensentur: 1 negatum denombrementum, 2 fœdera inita contra dominos feudi, Cabillonenses, 3 temere negatum dominium directum, 4 temere arrogatus titulus Principis Dei gratia. Haecenus pars secunda. Sequitur nunc tertia, id est, dissipatio argumentorum partis adversæ. *Prima* ejus oppositio petita esse dicitur ab *indole feudorum Burgundiae*, quæ sint promiscuæ successionis. Verum respondet Noster, 1 Novum Castrum sequi naturam feudorum Alemanniae, quod patet ex ipsis literis investituræ *selon la nature des fiefs d'Allemagne*; ex persona illius, qui feudum Novi Castri condiderit; ex indole feudi hujus, quæ a Burgundicis prorsus aliena, quod plene docetur, 2 feuda ab Imperio ex eo tempore constituta, quo Novum Castrum in clientelam datum est, esse masculina, 3 ipsam Burgundiae feudorum naturam prorsus dubiam esse incertique juris, 4 non opus esse legibus vel statuto, ubi litteræ investituræ ordinem succedendi definiant, quod fit in Novo Castro. Altera oppositio est: *faeminarum semel exclusarum jura redire*, casu sic ferente. Respondetur 1 non opus esse hoc filo consecutionis ad asserenda jura Cabillonensium, 2 quod si eo niteremur, nullum hic locum Siculis constitutionibus de prærogativa filiarum in capillis fore. Tertia oppositio hæc: *plurimum tamen filiarum*, quæ succedere possint in Novo Castro, mentionem fieri. Respondetur, plures filias successorio ordine vocari; non ex filia præmortua liberos. Quartæ oppositionis robur: *testamento viti Hochbergenses*, uti eodem nitatur Rex

Porussia. Respondetur ad hæc: 1 feudorum regalium nullam esse testationem, 2 ejurasse testamenti factionem majores adversæ partis, quæ pacta omnino valeant in feudis, 3 Novo Castro nil cum vulgaribus Burgundia feudis commune esse, 4 Cabillonensia testamenta a Friburgensi toto cælo differre, cujus plurima documenta recensentur. Quinta & ultima oppositio: *Jura Cabillonensium in Novi Castri successionem pridem præscripta esse.* Respondetur, 1 non illa præscripta esse jure naturæ & gentium, 2 nec præscripta esse jure civili Romano, quod plane pleneque docetur ob factas interruptiones, defectum judicis & executoris, continua fere tempora bellicæ expeditionis & hostilitatis, causas legalium impedimentorum alias, 3 Cabillonensium jura in præscriptibilia esse ob præsumtam & probatam malam fidem Hochbergensium, possessionem eorum violentam, metum potentioris, contractum juratum, dubia circa feudales præscriptiones, 4 præscriptionem, possessione amissa, præscriptori porro non prodesse, quod plene docetur ex textu legum, analogia juris Romani civilis & canonici, & auctoritate vetustissimorum interpretum. Atque hæc sunt, quibus Auctor Consultissimus præclarum & momentosum argumentum excussit. In quo eo facilius atque feliciter versari potuit, quo majorem is apparatus in Germanico libello *Von Verbesserung des teutschen Lehenrechtes* prodidit, ex quo porro foris Germaniæ *Instituta Feudorum* pollicitus est, secundum mores mediæ ævi ad fidem diplomatum & monumentorum cum Europæ cultioris, tum singularum patriæ provinciarum. Quem laborem publico privatoque juri utilissimum rerum gnari valde expetunt, & quod audivimus, symbolis suis promovent adjutantque. Præterea recensito opusculo plura addita sunt, quæ non minus hic allegari merentur. Primo, appendicis loco, diplomata & monimenta habentur, ad historiam & jura Novi Castri facientia. In his non ultimum locum merentur commentarii Illustrissimi Comitis de Metternicht, Porussici ad Novocastrenses Legati, qui seriem rerum ac litium fideliter & cultissimo scribendi genere exponunt. Deinde genealogiæ in diversis locis diversæ occurrunt. Pagina 132 videre licet, quomodo

modo directum dominium Novi castri a Cabillonensibus ad Auriacos, ab his ad Nassovios, atque hinc ad Porusis Regem devenerit. Pagina 106, sed plenius longe p. 498, stemma exhibetur, quod omnium fere competitorum familias nectit, ut intelligatur, quo juris ordine singuli Novum Castrum postulaverint sigillatim. Præterea æri incisa conspiciuntur cum insignia Neoburgensia, tum ejusdem nominis urbs. Ad extremum scriptoris Galli, Mr. Desmolin historia Neoburgensis Comitatus in illis locis confutatur, ubi Porusis Regis juribus is obviam it, animumque prodit partium studiis corruptissimum. Ubi maxime notanda sunt discrimina Burgundis feudorum a feudo Novi Castri, quæ utraque sibi e regione terse luculenterque opponuntur. Habes etiam, quod obiter addimus, p. 298 universi operis sciagraphiam, ut nervus argumentorum pateat, perspiciaturque, quo invicem ordine ac nexu omnia cohæreant, ne inanium specie ad hominem magis, quam ad veritatem disputatum esse videatur.

*GULIELMI BEST, JCTI, RATIO EMENDANDI
Leges, sive Libellus, in quo secundum regulas certas, plurimæ emendantur Leges, nonnullæ explicantur, stabilitæ, plerisque in locis PANDECTARUM FLORENTINARUM auctoritate. Addita sunt etiam aliorum auctorum loca non pauca, & ex Codice Theodosiano quedam Leges, quibus iisdem ex regulis petita adfertur medicina.*

Ultrajecti, apud Gul. vande Water, 1707, 12.

Constat 19 plag.

EO curas omnes atque cogitationes contulisse deprehendimus Clarissimum hunc Jctum, ut leges Romanorum, summa cum prudentia atque æquitate sancitæ, quibusque Respublica illa ex sordidis initiis emerfit, mirifice amplificata crevit, & ad summum tandem felicitatis fastigium evecta floruit, ab omnibus & intelligerentur quam facillime, & legerentur, quantum fieri

fieri potest, emendatæ. Nisi enim intelligantur, jus etiam secundum eas non posse dici, nec justitiam coli, nec civitatem gubernari. Cumque ad intellectum illarum perveniri nullo modo possit, si vel tenebrosa illas obscuret difficultas, vel deformes mendæ commaculent, opem purioris atque elegantioris Jurisprudentiæ studiis secundum quasdam regulas ex Pandectis Florentinis & sana ratione depromptas afferre idem annisus est. Ita tamen, ut ii, quibus præter humaniores literas nihil placet, hic reperirent nonnulla etiam variorum auctorum, Horatii, Martialis, Quintiliani imprimis, tum & Varronis, aliorumque loca, quæ secundum eadem illa præcepta optime emendari posse videbantur. Omnibus enim modis lectores allicere, & captare; & captare jucunda hac varietate, multumque gratiæ operi huic apta brevitate adspargere, & omnibus hisce illecebris lectores se inescare voluisse haud dissimulat Noster. Illud præterea modeste affirmat, omnia ista, quæ hic vides, si non alia ratione, at novitate saltem non plane ingrata fore, ipsi certe Besti, cum illa scriberet, nova fuisse, neque ex aliis tunc quidem cognita, & pleraque ista, quæ hic occurrunt, non alibi, quam in hoc libello, legi posse. Inter Regulas autem hæc est prima, *explicationem non plane ineptam Lætionis Florentinae præponendam esse cuicumque etiam ingeniosissima mutationi*; salva tamen levi quadam conjectura dubitanter proposita. Varii hinc textus juris nova explicatione illustrantur. Sicut probaret, in *L. 3. ff. de Transact.* agi de specie facti toto cælo diversa ab illa, quæ in *L. 14* ab eodem Scævola ventilatur, deferendum sibi non Accursium tantum, cujus distinctionem inter legatarios & creditores etiam Wissenbachius, Ulricus Huberus in *Eunomia* aliique sequuntur, sed & ipsum Gerardum Noodt, quem seculi nostri lumen appellat, ac Petrum de Toulieu, Professore Academici Lingensis, censuit. Ait enim, in *L. 14* controversiam super fideicommissis ortam esse inter legitimum heredem, i. e. *fideicommissarium*, & scriptum, i. e. *fiduciarium*. Et hunc quidem fere semper heredem institutum, aut heredem scriptum vocari. Illum autem a Scævola eodem jure potuisse appellari heredem legitimum, sicut omnes isti,

C. IC. 14. 18.

24.

Præfat.

C. 1. p. 5.

C. 2. 3. 4. 5. 6.

C. 4.

p. 7.

p. 59.

isti, qui ex L. XII Tabb. aut ex alia lege ad hereditatem admittuntur, in jure vocentur legitimi. *L. 2 §. ult. ff. Unde legit.* Vel etiam heredem *fideicommissarium* inverso ordine appellari *scriptum* heredem, dum legitimus, qui fideicommissum debet, ipse non institutus, sed simpliciter restituere rogatus sit. Nam & ab intestato relinqui potuisse fideicommissa. Respondere ergo Scævola: *si*, i. e. *sive* iidem creditores essent, qui transactionem fecissent, (h. e. qui Titium & Mævium, ut amice transigerent, hortatione & auctoritate sua impulissent,) *sive* alii creditores essent, pro parte hereditatis, quam uterque in transactione expresserit, utilibus conveniendum. Forte etiam concise Scævola locutum, adeoque subaudiendum fore, *nihil refert*, aut, *res eodem recidit*, aut simile quippiam, quod sensum reddat pleniorum. Solam certe judicis sententiam actionibus directis potuisse facere locum. Cum autem iniquum foret, ut Titius & Mævius in gratiam creditorum cogentur litem placide sopitam resuscitare, & in re plane dubia periculosum judicii certamen subire, propter incertum successionis utiles actiones iis dari. Reliqua verba a Taurello Contioque allata, adventitia esse & meras glossas. Secunda regula est: *Tutissimam esse Legum emendandarum rationem illam, quæ ex sola distinctionis commutatione tota constat.* Illam autem facit triplicem. Vel enim, retentis iisdem plane verbis, solas interpunctiones novum & sanum sensum producere; vel ex iisdem literis, sed quæ male dispositæ erant, aut conjunctis aut separatis, plane alias ac novas voces gigni, vel, servatis iisdem verbis atque distinctionibus, diversos JCTos adsignari ejusdem legis Auctores, quæ alioquin se ipsa impugnare, aut saltem, quia nomina illorum expressa non sunt, sensum sui recondere videatur. Non enim semper distincta esse nomina Notatorum a nomine illius JCTi, ad quem sint commentati. Sic in *L. 4 §. 1 ff. de peric. & commod. rei vend.* Ulpiani verba Sabinianis interjecta existimat. Sabinum enim loqui in illis: *Si aversione &c.* Ulpianum contra in his: *Difficile autem est &c.* ac iterum Sabinum: *Dies enim &c.* Similiter in *L. 1 ff. eod. tit.* incipere verba Sabini: *Si vinum &c.* sequi autem verba Ulpiani: *quodsi non &c.*

p. 8.

96.

C. 8.

C. 9.

- his subjungi denuo verba Sabini : *Sed & custodiam &c.* denique Ulpianum concludere : *quod & verum est &c.* Fate-
 tur tamen Bestius, hanc ultimam distinctionem propter divi-
 nationis incertum longe prioribus duabus esse postponendam;
 & ad hanc regulam secundam proxime accedere permutatio-
 nem talium literarum, quæ a librario Codicis Florentini pro-
 miscue sint usurpatæ. Tertium arcanum vocat geminatio-
 nem literarum vocumve. Si enim litera una pluresve, aut
 etiam integræ voces plane similes atque eadem, absque ullo
 concurrerent intervallo, librarium illum semel tantum, & ci-
 tra ullum signum aut indicium geminationis, istas literas vo-
 cesque exarasse; Lectoremque igitur per solum sensum & con-
 structionem scire debere, illas geminandas atque iterandas. Ac
 de literarum quidem geminatione plena esse omnia. Inte-
 gras autem voces nonnunquam per geminationem etiam ite-
 randas, ante se, quod sciat, dixisse neminem. Et hinc in *L. 8*
§. 2 ff. de pecul. leg. pro, quod alteri debet, legit, quod alter alteri
debet. Atque in *L. ult. §. 6 ff. quæ in fraud. cred. pro, fenserit,*
qui maturi fuerint, legit, qui immaturi fuerint. De quasinge-
 minatione agitur *C. 15. 16. 17.* Quintum vero correctionis re-
 medium ei ex adspirationis permutatione depromitur. Qui-
 bus absolutis, *Et hætenus,* ait, *securi littus legimus. Jam vero*
destituto certis illis auxiliis alia circumspicienda sunt remedia. In-
 ter hæc igitur principem locum obtinere ipsi videtur unius so-
 lummodo literæ vel transpositio, vel interjectio, vel deletio,
 vel cum alia permutatio. Eaque ratione in *L. 10 ff. si pars he-*
red. pet. pro, ei cujus nomine, legit, & ei, cui ejus nomine. Por-
 ro in *L. 43 ff. de damn. inf. pro, adeoque restipulatus est, cor-*
rigit, ab eoque restipulatus est. Quod si non possit res confici
 per literam, integras voces vult permutandas; de quibus sci-
 licet constat, sæpissime eas variari in MSS. Aliquando ipsam
 etiam constructionis naturam & difficultatem in errorem po-
 tuisse inducere librarios, ut inter scribendum corrigerent ratio-
 nem loquendi, cum tamen sensus, qui a sequentibus pendet,
 plane perfectus sit atque integer. Et per hoc arcanam in
L. 2 C. Commun. de Leg. & fid. pro, quod non habet naturam
 lega-

p. 10.

16.

18.

C. 11. p. 136.

C. 13. p. 155.

24.

25.

C. 19. p. 207.

C. 20. p. 211.

30.

C. 24. p. 246.

legatorum, legit, *quod non habet natura legatorum.* Sed & in *L. 8. C. de pact. conv.* pro, pari arbitrio, scribit, *pai arbitrio.* Nonnunquam quoque transponi posse censet vocabula in alium locum. Id tamen nec temere faciendum, nec ultra duas tresve voces extendendum. Itaque in *L. 9 §. 1 ff. de fund. dot.* emendat, *utrum eorum dotalem malit, esse :* pro, *utrum eorum dotalem malit.* Sic enim nullum verbum legi, sed suum tantum locum verbis & distinctionem defuisse. *Et hæc, inquit, sunt regule atque norme, ad quas putamus omnem fere crisi exigendam esse.* De conjectura autem liberiori in locis desperatis agit C. 25, ostenditque C. 26, notas in Editionibus Taurelli, Russardi, Charondæ, Pacii, pessimo exemplo confusas inter se esse in plerisque Dionysii Gothofredi editionibus. Et quod amplius, ultimo denique Capite profert etiam nonnulla in Codice Theodosiano Jacobi Gothofredi observata, quæ diligentiam summi illius Viri videantur effugisse, ac præsertim *L. 3 ad L. Jul. de Adult.* ex duobus locis Græcis Luciani in Amoribus illustrat. Libros Basilicorum vero sibi nondum licuisse commode inspicere fatetur. Et contra, alia forte occasione bellum sibi infestissimum fore subinnuit cum omnibus Codicis Etrusci glossatoribus & centonum consutoribus, atque ita se vindicaturum illius integritatem, tantum non pollicetur. Cui proposito & plane necessario & summe laudando Themis haud dubie gratulabunda annuet.

p. 250.

33.

34.

43.

207.

TRAITÉ DES EVNUQUES.

i. e.

TRACTATUS DE EVNUCHIS, AUCTORE
C. D'OLLINCAM.

Anno M DCC VII, 12.

Constat 9 plag.

Occasionem hujus libelli ipse Auctor in Dedicacione ad doctissimum Bælium, cum adhuc esset in vivis, per-scripta exponit. Nimirum cum multi Eynuchi ex Italia

Qq 2

pro-

proficiscentes, qui arte Musica imprimis excellabant, in Belgio sedem figerent, nonnulli ex iis honestis & nobili loco natis foeminis imponere tentarunt, utpote quibus persuadere conati sunt, ut matrimonium cum ipsis contraherent. Neque omnes oleum atque operam perdiderunt. Quidam enim animo cujusdam virginis ita se insinuaverat, ut propositionibus de matrimonio ab ipso factis haud illubenter aures praerberet. Ut igitur haec ab instituto deterreretur, quidam e propinquis ejusdem ab Auctore rogavit, ut hunc laborem in se susciperet, atque judicium de hisce matrimoniis per modum consultationis literis consignaret; quibus precibus cum locum facile relinqueret, praesens libellus enatus est. Ille autem constat tribus partibus, in quarum prima Auctor id agit, ut ostendat, quid sit Evnuchus, quot sint Evnuchorum genera, & quem locum in societate qua civili qua Ecclesiastica obtinuerint. In primo itaque Capite primae Partis ante omnia fundamenti loco hanc thesin ponit, dari omnino Evnuchos, utpote quorum tum Scriptura sacra, tum historia profana saepissime mentionem faciat. Quo autem tempore mos ille mares castrandi primum invaluerit, extra controversiam positum non est. Sunt, qui Semiramidi hoc tribuunt, freti testimonio Ammiani Marcellini, nec non Claudiani. Sed haec sententia Auctori vel propterea dubia videtur, quod Diodorus Siculus, accuratus ille historiae Semiramidis scriptor, hac de re nihil plane memoriae prodiderit. Doctissimus Vossius in ea opinione est constitutus, Persas hanc detestabilem consuetudinem introduxisse, & vocem Latinam *spado*, varia Evnuchorum genera sub se continentem, a pago quodam Persarum *Spada* ortum traxisse, ubi primam hujusmodi actionem exercitam fuisse contendit. Vossio autem ex hac parte Auctor pollicem propterea premere non potest, quod ipsa Scriptura sacra Evnuchi cujusdam meminerit, Potipharis nimirum, qui Josephum emerit, atque multo ante Persas vixerit. Cap. II Auctor describit, quid sit Evnuchus, & dicit eum esse, qui non possit generare vel propter infirmam aut frigidam naturam, vel cui partes generationi inservientes sint abscissae, & talem hominem haud

immerito prodigium naturæ appellari posse, qui nec mas nec
 fœmina sit, adeoque tum quoad corpus, nimirum mutilatum,
 tum quoad animum prorsus effœminatum nullius plane pretii.
 Qua occasione locum Basilii adducit, in quo Evnuchorum vitia
 exponuntur; & quamvis Theodorus, præceptor Constantini
 Porphyrogeniti, Apologiam pro Evnuchismo & Evnuchis scri-
 pserit, hoc tamen opus non aliter considerari posse, quam
 Elogium Isocratis de Busiride, Cardani de Nerone & arthri-
 tide, Synesii de paupertate, Passeratii de cœcitate, Phavorini
 de deformitate ac febris quartana, multorumque aliorum ora-
 tiones, quibus id laudare sustinuerunt, quod ab omnibus una-
 nimi consensu contemptim habetur. Cap. III, IV & V Auctor
 varia Evnuchorum genera recenset, ac in primis inquit in sen-
 tentiam Ictorum, quatuor eorundem genera constituentium,
 quos tamen propterea reprehendit, quod sub nomine spadon-
 nis singula Evnuchorum genera comprehendant, cum tamen
 magna differentia inter Evnuchum & spadonem intercedat.
 Cap. VI porro de iis agit, qui se ipsos castrarunt, inter
 quos primo loco collocat Origenem, qui cum ratione officii
 multum cum personis sequioris sexus versari necesse habe-
 ret, ut gentilibus occasionem calumniandi præriperet, se ipsum
 excidit, inductus præcipue verbis Christi secundum literam in-
 tellectis: *sunt castrati, qui se ipsos propter regnum cœlorum ca-*
strarunt; cujus tamen consilii ipsum postea pœnituit, quippe al-
 legata Christi verba spiritualiter interpretatus est de illis,
 qui amore virtutis & pietatis inducti, ac ut se totos Deo ejusque
 cultui consecrare valeant, penitus a fœminis abstinent, non ma-
 gis rem cum iisdem habentes, quam si castrati essent. Origenem
 postea Valesius imitari cupiens, eo dementiae progressus est, ut
 verba Christi non pro consilio, quemadmodum Origenes pri-
 mo fecerat, sed pro præcepto haberet, quod omnibus obser-
 vandum esset, qui regnum cœlorum ingredi vellent. Hinc
 aliis, vel maxime invitis, genitalia propria manu temerarie re-
 scindebat. Quæ hæresis dicta fuit Valesianorum, sive Evnucho-
 rum, & mox iterum expiravit, posteaquam a primo concilio
 Nicano condemnata fuerat. In reliquis Partis primæ capitibus

Auctor ostendit, quem locum Evnuchi in societate tum civili tum Ecclesiastica obtinuerint, & quidem quod ad priorem attinet, multis exemplis tum ex historia sacra, tum profana desumptis probat, Evnuchos apud Reges ac Principes sæpe maxima valuisse gratia, ac primariis in Republ. dignitatibus conspicuos fuisse, ita ut imperium penitus ipsorum nutu atque arbitrio fuerit administratum. Illud tamen observandum esse Auctor monet, in sacra Scriptura eos nonnunquam Evnuchos appellari, qui non revera secti fuerunt, sed qui in locum Evnuorum ratione officiorum, quæ antea castrati sustinuerant, successerunt. Hoc sensu accipiendum esse, quod Scriptura de Evnuchis Pharaonis Regis Ægypti atque Regum Judæorum memoriæ prodidit. Sic enim verbi gratia Potipharem propterea tantum dici Evnuchum, quod munere functus fuerit, quod hactenus semper ab Evnuchis fuerat administratum. Ipsum enim Potipharem non revera fuisse castratum, vel exinde patere, quod uxorem habuerit, nec non filiam, quæ postea ex nonnullorum sententia Josepho nupsit. Ceterum vero leges divinas & humanas tum Ecclesiasticas, tum civiles Eunuchis minime favere, quin potius omnibus ferme privilegiis eosdem spoliare, vulgo satis notum est. In Parte secunda Auctor progreditur ad illam quæstionem, cujus causa hanc scriptionem potissimum instituerat, an scilicet Evnucho licitum sit matrimonium contrahere? quam quæstionem omnino negat, atque argumenta pro sententia negativa imprimis desumit a fine matrimonii primario, qui est procreatio sobolis, cui Evnuchus nunquam satisfacere valeat. Præterea multa gravissima incommoda recenset, quæ Evnuchorum matrimonia necessario afferunt, adeoque si contigerit, tale matrimonium fuisse contractum, illud pro nullo ac invalido esse declarandum statuit. Denique etiam demonstrat, nec leges Civiles, nec religionem Romano-Catholicam, nec religionem Lutheranam, vel Reformatam pati, ut Evnuchis matrimonium concedatur. In tertia tandem Parte omnes objectiones diluit, quæ pro defendendis vel excusandis Evnuchorum matrimoniis adduci solent, quas hic prolixius recensere vel propterea supervacaneum existimamus,

mus,

mus, quod superiori seculo hanc ipsam quaestionem in Saxonia
fatis superque excussam atque ventilatam fuisse meminimus.

*GODOFREDI BIDLOO EXERCITATIONUM
Anatomico-Chirurgicarum Decades duae.*

Lugd. Batavorum, ap. Jordanum Luchtman, 1708, in 4.

Alphab. i, plag. ii, Figur. tabul. 15.

Quatuor abierunt anni, cum Experientissimus Autor Exer-
citationum Anatomico-Chirurgicarum Decadem primam
in lucem ederet, ac in prima & ultima earum de Nervis, veluti
solidis, nullos spiritus animales continentibus, in reliquis au-
tem de Hydatidibus, Phlyctænis, Extraneis de vulneribus exi-
mendis, Amuletis, Varicibus, Oculo purulento, Excrescentia
in foeminæ inguine derepente oborta, atque Verrucis ageret.
Stipatam hanc nunc sistit non solum quatuor Dissertationibus
Anatomico-Physiologicis, in fine adjectis, sed & imprimis lauda-
tarum Exercitationum Decade altera, in quibus Excrescentiam,
in ejusdem foeminæ inguine denuo enatam, Pannum, Unguem,
Encanthidem, Mammellam juveni tubicini extirpatam, oculi
prolapsum, os cribrosum & nervos olfactorios læsos, Leuco-
ma, Exostofin & Amavrosin perpendit. Quo indefessum ta-
men Autoris studium patefcat de Arte Chirurgica æque ac de
Anatomica bene merendi, haud opus videtur singulas Exer-
citationes hic delibare, sed sufficiet vel pauca de Hydatidibus,
Phlyctænis, Varicibus, Panno, Ungue, Encanthide ac Amav-
rosi in medium attulisse. Hydatidum videlicet alias ex dila-
tata inter valvulas lymphatici vasis intercapedine, post hujus a
glandula remotioris angustiam quamcunque præternaturalem,
enasci, variasque ipsarum in membranis nunc pendulas, nunc
deciduas & excernendas, produci, alias vero vasis sanguiferis
præditas in locis glandosis, ubi arteriæ finis, venæque ac vaso-
rum lymphaticorum initium & secretio materiæ nutritiæ, ab
hac transitum haud reperiente temporis tractu extensis effor-
mari atque subinde intra sacculos membranaceos crassiores mul-
tas & varias hydatides primi generis recondere; utrumque
ni-

nihilominus genus, si quidem curationem admittat, nonnisi chirurgice. i. e. comprimendo, deligando, extirpando, scalpello, forcice, igne posse removeri; singularibus exemplis non minus demonstrat, ac figuris appositis illustrat. Neque observationes omittit, quibus tertium Hydatidum adstruat genus, specie tuberculorum depressorum, subito flaccescentium, albescientium, ulcerisque formam induentium, labia scorbuticorum ex albo livida sine dolore interne occupans ac potissimum nutritionis organo & vasis lymphaticis inhærens, quamprimum sacrificandum, ne labia, genas & ossa gangræna, sphacelo & carie corrumpat. Multam phlyctænæ artuum ab oculorum phlyctæna indigitat discrepantiam: phlyctænam quippe artuum pellucidas existere vesiculas, liquore modo subflavo, modo albido turgidas, in cute non modo artuum, verum & pectoris ac dorsi utriusque sexus, copiose, cito & cum pruritu erumpentes ac facile scabiei, exedentis ulcusculi, herpetisve characterem exprimentis, nisi pertundantur aut exsiccantur; phlyctænam vero oculi in hujus membranis anterioribus lente, sine pruritu ac semper rubram, veluti arteriæ extremitatem apertam, emergere pannique aliquando, ni removeatur, assumere formam. Ideoque phlyctænam etiam artuum initio, præter internam medicationem & diætam ex malacticorum lenientiumque genere, topicis anodynis ac desiccantibus, v. gr. vino diluto, solutione opii, unguento albo camphorato, unguento diapompholygos, aqua plantaginis cum saccharo saturni & liquore tartari &c. curari, solasque vesiculas induratas acu vel minusculo scalpello esse pertundendas; oculi autem phlyctænam in principio talibus tolli, quæ sine, aut saltem levissima incrustatione exsiccant, ex. gr. gummi Arabico, gypso, sarcocola, cerussa, subtilissime pulverisatis, ac subinde admisto albumine ovorum, cum alumine conquassato. Ægroti occasione, qui a tribus ingentibus varicibus, exteriorem regionem genu dextri infestantibus, postulaverat liberari, Noster, præmissa differentia varicum ab aneurysmate, quid varix sit, an unus ab altero differat, ac quæ circa ejus curationem notari mereantur, pluribus differit: varicem namque venæ alicujus cutaneæ majoris,

una cum suis ramificationibus, morbosam haberi dilatationem, in superficie corporis tumorem livido-rubrum, inæqualem & sine pedunculo constituentem, dependentem a tono alicujus partis venæ, ex violento artuum motu & multa mox insequente quiete amisso, a nimis itidem venarum compressionibus, constrictionibus, similibusque. Varicem quidem a varice non nisi magnitudine, loco & tempore discrepare, omnemque varicem curatu existere difficilem, curationem tamen ejus venire accelerandam, totique corpori esse necessariam, ad suum exemplum butyro antimonii suscipiendam. Tametsi pannus eodem modo, ut unguis, curandus videatur, optime tamen Noster annotat, diversos hosce oculorum esse affectus, diversisque pariter mediis removendos: pannum siquidem tunicæ adnatæ, aliquando simul corneæ, deprehendi talem excrescentiam mollem, planam, rubicundam, cito incrementem & dolorificam, in qua vasa sanguifera nimis turgeant, præter alia, quæ tam nimium sanguinis motum compescant, quam quæ evacuent, potissimum topicis anodynis, malacticis, lenientibus, corroborantibus, atque tono partium restituto, desiccantibus, removendam; unguem vero adnatæ tunicæ esse excrescentiam livescentem in lamellæ formam ad & in corneam aliquando extensam, aptam, quæ (ala inde dicta) ab hac instrumento obtusiori elevetur, initium capientem circa alterutrum oculi canthum in tunica adnata læsa a puncto (unde pinna, pinnula) duriusculo, nunc majori, nunc minori, cartilagineamque demum duritiem contrahentem, volsella commoda apprehendendam & forcice acuto rescindendam, sin regerminet, stylo ignito per cannulam æneam consumendam. Encanthis ipsius quoque tunicæ adnatæ, ad utrumque oculi canthum laxè complicatæ, in tumorem rotundum, pedunculo insistentem perhibetur excrescentia, ab ungue & panno differens, quod mox in lamellam extensa absque tunicæ adnatæ ruptura, limboque inverso vel vasculis sanguiferis luxuriantibus oriatur, pellicula extus tegatur, pedetentim crescat, & crescendo mollescat, filo serico constringenda, & ubi exciderit, pedunculi vestigia cauterio actuali exsiccanda. Amauroseos denique causa quemadmo-

dum deficiens staminibus nervi optici statuitur liquidum, ita amaurosis senilis merito incurabilis reputatur, iique perstringuntur, qui, post varia evacuantia, salivantia demum pro ipsa tollenda præscribant.

L'ART DE TOURNER.

h. e.

ARS TORNANDI, AUTORE R. P. CAROLO PLUMIER, Religioso Minimo.

Lugduni Gallorum, apud Johannem Certe, 1701, in fol.

Constat 2 Alph. 7 plag. & Tabb. æn. 73.

SERius equidem ad nos delatum est opus ingeniosum, curiosum ac utilissimum, cum tamen unicum in hoc genere existat, quin ejus mentionem injiciamus fieri nequit. Autor ipse qui Plantarum Americæ descriptione & tractatu de Filicibus Americanis antea editis, nobisque in Actis A. 1694 p. 491 & A. 1707 p. 324 commendatis, hactenus inclaruit, non diffitetur, in catalogo operum *Hieronymi Cardani*, Medici Mediolanensis, mentionem fieri libelli de Arte Tornandi; monet tamen, nonnisi nudam hujus Artis sciagraphiam in eo contineri. Nec Autorem fugit, quod *Jacobus Besson*, Delphinus, in libro de instrumentis Mathematicis & Mechanicis tres machinas adumbraverit, quarum ope teretis figuræ baculus, vas ovale helicesque super conum & cylindrum formari queant; quod in libris *Salomonis de Caux* machina ad ellipses tornandas extet; quod denique *Felibien* in Principiis Architecturæ, Sculpturæ & Picturæ Gallico idiomate Parisiis 1697 in 4 editis de torno agens, terminos artis tornandi explicet, primosque inventores indicet; atque *Moxon* Anglus in tractatu generali de Artibus Liberalibus tornum nonnisi simplicem explicet. Enimvero quoniam hæc omnia simul sumta minimam constituunt eorum partem, quæ in Arte Tornandi huc usque inventa sunt, Autorem quoque a compositione hujus operis revocare nec valuerunt, nec debuerunt. Ipse nimirum non modo in formam Artis redegit, quicquid

quid hæcenus circa tornum ejusve usum a perspicacissimis ingeniis detectum; verum etiam de propriis multa addidit, Theoreticæ quippe atque Mechanicæ peritissimus, quoque magis omnes devinciret, Gallico pariter & Latino idiomate vulgavit. Eum in finem cum viris circa torni usum expertissimis, *Fmanuele Magnan*, e Minimorum familia, *Claudio Chappuis*, e Societate Jesu, *Marotti & Faucher*, civibus Massiliensibus (quorum ultimo parem hac artis peritia in mundo unquam extitisse negat) magistris artem tornandi didicisset, per diversas Europæ regiones itinera faciens, summo cum studio inquisivit, quinam hujus artis peritia nomen famamque sibi comparassent, ne quicquam alicubi effectum ipsum lateret. Quodcunque autem vidit opus, id manu propria imitatus est, compositis machinis ad hoc requisitis, ne quid inexpertum scriberet, quodque tentaturi spem eluderet. Inter eos autem, ex quorum commercio se profecisse gratus profitetur, potissimum celebrantur *de Clotomont & Abbas Forcet de la Guiche*, quorum hunc in Mechanicis peritissimum invenisse ait, quicquid ad torni perfectionem & elegantiam laborisque levamen adscisci optarique potest. Gratias quoque publice agit Abbati *de Servieres*, magno in Ecclesia Saviniensi Priori, quod non tantum, quas in hac arte habebat machinas rariores, Autori notas fecerit, sed & benevolentia singulari concesserit, ut elegantiora ex eboris opera in ipsius laboratorio ad ornatum libri designaret; itidemque Abbati *de Perichon*, quod haud exiguos ad editionem operis promovendam sumtus suppeditarit. Accuratam operis recensionem Autor ipse in Præfatione instituit, ut adeo nobis eandem molientibus nulla alia re opus sit, quam ut eam huc transcribamus.

In decem, inquit, partes hoc opus distribui, in quarum prima de torni elementis ago, deinde doceo modum scamnum stabiliendi, luce fenestrarum jucunde illustrandi, commodum locum tenendi, instrumenta solerter ac industrie tractandi, utendi & cognoscendi, ea recte cudendi, limandi & indurandi. Modum patefacio ferrum facile tornandi ad axes & arbores efformandos, viam ad chalybes varios dignoscendos & eli-

gandos aquaque indurandos, rationem parandi & eligendi perticas aut ligneos arcus, funes quibus uti debet tornator, viam instrumentorum acuendorum, electum silicum & lapidum oleaceorum ad acuenda instrumenta, uno verbo, singula scitu necessaria (tardo ingenio excepto) absque ullius magistri documento. In secunda tornum simplicem exhibeo, aut, si mavis, tornum vulgarem duobus apicibus instructum, modum, quo puppæ, fulcimenta, cunei debeant formari, differentiam inter locum foramenque apicum seu onodacum ad lignum tornandum, & locum foramenve pupparum ad ferrum tornandum; usum novi sustentaculi seu fulcimenti immobilis, lunularum, tam lignearum quam metallicarum, tam integrarum quam divisarum, modum tractandi arborem seu axem ad tornandum in suspenso libero & pinnis seu cuneis ad incidendum omne helicum genus, lunulam denique circini figuram æmulantem. In tertia de torno figurato aut ad figuranda opera apto sermonem habeo, in qua probo, tornum non posse figuram humanam effingere, sed solummodo figuras aliquas regulares. Doceo tamen iter, quod tenendum esset ad vultum vel numisma aliquatiter imitandum. Mensuras tabularum seu scamnorum trado, quomodo locandæ sint rotæ, tam pedibus quam manibus mobiles, tam super tornum quam super scamnum; quomodo sint disponendi & nodandi funes, ne movendo concutiatur & saliat opus; quomodo accedere aut retrocedere debeat axis, ut formentur repens figura, squamæ, coronæ, &c. modum tenendum in formandis pixidibus undulatis, aut baculos interruptos effingentibus. Dispositionem lunularum & tudicularum, ut axes motu tremulo girentur; elaterum situm; sacomatium usum, tam ad lævam quam ad sinistram, tam accedendo quam retrocedendo; rationem denique instrumenti firmiter sustinendi tornando falcule ferreæ ope. Quarta torni paralleli exhibet usum, cujus extremitates arboris moventur parallele ad axem. Ibi vitantur pericula præcedentis torni, in quo opera magnam diametrum habentia, sunt crassiora in centro & tenuiora ad circumferentiam propter circulum descriptum a summitate axis, alia extremitate fixa in centro existen-

te, ex quo facilem modum aperio ellipsium faciendarum rosularum duarum ope. Machinam novam & singularem ad ellipses, tam simplices quam figuratas, tam magnæ diametri quam parvæ, patefecio, in qua vitatur periculum formandi ellipsin in formam soleæ aut in figuram 8 chifræ, quod præcedentis torni est vitium. Alia figura ovalis demonstratur cujuslibet magnitudinis arbitrariæ solo annuli auxilio: denique tornus cancellis instructus, in quo tot rosulæ juxta axis longitudinem collocari possunt, quot continere potest. Quinta in publicum profert pixides, seu machinas ad ellipses formandas, quæ super omne torni genus locantur. Multæ tabarinæ pixides exhibentur, singulæ differentes & raræ. Trado modum novum, certum & a paucis cognitum ad omnes ovatas figuras faciendas auxilio facilis machinæ, quæ super omne genus axis apponi potest, & formare ellipses absque auxilio rotæ, si lubet, pedalem & arcum tantummodo adhibendo. Sexta elegantiores rosulas, quæ potuerunt excogitari, repræsentat, ut motu tremulo axes girentur & eorum auxilio figurentur opera. Indicatur modus delineandi eas circino, ut sint in exemplar ad similes in futurum excogitandas & adumbrandas, præterea catagrapha & architecturæ ornamenta torno accommodata docentur, ut tornator ea callens opera sua ornet, & ab omnibus probentur. Septima sermonem habet de translatis & ferreis tornis, quæ tabulis firmantur, instar forcipis aurarii; de cellulis & horologiariis tornis; singulatimque eorum figura, fabrica & mensuræ propalantur. Octava multas machinas continet, ut propellendo cultrorum capuli, bacillorum capitelli, columnulæ diversis figuris insculpentur, velut undulationes aut ovals figuræ seu ova. Eximia machina declaratur, quæ supra cultrorum capulos adamantis facies imitantur, quæ machina a nonnullis Anglicana vocitatur. Videtur insuper machina singularis ad figuram spiralem, tam simplicem quam undulatam, columnulis inducendam commensurato gradu figuras incidens: uno verbo, alia ad tortilem figuram vulgarem. Nona quædam peculiaris opera faciendi viam aperit, veluti ut excentricæ figuræ torno fiant, gradus excentrici & spirales. Quo-

modo globus exacte rotundetur, qua ratione excidantur plures globuli in eodem globo tanquam tunicae alii alios ambientes & continentes. Docetur modus, quo in globo aliquo urna aliqua tornetur peponis costas æmulans. Decima tandem generalia torni instrumenta enumerat, velut ferræ, terebræ &c. modum ea figurandi & omne genus instrumentorum torno perutilium, velut guviæ, orthogonia, sciscelli, terebellæ, linguæ serpentinae &c. Denique arcana expono pernecessaria iis, qui torno incumbunt, velut ad impediendum, ne viridia ligna diffindantur & in rimas abeant, ut omni colorum genere inficiantur, imprimis ut ebeni color perfecte sistatur, ut vernigo Sinensis componatur & applicetur, quomodo tingantur ossa & ebur colore atro seu oloferico, aut colore rubro, quomodo cornu & squamæ parentur & molliantur, ut in typos pixides varias efforment, uno verbo, ut squamæ ita agglutinentur, ut nulla separatio conspici possit.

MEMOIRES D'ARTILLERIE, RECUEILLIS
par Mr. SURIREY DE SAINT REMY, Lieute-
nant du grand Maistre de l'Artillerie
de France.

h. e.

COMMENTARII PYROTECHNIÆ, COLLECTI A
SURIRÆO DE SANCTO REMIGIO, Locumtenente
supremi Rei Tormentarie in Gallia
Praefecti.

Editio secunda, multis materiis novis & plurimis
Tabulis æneis aucta.

Parisiis, apud Rigaldum, 1707, in 4.

Constat 4 Alph. 17 plag. & Tabb. æneis 196.

Prima operis utilissimi ac splendidissimi editio anno 1697 lucem
adspexit, atque in linguam Batavam translata est. Notat ta-
men Autor, versionem Batavam esse maxime mendosam, tum
propter errores in discursu occurrentes, tum quia figuræ æneæ
textui

tui non semper respondent & proportiones perperam exhibentur. Multa huic novæ editioni accesserunt, nonnulla etiam immutata, inprimisque Libro primo de rerum Pyrobolicarum in Gallia statu Parte prima habentur, cum is per editum Regis, anno 1703, & alterum, anno 1704 publicatum, totus immutatus fuerit. In Tomos duos opus suum dispescit Autor, & utrumque Tomum in duas subdividit Partes. Pars prima rerum Pyrobolicarum præsentem (ut modo innuimus) in Gallia statum exponit. Agitur de omnibus officialibus & sub-officialibus; de modo, quo Pyrotechniæ tyrones jussu Regis instruendi &c. Pars secunda de tormentis, tam majoribus quam minoribus, de globis, tam communibus quam scloporum glandibus, catenis aliisque ferramentis refertis, de bombis, granatis, pylocлаstris, de fulcris & suggestibus tormentorum ac mortariorum eorumque utensilibus, de omnibus armis bellicis, deque ignibus artificialibus tractat. In Tomo altero Pars tertia utensilia fossorum campestrium & operariorum resque alias ad obsidiones urbium necessarias explicat. Declarat fabricam, fusionem & probationem tormentorum, structuram varii generis molendinorum, præparationem pulveris pyrii, aliaque hujus generis. Pars denique quarta armamentariorum rationem exponit, de comœatu bellico & de omni castrametatione discurret. Abstinet Autor ab omni prorsus theoria, solum praxin perspicue ac sufficienter tradidisse contentus. Omnia igitur, quæ in Pyrotechnia occurrunt, magno cum studio conquisivit, & quoad maxima minima accurate descripsit, ita ut dubites, num ab ipsis rebus præsentibus idea magis adæquata desumi possit. Utinam eadem methodo, qua Autor machinas bellicas descripsit, reliqua machinarum genera descripta prostarent! ita enim & fabrica perfecte intelligeretur, & quænam in singularum partium elaboratione, elaboratarumque usu observari debeant, plenissime constaret. Cæterum adhuc monendum, quod ex hoc opere multa desumi queant praxin militarem offensivam illustrantia, quæ vulgo ab Architecturæ militaris Scriptoribus nimis superficialiter pertractari solent.

Die Moderne Bau = Kunst.

h. e.

*ARCHITECTURA MODERNA, AUTORE JOANNE
VOGEL, Architecto Ulmensi.*

Hamburgi, apud Benjaminum Schillern, 1707, in fol.

Constat 3 plag. Tab. æn. 36.

Continentur in hoc opere delineationes ichnographicae & ortographicae omnis generis ædificiorum, tam sacrorum quam profanorum, non minus ex lignis, quam lapidibus struendorum, variorum item tectorum, turrium, caminorum, cochlidiorum, pontium, cataractarum armatarum & quarundam machinarum, ex. gr. molendini aquatici, machinae ad onera elevanda conducentis, &c. In his vero omnibus Autor morem optimorum nostri ævi Architectorum observat, ac ea imprimis fuse persequitur, quæ ad Artem Tignariam illustrandam faciunt. Hoc argumentum vulgo negligitur ab Architecturae Civilis Scriptoribus: ejus tamen cognitio in Architecto requiritur, si qua alia. Dedit varia huc spectantia jam ante annos 60 *Johannes Wilhelmus*, Architectus Francofurti ad Mœnum; sed cum recentiora inventa non attigerit, nec ex parte attingere potuerit, ejus defectum supplere conatur *Vogelius*. Non contemnendam operam locaret, qui delineationibus *Vogelii* atque *Wilhelmi* usus, propriaque experientia instructus, regulas Artis tignariae ad rationes solidas revocaret & in formam scientiæ redigeret: cujus laboris specimen dedit *Dechales* in Tract. 13 Mundi Mathematici. Immo utilior foret opera, si quis idem circa Architecturam Civilem moliretur universam, & Artem tignariam cum eadem combinaret, utpote indivulso nexu in praxi ipsi conjunctam.

*HADRIANI RELANDI DISSERTATIONUM
Miscellaneous Pars altera.*

Trajecti ad Rhenum, ex officina Gulielmi Broedelet, 1707, 8.

Constat plagul. 24.

Quid

Quid in primo Dissertationum suarum Miscellanearum Volumine Auctor Cl. præstiterit, ex iis, quæ in Actis nostris p. 67 seqq. anno superiori exhibuimus, facile constat. In altero hoc Volumine, quod olim instituerat, ita persequitur, ut tribus Dissertationibus tum de Samaritanis, tum de reliquis veteris linguæ Persicæ, tum de vocabulis Persicis, quæ in Talmude reperiuntur, erudite copioseque exponat. Prima hujus voluminis Dissertatio (quam, si cum sex prioribus, parte prima contentis, composueris, septimam in ordine dixeris) de Samaritanis agit, eorundemque historiam, non ex veterum, sigillatim Judæorum lividis & de veritate suspectis testimoniis, sed ex novo eodemque duplici fundamento, cui tota innixa est, deducit. Fundamentum prius illas constituit literas, quas Samaritani per Palæstinam, Syriam & Ægyptum dispersi ad Illustrem Virum, Josephum Scaligerum, a quo compellati erant, sub seculi XVI finem miserunt; quippe in quibus ipsimet præcipua religionis suæ capita strictim enarrarunt. Hæc jam anno M D XC in Peyrescii primum, dein Morini quoque manus pervenerant, ab eoque in Latinum transcriptæ sermonem erant, demumque A. M DC LXXXII Londini æneo caractere exscriptæ sunt. Alterius fundamenti loco Chronicon quoddam, quod liber Josuæ vulgo appellatur, in quo Samaritanæ gentis Historia a Mosis obitu usque ad Alexandri Severi Imperatoris tempora describitur, suæ sententiæ substruit. Utrumque autem hoc historiæ Samaritanæ instrumentum cum diversa plane ab iis, quæ Judæi Samaritanis affinxerant, documenta tradat; tempora in certas periochas, per quarum singulas mutationem aliquam passa sit Samaritanorum religio, distinguenda esse Auctor Cl. existimat. Primam igitur Samaritanorum periocham eam vocat, quæ ab ipsis Sectæ hujus incunabulis, hoc est, ab eo tempore, quo novi coloni ab Assyriorum Rege in Samariam deducti sunt, ultra captivitatem Judæorum Babylonicam perduravit. Secundam ab extruptione Templi in monte Garizim & Pontificatu Manassis, qui Iddonis, sive Simeonis Justi, Hierosolymitani Pontificis, frater erat, auspiciatur, & cum eadem tertiam, ab eo tempore, quo Samaritani sub

Muhammedanorum jugum redacti sunt, repetendam, quæ nostra quoque complectitur tempora, tandem conjungit. Per primæ tractum periochæ Samaritanos idola coluisse, tantum abest, ut neget, Belga doctissimus, ut ipse potius divinum illud oraculum II Reg. XVII, 29 seqq. עַר הַיּוֹם הַזֶּה usque ad hunc diem ita exponendum esse censeat: usque ad captivitatem Babylonicam, quam ultimo Libri secundi Regum Capite Scriptor divinus commemorat, verum Deum sive Jehovam, factaque Deorum simulacra a gente Samaritana simul culta & adorata fuisse. Quum vero tempore secundæ periochæ Judæi quamplurimi Sanneballeti, pontificatum in monte Garizim gerentis, partibus se junxerint, vero existimat esse simillimum, Samaritanos ab ea tempestate ad Judæorum mores ritusque magis se sensim sensimque composuisse, relictoque veteri Deorum cultu, unicum Deum coepisse venerari. De tertia, quæ etiamnum volvitur periocha, ita sentit, in religionem & ritus Samaritanorum sacros ex commercio, quod iis cum Muhammedana gente intercedit, novi quidquam denuo & insoliti irrepsisse. Quibus ita præstructis de Chronico ante memorato nondum edito, quod post mortem Josephi Scaligeri Lugdunensi in Batavis Bibliothecæ illatum, a Jacobo Golio inde descriptum, manuque propria emendatum, ac positum in marginem animadversionibus auctum est, accuratius disputat, fufiusque demonstrat, libellum istum, recentiore licet, diversisque temporibus a diversis auctoribus compositum, fabulisque haud paucis divino Codici adversis refertum, multa tamen ad Samaritanorum religionem, res & historias plenius cognoscendas imprimis utilia argumenta suppeditare. Ex eo enim clarissime constare docet, gentem Samaritanam cœlestes quidem dari genios, quamvis angelorum appellatio & Angeli magni, i. e. Messiaë mentio apud illos occurrat, non tamen reditum in vitam fuisse inficiatam, parique superstitione nomen אֱלֹהִים cum Judæis non pronunciasse, sed in ejus locum אֱלֹהֵינוּ h. e. *nomen* الله substituisse, Deumque ad eorum exemplum per vocem رب العالمين *Dominum mundorum* significasse. Cetera, quæ de Urim & Tummim, decimis, primitiis, servorum manumissione,

sione, asyulis, jugi sacrificio, pœnis capitalibus, aliisque rebus agunt, prudentes prætermittimus, strictimque ex Autore observamus, in multis maximisque rebus Karæis cum Samaritanis convenisse, cum hi שמרים sive *Observatores Legis Mosaicæ*; illi קראים sive בעלי המקרא *Legis Scriptæ observatores* sint appellati.

Sub octavæ, seu secundæ in hoc Volumine, Dissertationis initium Auctor Cl. ante omnia monet, magnam quidem reliquiarum Linguæ Persicæ partem a Gesnero in Mithridate, quem Waserus Tiguri M DC X suis animadversionibus auctum edidit; a Brissonio in libro de Regio Persarum principatu; & a Guilelmo Burtono in singulari libello conservatam & exhibitam, non tamen rem omnem confectam esse, cum sermonis, qui nostro ævo floret, Persici, ex quo tamen voces illustrari poterant innumerabiles, illi nullam prorsus rationem habuerint. Novum igitur ipse aggressus institutum, quod illi prætermiserant, sua supplere industria annititur, factoque vocum quarundam spicilegio, haud incongrue, quantum ad reliquiarum linguæ Persicæ intelligentiam sermonis hodieque inter Persas usitati notitia conferat, adstruxit, iisdemque multa vocabula, a veteribus licet pro Persicis non agnita, sono tamen & significatione, quam vulgo habent, cum Persicis convenientia, interspergit. Ejusmodi vocum, quarum catalogus secundum alphabeti ordinem instructus est, exemplum sistitur §. VIII p. III, ubi vocabulum Acinaces, Ἀκινάκῆς a Scriptoribus Græcis & Latinis usurpatum, quod & Ὠκινάκῆς scribitur, genus gladii vel hastæ Persicæ denotare, ex Etymologici Magni autore, Suida, Polluce, Hesychio, Ulpiano, enarratione Orationis Demosthenicæ contra Timocratem p. edit. Aurel. 267 aliisque, quos Brissonius L. III de Regno Persarum p. 287 recenset, evincitur. Quod quidem vocabulum ut Persicæ originis esse demonstret Auctor Cl. ad nomen ناسگون Nasgonob, quod hastam bicuspidalem notat, sibi recurrendum esse existimat, quippe ex quo a Græcis & Latinis eodem modo, quo ceterarum vocum barbarorum vocales immutarunt (ut ex Persicorum nominibus mensium, quæ Dissertationi inserta suis quæque locis sunt,

sunt, constat) Syllabas auxerunt, (ut ex vocibus Pardous, pro quo Paradisus dicitur, Farsenk pro quo est parasanga, Sarmach fluvio Palestinæ, qui Hieramax vocatur, liquet) N ab initio vocis abjecerant, (quod in voce Armalcha, qua Plinius pro Narmalcha usus est, aliisque ab Autore citatis evenit) Ἀκινάκης sive Acinaces effectum esse videatur. Addit his conjecturam Bocharti, qua Hieroz. l. II c. VIII acinacem potius gladiolum, quam hastam significare autumat, propterea, quod vocem Acinaces ex Arabica: *سلس* *Chinsjar* emollitam ac detartam esse arbitretur; ridet etiam Autorem Etymologici magni, quod Acinacem vocem Persicam ab Ἀκὴ vel Ἀκίς deducat. Ut vero, quod ipse sentiat, tandem aperiat, pro certo primum supponit, nullum antiquorum locum, in quo acinacis mentio fiat, ita explicari posse, ut acinaces pro hasta accipiatur. Itaque ut hanc isti significationem feliciter vendicemus, ad vocem hodierna lingua Persica usu tritam *سلس* *Abin* priori fere similem, qua gladios, pugiones, hastas & quicquid ferreum aut ferro armatum est, Persæ designant, confugiendum esse contendit.

Quibus & similibus copiose deductis, postquam Latinis Græcisque Scriptoribus linguam Persicam multum lucis foenerari, hujusque beneficio passim restitui ac emendari illos posse demonstraverat; in nona, quæ tertiam ac ultimam hujus voluminis sistit, Dissertatione, voces quasdam e Talmude excerptas, quæ aut Persicæ omnino sunt, aut luculenter saltim ex lingua Persica illustrantur, secundum literarum ordinem itidem recenset. Neque tamen ita se intra cancellos semper continet, quin aliquando etiam ex aliis libris circa eadem vel antiquiora tempora conscriptis istiusmodi afferat, ac pro Persicis sæpissime vendicet, quæ Arabica sunt, a Persis autem vel plus vel minus, quam ab ipsis Arabibus, usurpantur. Ea vero vocabula Talmudis Persica, quæ apud Daniele & Ezram æque, ac in Talmude habentur, prorsus hic omisit, propterea, quod inter Persica illa, quæ ex Daniele & Ezra separatim collegit, locum jam tum obtineant. Ex multis, quas attulit, primam nos vocem *מבוסר*, quæ *pondus*, *gravitatem* significat, exempli causa huc transcribamus, quippe quam a Persico *وزن*

¶ præposito N, quod vel sexcenties præter necessitatem a Chaldaeis ita factum meminit, & litera ך in ך, ejusdem scilicet organi, mutata, probabili certe ratione derivandam esse suspicatur. Et hætenus quidem de secundo Dissertationum Cl. Relandi Volumine; Tertii ac ultimi, hoc ipso, quem agimus, anno Trajecti ad Rhenum editi recensio propediem subsequetur.

SCHEDIASMA BIPARTITUM, QUO SERPENTEM non punitum cum Satana, ut est defensionem Caini defensi in causa desperationis, exhibet M. JO. CHRISTOPH. ORTLOB, Facult. Philosoph. Assessor & Collegii Minor. P. P. Collegiatus.

Lipsiæ, ap. Imm. Titium, 1708, in 4.

Constat plagul. 8.

Pars prior hujus schediasmatis a Cl. Autore egregie elaborati, missis cæteris omnibus, unicam circa oraculum Mosaicum *Gen. III, 14. 15* quæstionem complectitur: *An præter Satanam, primum mali Autorem, serpens quoque naturalis, ceu instrumentum seductionis, aliqua pœna affectus fuerit?* ejusque tractationem tribus sectionibus absolvit; quarum prima statum controversiæ format, inquirendo & culpam & pœnam serpentis. Culpam; quod attinet, remotis allegoriis, ipsorumque hypothesibus, qui soli sive Satanae sive serpenti lapsum Protoplastorum tribuunt, concedit Autor Cl. dæmonem serpente, tanquam causa instrumentali, usum fuisse, etsi non satis constet, obsidendo, an os ipsius singulari virtute resolvendo, vel, quod æque probabile videatur, formam ejus repræsentando tentator comparuerit. Circa pœnam observat, dissensum Interpretum non levem innocentia serpentis indicem esse, singulisque respondet, qui vel litteraliter utrique, vel litteraliter serpenti, figurate & anagogice diabolo, vel sensu primario huic, secundario illi, vel priorem versiculum utrique, posteriorem soli Satanae, vel seorsim serpenti *v. 14,* seorsim Satanae *v. 15,* vel denique unice serpenti verba.

Mosis applicant. Sectio *secunda* poenam serpentis ut organi omnem destruit, ubi ad 8 argumenta, quibus ea vulgo probari solet, sigillatim respondet. Nam 1 naturam serpentis & calliditatem ipsius præ ceteris bestiis, bonitatem potius creatoris, quam malitiam creaturæ ab omni assensu circa hoc factum alienæ contestari. 2 Atrocitatem facinoris nihil conferre, ut ad modum bestię sanguinolentæ *Gen. IX, 5*, cornupectæ *Ex. XXI, 28*, sq. incestuosæ *Levit. XX, 15*, puniretur, cum nunquam probari queat, Deum aliquando, auditis testibus, nullius criminis convictum animal, ceu nudum instrumentum, una cum toto genere ipsius poena affecisse omnium gravissima, eamque formali allocutione ipsi annunciasse. 3 Affectum Dei erga hominem satis patere e graviore Satanæ & leviori hominis poena, quam bruto innocuo gravissimam inferre divina justitia non potuit. 4 Multo minus ob humani generis dignitatem hoc ipsum fieri potuisse, imo hanc, serpentis poena nec negata imminui, nec asserta adaugeri. 5 Maledictionem præ ceteris bestiis non brevitatem vitæ, non gravitatem partus, non odium omnium animantium notare, reclamante experientia. 6 Ambulationem super ventrem non supponere pedum privationem, quæ nimiam organi poenam involveret, cum nec hominis nec Satanæ naturalem statum Deus immutaverit, hodie vero serpentibus æque incommodum afferre nullum ac equo non alatum esse. 7 Idem de pulveris comestione dicendum esse, qua non minus serpens delectetur, ac reliqua animantia, quæ pulverulento victu vivunt. 8 Antipathiam serpentem inter & hominem nec majorem esse illa, qua reptilium genus nocivum averfamur, nec tantam esse, ut homines cum serpentibus ludere, illosque ab his blande quandoque permulso esse non constet. Sectio *tertia* poenam Diaboli, ut auctoris, astruit, quæ probatur 1 e proprietate vocum, quod idem *שׂוֹמֵן* serpens, poenas Deo dederit, de quo dici potest delictum, quia *תִּשׁוּעַ* fecisti hoc, i. e. serpens personatus seductor; 2 e puritate & simplicitate phrasium, quæ singulæ satanicam poenam eleganti allegoria loquuntur. Nam cui Deus maledicit, illi maledit, super ventre incedere, nota est suppressorum, pulveris

comestio hostium devictorum, supplantatio & conculcatio penitus subactorum; 3 ex integritate constructionis ubique observata; 4 *ε συναφεία* textus, quæ ostendat Satanæ sub serpentis specie latenti pœnam dici, stylo ad serpentum proprietatem accommodato. 5 Contextui quoque id ipsum respondere, ut superbiæ antea autor suaforque qui fuerat, humilis depressorque evaderet. Nec obstare, quod expressa Diaboli mentio non fiat, sufficere serpentem, non naturalem, sed personatum ab Eva accusatum adeoque etiam punitum fuisse: hinc probabile esse, in seductione protoplastorum consistere peccatum angelorum, ut Eva nomen spiritus latentis non noverit: imo si lapsus dæmonum præcesserit ejusque maledictio, hæc tamen quo minus repetita & publicata fuerit, nihil obstare. Pars posterior istius Schediasmatis vindicias continet Dissertationis philologicæ, quam d. 14 Julii A. C. 1706 in Alma hac nostra *de Caino non desperante* ad Gen. IV, 13 publice proposuit doctissimus Autor. In Prolegomenis refert adversarium se nactum esse M. Michaelem Henr. Reinhardum, Scholæ Hilpershusanæ Rectorem, qui in Programmate, quo Spectatores ad drama sacrum de passione & morte unici Redemptoris nostri d. 14 Aprilis A. C. 1707 invitavit, præter Observatores Halenses, atque celeberr. Dn. Hermannum von der Hardt ipsum quoque aggressus sit, partim reprehendendo conatum, partim excipiendo adversus ipsius assertum, cumque hoc notis programmati subjectis, illud verbis in ipso Programmate Germanicis & aculeatis fecerit, hinc geminam subnatam esse defensionis sectionem. *Prior* in argumentum ab invidia ductum inquit: *posterior* ad exceptiones respondet, quas Censor Latino sermone subjunxit. Responsio itaque *prima* est ad exceptionem pro versione, qua vulgo *NVD* per condonari passive exponitur, quanquam nec inde desperatio probari fatis valeat. *Secunda*, loca N. T. Joh. III, 12, Jud. v. 11 de fratricidio, non de statu Caini post illud perpetratum agere ostendit, consentientibus unanimiter interpretibus, præsertim D. Seb. Schmidio, qui ad locum Joannis expresse addit: Nisi forte post illud pœnitentiam egerit. *Tertia* ostendit convenire pœnitentem Davidem & Cainum etiam quoad formu-

las

las deprecandi אָנִי Ecce ego peccavi &c. *II Sam. XXIV, 17*, quia locum *Pf. LI, 13* ob particulam אֲנִי ne, non convenire dictum fuerat. Imo phrasin *exiit a facie Domini* non jacturam gratiæ, sed exitum examinis rigorosi coram iudice divino denotare, ex signo gratiæ v. 15 & urbis structura v. 17 demonstratur. *Quarta* derivationem terræ *Not* vindicat, quam Cain non vagabundus peragrasset, sed בְּנֵי inhabitasse & incoluisse dicitur. *Quinta* confirmat radicem אָנִי præ ceteris commotionem ac אֲנִי iram elliptice significare, præsertim vero ellipsin elevandi scilicet אֲנִי faciem e toto textu commodissime fluere, eamque locis parallelis *Hos. XIII, 1* & *Es. XLII, 2* utique illustrari atque suffulciri. Hinc in Epilogo ex omnibus etiam adversæ partis, imo ipsa B. Lutheri, versionibus demonstratur, desperationem Caini ex ipso textu evinci nullatenus posse, & male hodie vulgo de salute Caini desperari, quem, si maxime desperabundus fuisset, tanto annorum, quos ad nepotes usque supervixit, spatio, pœnitentiam egisse amor Christianus merito speret. Additur ἐπιμύηρον e Joannis Sidelmanni *Disp. De maxilla Samsonitica*, Hafniæ A. 1706 habita, ubi dubium movetur adversus dissertationem Autoris *de Fonte Simsonis prope maxillam* olim ventilatam, cui in *defensione Caini defensi Sect. I §. 7 p. 48 seq.* responsum dederat.

Das merckwürdige Leben und seel. Abschied
Valerii Herbergers.

sive

VITA ET OBITUS VALERII HERBERGERI, PASTORIS
olim Frauenstadiensis, composita a SAMUELE
FREDERICO LAUTERBACH, ejusdem
loci Pastore.

Lipsiæ, apud Jo. Freder. Gleditschium, 1708, 8.

Alph. 1 pl. 4 cum nonnullis figuris.

PLurimum reverendus Auctor exemplo eorum, qui clarissimorum Virorum vitas ac fata exponunt, inductus vitam Herber-

bergeri, Viri de puriori doctrina optime meriti, descripsit; in quo opere ita versatur, ut servato temporis ordine luculenter omnia tradat. Neque vero in nuda vitæ hujus viri recensione constitit, sed multa lectu non indigna adspersit, quæ utilitatis multum ac jucunditatis legenti adferre possunt. Nos pro more nonnulla decerpemus. Natus vero est Valerius Herbergerus Frauenstadii in Polonia die XXI Aprilis A. M D LXII, parente Martino, ejus loci opifice. In cunis adhuc agens quoddam futuræ sortis omen dedit, qui quoties fasciis exsolveretur, tres digitulos in altum sustulit eo plane more, quo Salvator noster depictus vulgo conspicitur: qua re insigniter affectus parens non falso auguratus est, fore ut sacri ordinis homo fieret, qui digito Servatorem nostrum aliquando sit monstraturus, ut Joannes Baptista fecit. Antequam vero parens ad scholam puerum ablegaret, studiisque consecraret, templum una cum sobole frequentavit, & assidue Numen, ut pueri conatibus propitium esset, imploravit. Quibus peractis, scholæ patriæ commissus est. Nonum jam annum agebat puer, cum parens fatis concederet: cujus obitu tantum abest, ut non nihil commoveretur, ut plurima potius lætitiæ documenta ederet, ob relictam a parente pennam, quam ne leviter quidem tangere, superstite ipso, licebat. Quamvis vero jam olim studiis se consecrasset, nihilominus post fata parentis animum ad opificium addiscendum applicabat, cui dies jam præscriptus erat: & forte perstitisset in proposito, nisi Viri integerrimi Arnoldi Pastoris monitis revocatus ad studia cœpisset reverti. Itaque Freustadiensem scholam A. 1579 abiit: triennio ibi consumpto, ad altiora progressus, primo Francofurtensem, deinde & Lipsiensem Academiam salutavit. Vix per duos annos Lipsiæ commoratus est, cum ex patria Senatus nomine litteræ allatæ sunt, in quibus scholasticum ipsi munus concredebatur. A. 1590 provinciam scholasticam cum sacra commutans, Diaconus in patria constitutus est, atque A. 1598 Pastoris munus accepit: ubique vero in felicitatis parte reponebat, quod filium suum Zachariam officii sacri collegam nactus fuisset. Decessit anno 1627, d. 18 Maji apoplexia correptus. De scriptis quoque Herbergeri Au-

p. 51.

84.

87.

94.

98.

100.

103.

108.

128.

137.

160.

Et nonnulla commemorat, dicitque, in summo pretio ea haberi tum apud nostros, tum apud Pontificios. Promittuntur etiam inedita ac varia miscellanea sacra Herbergeri typis excudenda, inter quæ primum quasi locum occupabit liber *Die Stoppel-Postill*, quem Editorem Vitæ hujus, qui celebratas satis Herbergeri Postillas, *die Hertz-Postill* dictas, A. 1706 vice decima sexta excudit, proxime publici juris facturum speramus.

ANTIQUITATES POELDENSES,

Oder

*Historische Beschreibung des vormahligen Stifts
Poelde Præmonstratenser-Ordens ic.*

hoc est,

*HISTORICA DESCRIPTIO QUONDAM FLORENTIS
Monasterii Poeldensis, Ordinis Præmonstratensis. Au-
tore JOANNE GEORGIO LEUCKFELD, Pa-
store Primario Groningensi.*

Guelpherbyti, apud Godofredum Freytagium, 1707, in 4.
Alphab. i plag. 17.

QUod in Actis A. 1705 p. 409, ubi Cl. Leuckfeldi *Antiquitates Walckenredenses* produximus, in votis nobis fuit, ut nimirum, quæ de Germaniæ monasteriis prelo parata haberet, ex instructissima penu promeret, obtinuimus, quippe & superiori anno *Poeldenses*, & hoc ipso *Blanckenburgenses Antiquitates* cum erudito Orbe communicare non est gravatus. Ut de *Poeldensibus* hoc loco agamus, varia quidem huic cœnobio apud Autores sunt nomina, ut *Polithi*, *Polodi*, *Poletha*, *Palichi*, *Polide*, *Pholne*, *Poede*, *Police*, *Poledi*, *Polde*, *Palathi*, *Palithi*, *Poela* & *Poilde*. Denominationis istius rationem petunt nonnulli a præterfluente aqua, *Pule* dicta; alii a palude, ad quam monasterium hoc fuit erectum; Noster vero a pago Cæsareo olim hic sito, nomine *Palithi* vel *Poelde*, derivat, in cujus locum cœnobium hoc sit extractum. Ortum suum illud debet imprimis matri Ottonis I Imp. Mathildi, quæ illud in honorem

Joan-

Joannis Baptistæ & Servatii A. 952, introductis monachis Benedictinis, instituit, ipso Ottone I institutum magnopere probante. Foundationem hanc postea confirmavit vaferrimus ille Archiepiscopus Moguntinus Hatto, annexo banno contra parvi habituros cœnobii istius approbationem. Hinc Monasterium hoc Otto II Imp. Rom. conjugis instinctu Archiepiscopatu Magdeburgico cum summa in Politicis pariter ac Ecclesiasticis jurisdictione donavit. Ejectis hoc monasterio Benedictinis, auctore Norberto, Archiepiscopo Magdeburgensi, successere Præmonstratenses, ope Præpositi Conradi a Pontifice Rom. confirmati. Inauguratio altera facta est A. 1240 a Wilhelmo, Episcopo Havelbergensi, ad 20 dies peccatorum veniam illis, qui hoc monasterium locupletaturi & ad Sanctorum eo reliquias iter instituturi sint, concedente. Magnis hinc privilegiis illud ornarunt Imperatores, Otto, Henricus VII & Rudolphus Habsburgicus. Advocati & Protectores hujus monasterii fuere vel superiores vel inferiores; in illis Imperatores & Reges, in his Principes, Comites & Equites numerantur. Et superiorum quidem munus sustinere Imperatores e Saxonibus orti, qui postea illud in Comites de Lutterberg & Scharzfeld transtulere; demumque A. 1242 pervenit hæc Advocatia ad Serenissimos Duces Brunsvigo-Luneburgicos, lineæ imprimis Grubenhagensis. Quæ Ecclesiæ ad monasterium hoc pertinuerint, quæque alia ejusdem fuerint bona, uberius inde Autor refert, qui & singulos cœnobii hujus Præpositos recenset, & nonnihil de monasterio Isenhagensi in Ducatu Luneburgico, nec non de Marienrodensi in territorio Hildesensi hac occasione addit. Ut taceamus, quæ de Comitibus de Clettenberg, Dominis de Sulingen, Riemen, Bockelhagen, Espelingerode, Osterode, Windhausen & Würmbe luculenter hoc loco Autor tradidit. In fine harum Antiquitatum conspiciuntur varia *Addenda*, ex Archivis, Manuscriptis & libris rarissimis collecta, ut & 4 *Appendices*, quarum prima exhibet *Petri Engelbrecht Chronologiam Abbatum Isineburgensium*, ab Autore nostro illustratam, secunda *Diplomata V de Monasterio Neuenstadt in Diocesi Würtzburgensi*, tertia *Diplomata & Privilegia XII data ab Imperatoribus & Regibus*

bus Imperii Episcopatus Würtzburgensi, quarta XL Diplomata Goslariensia, qua in Cl. Heineccii Antiquitatibus Goslariensibus desiderantur.

ERNESTI SALOMONIS CYPRIANI SELECTA PROGRAMMATA, accessit Dissertatio de Regibus Subditiciis.

Coburgi, apud Paulum Güntherum Pfortenhauer, 1708, 8.

Constant 8½ plag.

Vir eruditionis suæ laude celebris Programmata, diversis temporibus & occasionibus scripta, quæ in paucorum eruditorum manus venerant, & in posterum haut facile subitura erant, amicorum voluntati obsecutus, in unum contulit. Sunt ea numero XIII. *Primum* agit de vestibus palmatis, quibus olim victores superbiebant, quas etiam tunicas togasque palmatas veteres dixerunt, distinctas a pictis vestibus, varias animalium, aliarumque rerum imagines & formas, acu expressas, pictas aut intextas habentibus, cum palmatae palmas exhibuerint, quanquam etiam his aliarum rerum figuræ intertextæ fuerint, dum gestarent primitus soli triumphum deportantes, postea recentiori ævo Consules. In palmata tamen veste eos, qui adepti ipsam fuissent, combustos aut sepultos fuisse, Auctori nostro verosimile non videtur. *Secundum* invitatur viros in urbe Coburgi, qui literas & literatos haut vulgari amore prosequuntur, ad Societatem Literariam, in qua ex Theologia, Historia Literaria, & Re Nummaria collationes instituantur. *Tertium* claros scriptores veteris Rei Militaris, eorumque editiones enarrat. *Quartum* de causis, ob quas Columbæ figuram Ecclesia adeo amaverit, & ea tam frequenter usa sit, disserit. *Quintum* beneficentiam in consortes religionis commendat. *Sexto* ornatum librorum explicans, codices aliquos MSSos Bibliothecæ Albertinæ in Gymnasio Casimiriano, picturis pulchre exornatos refert. *Septimo* pietas veterum Christianorum laudatur, a qua multum hodierni Christiani defecerint. *Octavum* imagines Angelorum bonorum malorumque, quomodo pingantur, considerat. *Nonum* de baptismo, quo Diabolus animos suo-

tum

rum sibi devincit, tractat. *Decimum* tradit, ut natales Episcoporum, sive dies, quibus ecclesiæ gubernacula susceperunt, celebrati fuerint. *Undecimum* staturam resurgentium non fore pusillam, qualem Bernardus Connor commentus est, adstruit. *Duodecimo* variæ opiniones de Angelo Custode expenduntur. Ultimum, *tertium decimum* indicat incerta ea, quæ de pulchritudine Corporis Christi circumferuntur, esse. Adjiciuntur tres Dissertationes, plures quam titulus promiserat. *Prima* de Regibus subsiditiis exempla affert eorum, qui vel ipsimet natos Regnorum rectores mentiti sunt, eorumque personam induerunt, vel alios pro iis fraudulenter supposuerunt, tam ex veteri quam recenti historia, quidque in eos subditis liceat, disquirat. *Secunda* cædem Mariæ Stuartæ, Scotiæ Reginae, excusari non posse, contendit. *Tertia* ver sacrum describit, quod veteres ad minuendam plerumque civium multitudinem, colonias emissuri faciebant, ad illustranda quædam Livii loca.

GEORGII WOLFGANGI WEDELII CENTURIAE
*secunda Exercitationum Medico-Philologicarum Sa-
 crarum & Profanarum Decas II.*

Jenæ, apud Jo. Felicem Bielckium, 1708, 4.

Plag. 14.

PLuribus jam præclaris operibus, præcipue Medicis, quorum sæpius a nobis mentio facta est, illustris Wedelius non despicit Philologicas delicias, quas ex sacris non minus, quam profanorum Scriptorum fontibus scriptis suis frequentius tanquam condimenta interspergit; & hinc Exercitationes illæ minores oriuntur, quas per intervalla edit, & in Decurias colligit, tanto cum plausu Orbis eruditi, ut Decuriam II Centuriæ II jam lubens excipiat. *Primo* vero loco in hac Decuria vexatissimum *Josephi locum*, quo de Christo Salvatore nostro testimonium perhibet, ulterius post alios examinat, ejusque auctoritatem contra illos, qui pro irreptitio habent, conservare annititur. Potissimæ ejus rationes sunt, quod in omnibus pene libris editis legatur locus, quodque a quam plurimis Patrum antiquorum ad eum provocatum sit. Et cum, qui con-

trarium statuunt, fraudem Christianorum veterum accusent, qua inseruerint verba hæc, multo tutius reos fieri Judæos putat, qui plus fraudulentia lucrari poterant, si expunxissent verba sui historici. Et præter hæc a vitio Scriptore historico indigno hac ratione absolvi minus posset Josephus, quod Joannis Baptistæ & Jacobi fratris Jesu Christi mentionem cum elogio fecisset, & ipsius Magistri nullam rationem habuisset. *Lazarus ante portam* argumentum *secundæ* Exercitationis est. De miseri hujus morbi genere cum nondum satis inter eruditos constet, doctissimus Wedelius *ἐιλεὸν αἱματῆτην*, quem Hippocrates describit, corripuisse Lazarum demonstrat; est vero volvulus hic sanguineus, hypochondriaci effectus species vel scorbuti confirmati ulcerum chronicorum fabri præcipui. *De Purpura & Byssu* agitur in Exercitatione *tertia*, & *purpura* in primis a colore nomen habere dicitur atque latius omne rubrum significare, ut & vestem per id pretiosam, primo sui generis, seu purpuream, & deinde cæruleam, imo & latiori sensu alterius coloris, & nigram. Byssus vi vocabuli, quod ab Hebræo *בַּיִס* est, album valet & hinc album sericinum pretiosum, purpuræ vel æquiparandum vel subordinandum. *Quarta* Exercitatio est conscripta *de Accentibus*, pro quorum antiquitate & usu æque ac vocalium punctorum apud Hebræos Auctor pugnat, & huc applicari solitum locum Matthæi V, 18 pro utroque facere conatur evincere. *Ligna thyina* Apocalypseos materiam Exercitationi *quinta* suppeditant, cumque non sola thya arbor hoc nomen sibi proprium retinuerit, sed propter varios & sacros & profanos usus, cum aliarum arborum lignis communes, aliis quoque idem impertiverit, diversæ arborum species hoc solo nomine comprehendi possunt, quarum præcipuæ putantur cypressus, cedrus, juniperus, larix, lignum aloes, abies, picea, pinus & similes. *Sabinam*, de qua legitur in Cantico Canticorum I, 17 *sexta* Exercitatio peruestigat, & vox Hebræa, quæ ibi occurrit, ipsi genuinæ interpretationi viam pandit, cum *בְּרוֹתִים* fiat mentio. Aben Esra & cum eo plerique abietem exponunt, quod non placet Nostro, nec magis Schmidii sententia, qua quercum hic reposuit; sed cum Arabe sabinam præfert. Hanc enim

Græci recentiores, ut Dioscorides & Galenus, corrupto Hebræo nomine, *Βραθὺν* vocant, & Plinius Lib. XVI Cap. 17 *bratum*, uti quidem locum legi vult Wedehus, quamvis alii non satis periti brutam substituerint, unde & Buxtorffio lignum brutinum videtur enatum esse. *Thyam* Homeri Odyss. V, 59 examinat *septima*, circa cujus interpretationem aliis alia se probant quoque: fabina iterum locum obtinet, quandoquidem ea, quæ de thya prædicantur, omnia soli sabinæ conveniunt; & si ad nomen respiciatur attentius, fabina Græce *Βραθὺς* dicitur, quod idem est ac *πρόα πρὸς θύειν*, quod nomen sabinæ præ aliis tribui meretur, & quod propius ad rem pertinet, quod Diodoro est *boraton*, id *θύων* reddit Dionysius. *Octavo* loco de *mensis citreis* disquiritur: meminerunt earum ex veteribus Cicero, Plinius, & Digestorum libri, ex citro arbore pomifera non esse dolatas statuitur, sed fabina, quam Theophrastus æque ac citrum Thuiæ nomine ita describit, ut hic locum sola invenire videatur. *Capturam Martis & Veneris* ex fabulis repetitam Exercitatio nona recludit, & refertur fabula ad rem chymicam, ubi cum Mars & Venus, perfectiora in sensu sophico metalla, per ignem concluduntur & figuntur, illa per Vulcanum dicuntur capta esse. Ultima, seu decima Exercitatio de *Emblematibus Botanicis* emblemata quædam exhibet occasione disputationum de Maro & Cubebis, quas sua præsentia Serenissimi Saxonix Principes juvenes dignati erant, unde in eorum honorem doctissimus Præses ab his plantis emblemata, quibus eorum virtutes dilaudaret, concinnavit.

NOVA LITTERARIA EX ITALIA.

Mutinæ sub prelo sunt Agnelli Ravennatis, historici Seculi IX, Scripta, Cl. Bened. Bacchini notis illustrata, quæ Tomis II in 4 propediem prodibunt. Lazzarino, Murri Toparcha, insignem Defensionem scripsit contra Germonium, a se publice Maceratae in frequenti gravillimorum Virorum conventu recitatam, quam cum etiam proxime typis excusuram speramus. Pariter doctissimus Abbas, Julius Fontaninus, Confutationem eorum, quæ Germonius

monius ipsi de re diplomatica objecerat, prope absolvit, in qua imposturas plures & mendacia Germonii se detecturum pollicetur. Ceterum Illustri MAGLIABECHIO de recuperata salute publice gratulamur, neque temperamus nobis, quin ab Amico quodam nostro nuper de illo ad nos perscripta iisdem verbis cum Lectore nostro hac occasione communicemus. MAGLIABECHIUS noster, inquit, pristinam salutem omnino recuperavit, utque diutius & honorificentius nobis & universæ Literatorum Reipublicæ servaretur sospes & incolumis, Magnus Etruriæ Princeps Ferdinandus tantum virum e suis latetibus in locum illustriorem vel invitum trahere voluit, illi adsignato perhonorifico domicilio in veteri Palatio Reipublicæ Florentinorum, & decore famulatu: quæ res omnium animos rapuit in admirationem generosissimi & Regii plane Principis, qui majorum suorum gloriam æmulatus tantum virum maximo honore afficere voluit. Nescio, an hoc cuiquam Literatorum unquam contigerit. Platonem legimus sedisse in curru Regis Siciliae, sed MAGLIABECHIUS non solum ab inclyto Etruriæ Principe in proprio curru jussus est ad se adire, & coram se sedere; sed etiam in Regium Palatium migrare, tantum non supplicationibus ad id adhibitis in epistola propria manu exarata, summæ erga MAGLIABECHIUM æstimationis signis cumulatissima. Faxit Deus, ut Magnus Princeps bono Literatorum diutissime vivat, utque MAGLIABECHIUS tanti Mæcenatis præsidio in ævum fruatur!

E R R A T A.

In Actis hujus anni p. 32 lin. 24 pro *novilunium* lege *plenilunium*: p. 163 lin. 14 pro *ex intuitu cognito* lege *ex intuitive cognito*: p. 164 lin. 26 pro *esse probabilem* lege *esse possibilem*: p. 166 lin. 27 pro *vi quorum* lege *vi quarum*.

* * *

ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Augusti, Anno M D C C V I I I.

*HULDERICI AB EYBEN, QUONDAM S. CÆSAR.
Majestatis Consiliarii & in Augustissimo Imperialis Ca-
mera Judicio Assessoris, Scripta, quæ de Jure Civili priva-
to, publico & feudali singulatim edidit, ex MSSis ejus
locupletata & in Partes tres digesta, cum Prefatione
JOANNIS NICOLAI HERTII, vitam
B. Autoris complexa.*

Argentorati, apud Jo. Reinholdum Dulsfeckerum, 1708, in fol.
Alphab. II.

Illustris Eybenii Scripta notiora quidem eruditis sunt, quam
ut nunc demum a nobis commemorari debeant, utilissimum
tamen Celeberrimi Hertii institutum, quo eadem junctim
edi curavit, atque ita & tanti Viri existimationi, & multorum
desideriis egregie consuluit, silentio prætereundum non fuit.
Totum opus in tres Partes digestum est: in prima continentur
Observata Theorico-Practica ad libros Institutionum Justinia-
nearum, quousque antehac in lucem prodierunt: secunda
Pars exhibet Dissertationes miscellaneas ex jure privato, scilicet
de autoritate & usu Juris Justiniani in Germaniæ privatarum,
publicarumque causarum judiciis, de origine, progressu, usu &
autoritate Juris Canonici in terris Protestantium, de jure natu-
ræ, mandatis sine clausula, mutuo, institoribus, jure parapher-
norum, de tutela foeminarum, cum primis illustrium, decreto in
alienandis minorum ceterarumque his similibus personarum
rebus

rebus necessario, testamento Principis vel Comitis S. R. Imperii, de missione in possessionem, maxime ex primo & secundo decreto, assassinio seu homicidio imperato, territione torturali, de sententia nobilis & decantati in foro *cap. per tuas 58 X de appellat. recus. & relat.* de apostolis, degeneratione rerum juridicarum, fonte juris seu facultatis moralis, quibus omnibus accesserunt Notæ & Observationes Practicæ in Antonii Perezii Prælectiones in Codicem Justinianum. Pars tertia sistit argumenta ex jure publico & feudali: in ea igitur comparent Electa Juris Feudalis, queis interiora ejus & recessus abditiores subinde perquiruntur, visuntur & excutiuntur, dissertationes de feudo solari, causis feudalibus, sede Majestatis Romano-Germanicæ, jure belli & pacis, de origine illustris illius regulæ: S. Romano-Germanici Imperii Electores, Duces, Marchiones, Landgravios, Burggravios, Principes, Comites, Barones, & ceteros, qui his accensentur, tantum posse in suis territoriis, quantum Imperator in Imperio; ejusdemque item usu frequentissimo, cujus documenta plura, ex serie Institutionum Juris composita, subjiciuntur; de jure venandi, Regalibus privatorum & Disquisitio exoterica de titulo Nobilis. In hujus supplementum Illustris Autoris filius æmulus, Christianus Wilhelmus ab Eyben, occasionem potissimum suppeditante Clarissimo Thulemario, adjecit stylum curiæ, in titulis interdum plumbeum, imo cereum, per exceptiones a regulari, quo non Comites, sed Principes salutari Nobiles constat, & quidem plerasque vulgo obvias, demonstratum. Ejusdem opera quoque accessit Dissertatio de Ordine Equestri veterum Romanorum, ex analectis venerandi Parentis magnam partem hausta, nec non judicium super quæstione: an Abbatissa Germaniæ immediata, religioni Evangelicæ addicta, si nubat, resignare teneatur? Circa eam uti distinguit Autor inter id, quod licitum, & quod consultum sit, ita, quoad prius, libertatem nubendi, sine resignandi necessitate, triplici argumento, ab immedietate, cessante juris canonici autoritate ac exemplis, etiam antiquioribus & inter Pontificios occurrentibus, desumpto asserit, posterius vero Principum Consiliariis decidendum relinquit, ut tamen omnibus rationibus po-
liticis

liticis regulam Spiritus S. *melius est nubere, quam uri*, præferendam existimet.

HISTOIRE DE L'ACADEMIE ROYALE
des Sciences, Année M DCC VI.

h. e.

HISTORIA ACADEMIÆ REGIÆ SCIENTIARUM
Anni M DCC VI, cum Commentariis Mathematicis
& Phisicis.

Amstelodami, apud Petrum de Coup, 1708, in 12.

Constat 1 Alph. 14 plag. & Tabb. æn. 24.

CUM Parisiensis voluminis hujus editio nondum ad nos per-
lata sit, Amstelodamensem hanc interim, minori forma ex-
cusam, producere licebit. Quæ de Mercurii subsidentia in tubis
vitreis spiritu vini lotis primus annotaverat *Homborgius*, quemad-
modum in Actis anni superioris p. 301 retulimus; ea experimen-
tis iterato institutis comprobavit *Maraldi*. Quoniam vero majo-
rem esse didicit subsidentiam, si tubus spiritu vini, quam si aqua
vitæ lavetur, cumque iste hac specificè levior existat; causam
in aerem conjicit, qui guttulis, parietibus tubi adhærentibus,
inclusus postea per vacuum sese expandit. Systema *Halleja-
num* de Magnetis declinatione novis observationibus confir-
matur. *Homborgius* autor est, vas vitreum aqua vel Mercurio
repletum, si hieme igni admoveatur, disrumpi; minime vero,
si aquæ vel Mercurio spiritus vini substituatur. Quæ de lapi-
dibus plantas atque pisces exsiccatos includentibus ex Historia
anni 1703 in Actis anni 1706 p. 366 & 367 dicta sunt, geminis
observationibus auxit *Leibnitius*, dum Academicos per litteras
certiores reddidit, non modo in Ducatu *Brunsvicensi* prope
Osterodam, atque in Comitatu *Mansfeldensi* prope *Islebiam*, sed
aliis etiam in Germaniæ locis saxa reperiri, quæ plantarum &
piscium figuras referunt. Inprimis autem notabile, quod in
plantarum numero sint aliquot *Germanis* ignotæ, *Indis* tamen
notissimæ. Lapidum istorum figuratorum genesin hanc sibi
concepit ingeniosissimus *Leibnitius*. Casu quodam contigisse ar-





bitratur, ut plantæ ac pisces terræ quadam specie involverentur, quæ cum successu temporis induraretur, corporum inclusorum figuram intra cavitatem suam retinuit, materia ipsorum corrupta. Quare materia lapidescens postmodum istam ingressa plantæ vel piscis figuram necessario assumere debuit. Genesis, quam tradit, experimento comprobat. Araneam nimirum aut alterius generis insectum argillæ includi jubet, ita tamen ut extus foramen intra cavitatem relinquatur. Massa ad ignem indurata & materia animalculi in cineres conversa, ope liquoris alicujus eximendos, si cavitati argentum fusum per aperturam infundatur, figuram animalculi satis exacte referet refrigeratum.

Quoniam Medici quidam contendunt, cataractas oculorum esse humorem crystallinum vitiatum, quod ab hoc morbo convalescentes sine lente optica videre nequeant; in eam rem solerter inquit *de la Hire*, experimentis in oculis boum compluribus institutis. Testatur autem, membranam, qua humor crystallinus involvitur, ab humore vitreo facile separari, acu per scleroticam inter ligamentum ciliare & uveam in humorem crystallinum intrusa; hunc quidem rotari, at nunquam sub vitreum deprimi, nec ab acu rursus nisi per scleroticæ resistentiâ removeri potuisse, dum extraheretur. Interdum etiam contingere, ut ligamentum ciliare acu gyrata non rumpatur, sed ut humor crystallinus a tunica sua separetur atque acu retracta pupillam obtegat. Sententiam itaque superius relatam veritati minus consonam judicat, inprimis cum etiam reperiantur, qui cataracta remota sine lentis vitreæ usu, saltem ab initio, distincte vident. Quod vero quidam sine lente non videant, ubi convalescunt, humori aqueo turbido tribuendum esse, qui cum radios multos intercipiat, retinæ compunctionem ad visum sufficientem fieri non posse, nisi radii copiosiores per lentem in oculum immittantur: quodque ab initio quidam bene viderent sine lente, postea prorsus non nisi adhibita lente, ab inflictio tunicæ humoris crystallini vulnere petendum esse, unde figuræ ipsius immutatio successu temporis sequatur. *Dodart* sua de formatione vocis cogitata jam alias pro-




proposita ulterius perficit. *Mery* Academicis ovum coctum monstravit, cujus albumen ovum aliud, testa involutum, est solo albumine repletum includebat. *Littre* in dissectione canis stomachum intra thoracis cavitatem supra diaphragma positum reperit. In diaphragmate fissura cernebatur cicatrice obducta, sed minor, quam ut stomachus per eam transire posset. Facta incisione, stomachus sponte delabebatur, œsophago non resistente. Conchyliorum phaenomena expendit *Ponpart*: partus monstrosos describit *du Verney*. Et *Godofredus* cum hominem quendam post biennii delirium mortuum dissectuisset, in vesicula fellis 33 lapillos reperit, quorum aliqui granorum hordeaceorum, aliqui nucleorum mespili molem adæquabant, omnes vero leves, friabiles ac inflammabiles erant. Cranio aperto dura mater solito crassior & firmior apparuit, laminis ossibus ex parte investita. Similiter solito firmior erat pia mater, cerebrum valde siccum, in cujus ventriculis abundantia seri stagnabat: est cerebellum prorsus illæsum. Vitam transegerat homo continuis negotiis, quæ multam spirituum contentionem requirunt, multumque vini & liquorum spirituosorum fecerat usum. Cum aliquando ipsi in paroxysmo opium in spiritu vini porrigeretur, statim is violentior evasit; sed cum opium in aqua exhiberetur, paroxysmus extinctus & ægro somnus per aliquot horas concessus. Qua occasione monet *Godofredus*, spiritum vini aliosque liquores spirituosos corporis succos inspissare, coagulare & in lapides convertere; vapores item, affectus convulsivos, rheumatismos, apoplexias & paralyin producere.

Inter *Chymica* primo loco occurrit nova quædam argenti solutio, ab *Homborgio* casu detecta. Aquam scilicet regiam præparare solet, partes salis petrae duas, vitrioli tres & salis marini quinque destillando. Quod primum offertur, phlegma peculiari phialæ infundit, & quem ultimum obtinet, spiritum peculiari itidem in vitro conservat. Cum vero quodam die auro dissolvendo per errorem phlegma affudisset, calorique convenienti per bihorium admoti nulla fieret solutio, aurum ex liquore extractum ad bilancem examinavit, nec ullum pon-

deris decrementum notavit, utut liquori subluteum quendam colorem conciliaffet. Mox ejus loco argentum liquori immisit, iterumque vase ad ignem collocato, post aliquod temporis intervallum in lutum nigrum abiit argentum, nulla ebullitione facta, qualis alias in dissolutione auri fieri solet. Quo facto aliquam ejusdem phlegmatis quantitatem portioni alii argenti affudit, nulla vero dissolutio facta est. Sed experimentum nulla præcedentium circumstantiarum neglecta reiterans, argenti solutionem rursus fieri expertus est. Cum anno elapso idem denuo iteraret, aurum cum ebullitione (ut solet) dissolutum, argentum vero nihil mutationis passum. Simile igitur phlegma recens paravit, tandemque didicit, quod recens argentum solvat, non aurum, si tamen prius subluteum ex auro extraxit colorem; ast si per 6 aut 7 menses in loco subcalido asservatur, aurum solvat, non argentum. Rationem horum phænomenorum ex principiis suis Chymicis reddit. Idem *Homburgius* suas de sulphure meditationes in Commentariis anni 1705 edi coeptas continuat. Dictum est in his Actis mense Julio anni superioris p. 309, quod principium Chymicorum sulphureum, solum in mixtis activum, non nisi pro ipsa luminis materia habeat. Hujus igitur materiæ luminis in Mercurium effectus multis experimentis in præsentis comprobare nititur, indeque stabilit, particulas aurum atque argentum componentes esse Mercurium & sulphur fixum. Sulphur metallicum, sive fixum, sive volatile, esse materiam luminis Mercurio intime unitam: sulphura contra vegetabilium & animalium ex quatuor materiis, aqua nimirum, sale, terra & sulphure elementari componi. Differentiam salium a differentia sulphurum, quæ compositionem ipsorum ingrediuntur, derivat. Inflammabilitatem non sulphuris, sed mixtionis materiæ oleosæ cujuscunque cum sale aliquo acido characterem facit. *Lemery* filius circa ferrum & magnetem varia fecit experimenta, naturam ejus illustrantia: quorum fide concludit, ferrum esse materiam oleosam terræ cuidam intime unitam. In ejusdem metalli naturam inquisiturus *Homburgius* ferrum vitro caustico supposuit & liquefactionis circumstantias accurate annotavit. Monet in-



ALBERT



ter alia, particulas, quas magnes ex cineribus attrahit, eadem fusionis phænomena cum ferro exhibere: quod idem experimentis propriis confirmat *Lemery* filius. *Lemery* autem parens analysi mellis chymicæ multum operæ impendit.

Ad perfectionem *Algebrae* quædam conferre studuit *de Lagny*, novam exhibens methodum generalem resolvendi æquationem quamcunque propositam, per quam ad veram radicem facilius appropinquetur, quam per alias huc usque traditas, si perfecta rationalis haberi nequit.

In *Geometria* curvas tanquam ex arcubus infinite parvis considerat *Varignonius*, & in hac hypothese radios circulorum osculantium omnis generis curvas quærit. Positis vero ordinata y , abscissa x , arcu curvæ s , invenit expressionem radii circuli osculatoris $y dy ds^2 : (dx dy ds + y ds d dx - y dx d ds)$ eandem prorsus cum ea, quam in *Comment. A.* 1701 ex hypothese communi, quod curvæ sint polygona infinitilatera rectilinea, deduxerat. Varias adhuc alias expressiones ex utraque hypothese eruit. Evincit etiam spatia, quæ *plusquam infinita*, vocat *Wallisius*, esse spatia finita, quæ sunt spatii cujusdam finiti alterius complementum. Sit enim $CE = x$, $EF = v$ & $CK = a$, sitque locus ad infinitas hyperbolas $AFB v = a^{m+n} : x^{m : m+n}$, erit differentiale areae $v dx = a^{2m+n, : m+n} x^{-m : , m+n} dx$, consequenter $\int v dx = \frac{m+n}{n} a^{2m+n, : m+n} x^{n : m+n} =$ spatio

TAB. IV.
Fig. I.

$ACEFA$ finito ex parte A , cujus respectu CE est finita, & tantum infinito ex parte B , quoniam CE evadere nequit nisi infinita. Si igitur porro fiat $LF = x$, habebitur elementum spatii $BCLEFB$ intra asymptotos $x dv = a^{2m+n, : n} v^{-m-n, : m} dv$, adoque $\int dv (= m a^{2m+n, : m} v^{-n : m}) : -n = m a^{2m+n, : m} : -n v^{n : m}$. Signum negativum hic non esse, ait, notam, quod spatium sit plusquam infinitum, sed quod loco spatii $BCLEFB$ assumi debeat ejus complementum $ALFA = m a^{2m+n, : m} : n v^{n : m}$, id quod in infinitis aliis Quadraturis sæpissime contingat. Idem *Varignonius* suas de viribus centralibus speculationes ulterius continuat, & nunc quidem rationem considerat, quam vires centrales, tam centrifugæ quam centripetæ, ad gravitatem corporum

porum absolutam per lineas curvas quacunque celeritate motorum habent. Comparet quoque ibi solutio magni problematis de Iso-perimetris, a *Jacobo Bernoullio* in Actis A. 1697 p. 214 propositi, quam jam anno 1699 mense Junio cum *Leibnitio* communicatam anno 1701 Parisios obsignatam misit *Joannes Bernoullus*, non ante aperiendam, quam frater suam dedisset. Multa in ea occurrunt prorsus egregia, quæ ad Geometriam interiorem amplificandam mire profutura. *Guisnée* objectionibus amici respondens, quas contra methodum de maximis & minimis calculo *Leibnitiano* nitentem fecerat, varias non contemnendas circa methodos de maximis & minimis observationes exhibet. Monet inter alia, rationem ipsius dx ad dy (posita y pro semiordinata, x pro abscissa curvæ alicujus) vel esse finitam, vel infinite parvam, vel infinite magnam, vel indeterminatam. Finitam inservire tangentibus eruendis ad quælibet curvæ puncta; infinite parvam (quo in casu vel $dx=0$, vel $dy=\infty$, seu infinito) determinandis curvarum punctis, ad quæ tangens est parallela axi y , seu inveniendis maximis & minimis ipsius x ; infinite magnam (quo in casu vel $dx=\infty$, vel $dy=0$) determinandis curvarum punctis, in quibus tangentes sunt parallelæ axi x , seu maximis & minimis ipsius y ; indeterminatam denique determinandis falsis (quæ vocat) maximis & minimis, hoc est, nodis curvarum, seu punctis intersectionum, in quibus tangentes neutri axi sunt parallelæ. Pro distinguendis autem falsis maximis & minimis a veris regulam sequentem commendat: Si idem valor vel ipsius x , vel y reperiat, ponendo $dx=0$ (quod idem ac $dy=\infty$) & $dx=\infty$ (quod idem ac $dy=0$) Curvam, cujus æquatio datur, habere nodum in eo puncto, in quo coordinatis competunt valores inventi: sin ex una suppositione valores ipsorum x & y alii nascantur, quam ex altera; per eos vera maxima & minima exprimi. In duas igitur species maxima & minima distinguit, quarum una agit de punctis curvarum inveniendis, in quibus tangentes axibus conjugatis parallelæ; altera de inveniundo maximo vel minimo termino, ad quem certæ quantitates crescunt vel decrescunt, quem prætergressæ rursus decrescunt

scunt vel crescunt. Illustrem Marchionem *Hospitalium* ait in *Analyfi* infinite parvorum non nisi posteriora exempla proponere; ipse autem utriusque non elegantia exempla exhibet. Methodum generalem de focus Curvarum per *Analyfin ordinariam* inveniendis repræsentat *Rolle*, & de cycloidibus prolixè commentatur *de la Hire*, methodum tradens generalem per *Geometriam ordinariam* inveniendi tangentes, puncta fluxus contrarii, superficies & longitudines earundem, una cum methodo generali reducendi curvam quamcunque propositam ad cycloidem. Ut ultimum rite intelligatur, sit *A D B* curva quæcunque, instar cycloidis consideranda, sitque linea *C B* sive recta, sive curva positione data, quæ pro basi cycloidis habeatur. In singulis punctis *D, L, N* curvæ *A B* excitatæ concipiantur perpendiculares *D F, L M, N O* &c. basi in punctis *F, M, O* occurrentes sibi que mutuo infinite propinquæ. Super una perpendiculari, ut *D F*, tanquam basi formetur *Triangulum D F G*, cujus latus *D G* sit æquale lateri *L M* & latus *F G* lineolæ infinite parvæ *F M*. Similiter formentur *Triangula D G H, D N I* &c. hac ratione producetur linea quædam recta vel curva *I H G F K*, quæ erit curvæ *A D B*, si instar cycloidis super basi *C B* positione data consideretur, generatrix, & punctum *D* designabit punctum cycloidem describens respectu generatricis inventæ in ea positione, quam super basi *C B* obtinet.

TAB. IV
Fig. 2.

Ex *Astronomicis* plurima nobis commemoranda veniunt. *Moraldi* eadem ratione motum Martis & Jovis examinat, quem motum Saturni ab eo examinatum notavimus in *Actis A. 1706* p. 444 & 445, comparatis scilicet observationibus cum *Tabulis Rudolphinis Kepleri* & *Philolaicis Bullialdi*. Deprehendit autem, ut calculus juxta eas initus cum cœlo consentiat, Epochæ mediorum motuum Jovis in *Tabulis Bullialdi* addenda esse $5\frac{1}{2}$ minuta. Locum Aphelii ejusdem Planetæ ad annum 1701 ponit in $9^{\circ} 53'$ ♄. Æquationem maximam constituit $5^{\circ} 35' 15''$, ut adeo *Keplerianæ* $3\frac{1}{2}'$, *Bullialdinæ* $1'$ addi debere existimet. Distantia Jovis media a Sole est ipsi 519220 partium, qualium Solis a Terra distantia est 100000 : Locus ♄ ad annum 1705 in $7^{\circ} 17' 69$. Inclinationem orbitæ per geminam observatio-

nem eandem reperit, nempe $1^{\circ} 19' 40''$; motum vero Nodorum ad intervallum annorum 1934 eruit $12^{\circ} 37'$, adeoque 37 scrupulis minorem, quam eum exhibent Tabulæ *Bullialdi*, juxta quas isti intervallo respondent $13^{\circ} 14'$. Cum observationibus *Cassini* loca Martis ex Tabulis *Kepleri* computata conferens eandem in hoc Planeta optimum cum cœlo consensum expertus est, differentia intra 6 vel 7 minutorum terminos subsistente. Causas hujus differentiæ in re intricata satis exiguæ rimatus colligit, Epochæ *Keplerianæ* addenda esse $\frac{1}{2}$, æquationem *Kepleri* maximam retineri, ast locum Aphelii, quem *Rudolphinæ* assignant, $20'$ minui debere. Nodum Borealem A. 1700 d. 6 Maji 15 h. refert ad $17^{\circ} 13' 8''$, Tabulæ *Rudolphinæ* eundem rejiciunt ad $17^{\circ} 50' 8''$. Inclinationem orbitæ ad Eclipticam reperit $1^{\circ} 50' 45''$, quæ juxta *Rudolphinas* est $1^{\circ} 50' 30''$. Ab anno 1672 non meliorem fuisse ait occasionem Martis parallaxin observandi quam A. 1704 mense Septembri & Octobri, ubi $\text{\textcircled{♂}}$ erat in oppositione cum Sole prope Perigæum suum periodicum, & eum in cœlo locum tenebat, ut & in Meridiano & in insigni a Meridiano distantia per eandem noctem observari posset. Rara igitur hac occasione & telescopio 12 pedum usus, in cujus foco communi fila ad angulos 45° se interfecantes expandebantur, parallaxin Martis horizontalem $45''$ deduxit. Quoniam vero stellas videre non poterat, vitro objectivo illuminato, ad fila distinguenda duo Triangula opaca adhibuit, quarum ad fila applicatio e TAB. IV Fig. 3 elucet. Ad motum medium Planetarum determinandum optimum judicat, si observationes veteres conjunctionum Planetarum cum fixis comparentur cum observationibus recentioribus eorundem phænomenorum. Denique cum $\text{\textcircled{♂}}$ minimam a Terra distantiam haberet, per telescopium *Campanianum* 34 pedum maculas in ejus disco observavit, indeque motum vertiginis collegit 24 h. $39'$, quem *Cassinus* fecerat 24 h. $40'$. Idem *Maraldi* atque *Cassinus* A. 1706 a die 18 Martii usque ad 16 Aprilis in constellatione Virginis Cometam observarunt, ejusque in cœlo locum singulis diebus, quibus non erat nubilum, determinarunt. Cum adeo intra octennium, hoc est, ab anno 1699 usque ad 1706

TAB. IV
Fig. 3.

tres apparuerint Cometæ, Astronomis tantum observati; evidens est, Cometas non esse portenta usque adeo rara, ut vulgo creditur. Postquam *de la Hire* observationibus Mercurii, præsertim in Sole visi, Tabulas superstruxit reliquis accuratiores; Academicis quoque locum ejus accuratius computare datum est, atque hinc per telescopium d. 22 Oct. A. 1699 Mercurium interdiu in Meridiano primum conspexerunt. Tales observationes complures cum locis per Tabulas parentis computatis comparat filius, locusque computatus ab observato sæpissime nonnisi paucis secundis dissidet. Ex. gr. A. 1699 d. 23 Oct. Mercurius per Meridianum transibat h. 11 0' 20¹/₂". Altitudo meridiana vera erat 37° 44' 55". Inde Mercurii longitudinem 6 S. 13° 31' 44" & latitudinem Borealem 2° 5' 32" elicuit. Per Tabulas parentis erat longitudo 6 S. 13° 31' 51" & latitudo Borealis 2° 3' 36". Differentia igitur longitudinum 7", differentia latitudinum 1' 56". Notæ sunt revolutiones stellæ novæ in Balæna 11 mensium & alterius in Cygno 13 mensium: similem in Hydra detexit *Maraldi*, cujus revolutio 2 annorum. Ad reddendam apparitionis & disparitionis alternæ rationem commendatur hypothesis *Bullialdi* statuentis, quod stellæ istæ sint semi-soles & semi-lunæ motu vertiginis gaudentes. Multæ Eclipsium quoque observationes, magnæ inprimis istius Solaris, quæ A. 1706 contigit, in plurimis locis factæ repræsentantur. Observationi Solaris Rex interfuit & Serenissimus Dux Burgundiæ ipsemet plures phases determinavit. Ubi eclipsis erat totalis aut fere totalis, tenebræ adeo invalescebant, ut vix amicus amicum distingueret, vesperiliones evolabant & aves interdiu circumvolantes nidos consuetos petebant: quæ eadem *Dresde*, ubi eclipsis quoque totalis visa, a generoso Dn. *de Tschirnhausen* notata sunt, qui etiam per telescopium optimæ notæ circa limbum Lunæ fluctuationem & trepidationem quandam animadvertit, qualem fere a Mathematico quodam in Eclipsi Solari A. 1628 d. 25 Decembris *Barcinone* observatam refert *Scheinerus* in Rosa Ursina Lib. 4 Part. 2 Cap. 27 f. 740. Durante maxima obscuracione visi sunt Saturnus, Mercurius & Venus cum nonnullis fixis, & primus Solis splendor ab obscuracione

totali instar fulguris rursus emicuit. Apparuit etiam circa Lunam corona, cujus centrum idem erat cum centro Lunæ, & in qua observanda Sociorum Academia Regiæ Scientiarum *Montepessulano* nuperrime erectæ industria commendatur. Easdem vero circumstantias annotarunt, quas nos ex observatione Cl. *Wolfii*, nunc Professoris *Halensis*, hic *Lipsiæ* habita in Actis A. 1706 p. 335 retulimus, nisi quod, quam *Wolfius* apud nos Solis partem ultra annulum versus Zenith prominentem ab eodem distinxit, ipsi videre non potuerint, quia *Montepessulano* eclipsis erat totalis, nec pallorem limbi Lunaris adverterint, quem itidem *Wolfius* conspexit oculi aciem in Solem obscurationi maximæ vicinum tanto majore cum attentione defigens, quod tale phænomenon suspicabatur amicisque prædicebat, si quidem fidentum sit (de quo tum adhuc subdubitabat) observationi a *Keplero* in libello de nova Stella Serpentarii Cap. 23 p. 115 relatæ & ab *Hevelio* in Cometogr. Lib. 7 f. 363 repetitæ. Ut autem apparentiæ istiusmodi atmosphæræ Lunaris existentiam *Keplero* atque *Hevelio* indubiam reddant; *Cassino* tamen alia potius hujus phænomeni causa, quam radiorum Solarium in atmosphæra Lunari refractione, esse videtur. Ratio est, quod alias quasdam observationes cum atmosphæra Lunari non satis conciliare norit. *Sæpius*, inquit, *observavimus eclipses Saturni, Jovis & Satellitum ejusdem, quarundam etiam fixarum, a Luna effectas; sed nullam in his astris immutationem in ipsorum immersione animadvertimus: id quod nobis ansam dedit judicandi, tunc temporis circa Lunam ibi loci, ubi stella occultabatur, atmosphæram sensibilem non fuisse.* Quoniam vero ipse addit: *sed in aliis quibusdam observationibus stella nobis oblongari visa est, post partem Lunæ tam obscuram, quam claram occultanda: quod nobis persuasit, tunc ibi loci in vicinia Lunæ materiam, quandam densam extitisse, quæ radios horum astrorum, alterare & has apparentias causari valuit, id quod Kepleri cogitatis satis conforme foret: haud obscure intelligitur, ipsum atmosphæræ Lunaris impossibilitatem nondum demon-*

monstrasse. Ceterum cum in gratiam phænomeni cujusdam alterius ab ipso primum observati & in Actis A. 1683 p. 274 & seqq. prolixè descripti materiam quandam luminosam circa Solem sibi concipiat, in vicinia astri densiorem, in distantia majore rariorem; coronam in Eclipsi visam materiæ istius partem densissimam, Solem immediate ambientem, fuisse conjicit. *De la Hire* d. 17 Oct. h. 4 mat. 12' 40" distantiam cordis Leonis a Jove ope micrometri dimensus, eandem reperit 19' 25". Per tabulas tunc erat longitudo cordis Leonis 20° 47' 15" Ω , Jupiter vero secundum signorum successionem a stella ista distabat 7' 35", unde ejus longitudinem colligit 25° 39' 40" Ω , latitudinem 45' 1". Per Tabulas ipsius longitudo Jovis erat 25° 40' 11" Ω , latitudo 46' 11". Egregius itaque in Jove Tabularum cum coelo consensus. Idem curiose inquit, qualis futura sit magnitudo apparens corporis in disco Lunari, si ejus magnitudo vera urbi *Parisiorum* æquetur, atque ingenioso calculo deducit, sub ea magnitudine per telescopium 25 pedum nobis appariturum, quanta nudis oculis apparet macula, quæ *Maris Crisii* fert nomen.

In *Mechanicis* occurrit formula generalis, cui Carré inclusit, quicquid de legibus, juxta quas corpora sibi mutuo motum communicant, apud alios Autores hætenus prostat. Theorema cum eo coincidit, quod *Keil* in *Introd. ad Veram Phys.* p. 168 edit. post. dedit, derivatum a constructione problematis de congressuum regulis in corporibus perfecte elasticis & directe impingentibus, eodem tempore a *Christiano Hugenio* & *Christophoro Wren* Societati Regiæ Anglicanæ exhibita, utroque inscio, quid ab altero factum esset.

Mortuus est A. 1706 d. 6 Aug. anno ætatis 82 celeberrimi nominis Vir, *Johannes Baptista du Hamel*, cujus elogium sub finem Historiæ extat. Natus is est anno 1624, patre Advocato *Viria*, quod est Normanniæ oppidum. Anno ætatis 18 exiguum composuit Tractatum, in quo duabus figuris explicavit, quicquid in *Theodosii* tribus Sphæricorum Libris continetur, addita brevi Trigonometria, faciliorem ad Astronomiam aditum paratura. Anno ætatis 19 factus est Sacerdos congregatio-

gationis Orator. cumque Philosophia tunc temporis parum adhuc esset exulta, connubium inter Mathesin, Philosophiam Naturalem, Anatomiam & Chymiam monstrare intendit. Eum in finem edidit Astronomiam Physicam & Tractatum de Meteoris & Fossilibus A. 1660, quæ scripta A. 1663 sequebatur aliud de Consensu veteris & novæ Philosophiæ. Cum anno 1666 Illustrissimus *Colbertus* Regi foundationem Academiæ Scientiarum persuaderet, ob linguarum multarum eruditis præsertim familiarium, Chymiæ item & Astronomiæ notitiam Secretarius istius Academiæ constitutus est. A. 1668 interfuit paci Aquisgrani factæ, quod linguæ Latinæ callentissimus optime interpretari posset, quæ cum Ministris exteris Latino idiomate tractanda erant. A. 1670 Tractatum de Corporum affectionibus; 1671 alterum de Mente humana; 1673 librum de Corpore animato; 1678 Philosophiam veterem & novam ad usum Scholæ accommodatam, quam postea Missionarii in *India Orientali* magno cum plausu docuerunt; 1691 Theologiam Speculativam & Practicam, juxta SS. Patrum dogmata pertractatam, & ad usum Scholæ accommodatam, 7 Tomis; 1694 Theologiæ clericorum seminariis accommodatæ Summarium, Voll. 5; 1698 Regiæ Scientiarum Academiæ Historiam, quam 1701 auctiorem recudi fecit, & Institutiones Biblicas, seu Scripturæ sacræ Prolegomena, una cum selectis annotationibus in Pentateuchum; 1707 Psalmos & 1703 Libros Salomonis, Sapientiæ & Ecclesiasticum cum notis; 1705 integra Biblia cum notis edidit. Anatomicus pensionarius in ejus locum factus *Littre*, & Anatomici associati spartam obtinuit *du Vernei junior*. *Carré* quoque hoc anno factus est Mechanicus pensionarius, Geometra associatus *Guisnée*.

PRÆLECTIONES ASTRONOMICÆ, CANTABRIGIÆ

in Scholis publicis habitæ a GUILLIELMO

WHISTON, A. M. & Mathes. Prof.

Lucas.

Cantabrigiæ, typis Academicis. Londini, impensis Benj.

Tooke, 1707, in 8.

Const.

Const. 1 Alph. & 6 plag.

Postquam Cl. *Whiston* ad Professionem Matheseos *Lucasiana* in Academia *Cantabrigiensi* vocatus, pro muneris oblatione juventutis Academicæ utilitati velificandum esse duxit. Quare cum celeberrimi Viri, *Isaacus Barrow* & *Isaacus Newton*, eandem spartam antea ornantes *sublimia paucis proposuerint*; ipsi contraria via incedere atque *vulgaria plurimis propinare* libet. Habitas igitur sub auspiciis Professionis *Praelectiones Astronomicas* in usum studiosæ Juventutis typis describi curavit. Omissa autem Astronomiæ parte Sphærica, Theoricam tractat, ubi quædam de Telluris figura & dimensione præmisit, ad stellas fixas, inde ad Solem & Lunam, tandem ad reliquos Planetas tam primarios, quam secundarios statim progrediens. Recenset 1 phænomena, 2 rationes eorundem reddit, 3 theoriis motuum constitutis, calculi præcepta perspicue explicat, & 4 sub finem Tabulas Theoricas subjungit. Ubique vero recentioribus inventis egregie utitur, ita ut recentioris Astronomiæ nucleum exhibuisse dicendus sit. Sane dum de parallaxi fixarum agit, iis recensendis immoratur, quæ de ea *Flamstedius* observavit, & ex summi hujus Observatoris observationibus fixarum distantiam 9000 fere Semidiametrorum Orbis Magni elicit. De parallaxi Solis differens, præter modos *Hipparchi* & *Aristarchi Samii* notissimos, methodum imprimis *Cassinianam* parallaxin Solis inveniendi ab Illustri *Blanchinio* A. 1685 p. 470 & seqq. in Actis nostris repræsentatam exponit. Docet quoque methodum *Hallejanam* solstitium inveniendi, quam ex *Transaction. Anglicanis* Tom. III Supplem. Actorum nostrorum p. 228 & seqq. inseruimus. Motum Aphelii cum *Thoma Street* non nisi apparentem facit, & causam apparentiæ in æquinoctiorum præcessionem, hoc est, motum Nodorum orbitæ Telluris, conjicit. In Satellitum Jovis doctrina methodum celeberrimi *Ræmeri* velocitatem propagationis luminis definiendi declarat, & *Hallejum* in Act. Philos. Anglic. n. 214 dubiis a *Cassino* contra eam moris ex arte satisfacisse monet. Circa Planetas inferiores dum occupatur, dissertationem *Hallejanam* de calculis *Veneris* & *Mercurii* in Sole videndorum in Actis *Anglicanis* extantem enodat.

In

In theoriis constituendis presso pede sequitur magnum nostrum *Keplerum*, assumens Planetas motu inæquabili ita moveri in peripheriis Ellipsium, in quarum communi umbilico inferiore Sol hæret, ut æquali tempore areas æquales circa Solem describant, radiis a centro Solis ad centra Planetarum ductis, indeque motum angularem circa Solem quadrato distantiaæ a Sole reciproce proportionalem esse demonstrans. Unde *Seih Wardi* atque *Ismaelis Bullialdi* calculum Planetarum rejicit, quorum hic in *Astronomia Philolaica* inscius, ille in *Inquisitione in Bullialdi Astronomiam Philolaicam & in Astronomia Geometrica* sciens supponit, motum angularem circa focum superiorem æquabilem esse. In eundem censum refert *Comitem de Pagan*, qui falsum *Wardi* suppositum in sua *Planetarum Theoria* retinuit: nec ipsi *Nicolai Mercatoris* institutum probatur, dum in *Instit. Astron.* p. 162 & seqq. relictis motuum causis physicis, ad *divinam secretionem* recurrit, utut hypothesin ejus inter approximantes ac pure Astronomicas palmariam fere judicet. Quoniam vero *Bullialdus* errorem suum atque *Wardi* agnoscens, in *Astronomie Philolaicæ fundamentis explicatis* hypothesin *Wardianam* ita emendavit, ut facta hac correctione propius ad veritatem accedatur; eam quoque in Planetarum motibus definiendis potissimum adhibet. Ad eandem itaque cum respexerit *Thomas Street* in *Tabulis Carolinis* condendis, has ad loca ♃ ♄ ♀ & ♁ computanda operi subjungit, tanto quidem lubentius, quod summus harum rerum judex *Flamstedius* omnium hæctenus vulgarum optimas pronunciet. Ast in Sole & Luna *Flamstedianis* utitur, & in intimo Jovis Satellite *Cassino-Hallejanis*. Quoniam *Tabule Streetianæ* tantam laudem merentur, *Job. Gabriel Doppelmayr*, Math. Prof. in Lyceo *Norimbergensi*, operæ pretium fecit, dum *Streetii Astronomiam Carolinam* ex Anglico idiomate in Latinum transtulit, & cum *Tabulis Rudolphinis*, in breve & facile compendium a *Jo. Bapt. Morino* redactis, *Norimbergæ* 1705 in 4 recudi curavit. Notum est Astronomiæ cultoribus, in *Astronomia Kepleriana* maximum momentum situm esse in anomalia coæquata ex media data invenienda. Quare cum nemo hæctenus methodum eam directe inveniendi tradiderit, sequentem

quentem *Whistonus* commentus est. Quoniam Planetæ areas æquales æquali tempore circa Solem describunt, rectis ex hujus centro in ipsorum centra ductis; anomalam mediam quærendam esse contendit in circulo ex foco Ellipseos inferiore descripto, cujus area area Ellipseos æquatur. Sed ex Conicis cum constet, istiusmodi circulum esse, cujus radius inter utrumque semi-axem Ellipseos medius proportionalis; inveniri jubet rectam *AI* inter *BH* & *BE* mediam Geometricè proportionalem, atque ejus intervallo ex foco *A* determinari puncta *I* & *i*, in quibus motus Planetarum verus motui medio æquatur, hoc est, eadem distantia *AI* æqualis area & in circulo, & in ellipsi describitur. Quoniam adeo Tabulæ Astronomicæ hæctenus prostantes pleræque omnes prosthaphæreseos augmentum & decrementum alibi quam ad puncta *I* & *i* statuunt; Planetarum loca male per eas definiri infert. Datis vero in Triangulo *AIC* tribus lateribus, nempe *AI*, distantia focorum *AC*, & $CI = HD - AI$ ex natura Ellipseos, datur etiam angulus *DAI*, quem Noster ex supposita eccentricitate $\frac{1692}{100000}$ facit $89^{\circ} 20'$. Concipiatur jam circulus Ellipsi æqualis una cum Ellipsi in 360 sectores æquales ex centro *A* divisus, evidens est in circulo angulos omnes fore unius gradus, ast non item in Ellipsi. Quoniam vero motus angularis circa Solem est Quadrato distantia a Sole reciproce proportionalis, & Sectores minores Ellipseos *DAa*, *aAb*, *bAc* &c. quorum radii *Aa*, *Aβ*, *Aγ* sunt inter *DA*, *Aa*; *Ab*, *Ac*; *AcAd* medii Arithmetice proportionales citra errorem notabilem pro sectoribus circularibus haberi possunt; erunt ut quadratum *Aa* ad quadratum *Ai* ita minuta secunda unius gradus ad minuta secunda anguli *DAa*, similiterque invenientur anguli *aAb*, *bAc*, *cAd* &c. ex quorum additione habentur anomaliæ coæquatæ ad singulos gradus anomaliæ mediæ. Rectas vero *Aa*, *Ab*, *Ac* &c. quæ in hoc calculo supponuntur, per Algebram invenit Autor, ex dato angulo *DAa*, latere *AC* & summa laterum $Aa + aC$. Denique Lunam pertinacissimum sidus dum coercere conatur, monet veras Lunarium inæqualitatum causas solum *Newtonum* perspexisse, unde & sub finem ejus theoriam Lunarem ex *Gregorii* Elementis Astronomiæ repetit eamque illustrat. Quoniam tamen Geometra summus eam non-

TAB. IV
Fig. 4.

dum perfecit, in phænomenis motus Lunaris explicandis hypothesi *Horocciana* utitur, quæ inter *Horoccii* Opera posthuma compareret, & ad calculum Lunarem Tabulas *Flamstedianas* juxta eam constructas adhibet. Promittit & passim *Astronomia Physicæ Newtonianæ* elucidationem tyronum captui accommodatam.

Deutliche Beschreibung der so genannten
Luft = Pumpe.

h. e.


ANTLIA PNEVMATICA ILLUSTRATA;
Autore JACOBO LEIPOLD, Matheseos & Me-
chanicæ Cultore, Nosocomique Lipsiensis
Oeconomo.

Lipsiæ, apud P. W. Stockium, 1707, in 4.

Constat plag. 5 & Tabb. æn. 6.

Qui in instrumentis Mathematicis & ad experimentandum requisitis accurate elaborandis eximiam hætenus operam posuit industrius Autor, in gratiam curiosorum, qui litteras nesciunt, machinæ in Philosophia experimentalis famigeratissimæ, Antliæ pneumaticæ, descriptionem cum omni ipsius apparatu Germanico idiomate exhibere voluit. Orditur tractationem suam ab historia machinæ hujus curiosæ non minus, quam utilis, gloriam primæ inventionis merito tribuens *Otoni de Guericke*, Consuli *Magdeburgensi*. Unde corrigendus est error, quem in Epistolis in Actis nostris Anni superioris p. 416 commendatis commisit *Desnoues*, inventorem Antliæ pneumaticæ *Monsieur Magdebourg* appellans. Subjicit Autor structuram Antliæ tum *Guerickianæ* geminæ, tum *Boylianæ*, tum imprimis *Batavæ*, quæ jure reliquis præfertur. Affert cautelas practicas in Antliæ constructione ejusque usu observandas: exponit modum Antliæ perfectionem examinandi & rationem in evacuandis vasis eam exercendi, tandemque palmaria experimenta illius ope instituenda repræsentat. Addit vero etiam nonnulla a se inventa, de quibus quædam dicenda. Commemoramus itaque instru-

AB.V. ad A. 1708. M. Aug. pag. 355.





instrumentum, quod ad aerem comprimendum excogitavit, quo phænomena in aere compresso facilius posthac & sine ul- TAB. V.
lo periculo spectare liceat. Ecce tibi structuram ejus: AB est Fig. 1.
tubus orichalceus vel cupreus. Fundus A in medio perforatus, foraminis diametro 2 digitos non excedente. Munitur vero foramen vitro plano chrystallino, cujus crassities unius digiti. In fundo altero HI foramen ovale paratur, operculo KL muniendum; cujus medium denuo vitrum orbiculare M occupat. Fig. 2.
In C matrice instruitur tubus atque epistomia, ut Antliæ affirmari ac aere illius ope intruso claudi queat. Quo vero periculum omne absit, si forte vitrum in D frangatur; Speculum E ad vitrum D ita inclinatur, ut oculo ad foraminulum F dioptræ G applicato objectum in tubi cavitate positum in illo conspiciatur. Similiter instrumentum perfecit, quo ad monstrandas aeris in frangendis orbibus vitreis vires utimur. Notum nimirum est Coni truncati AB basi superiori B orbes vitreos applicari, qui educto per Antliam ex interiore ejus cavitate aere diffringuntur. Ut igitur ostendi possit, pressionem aeris tum lateralem, tum eam, quæ sursum exercetur, eundem producere effectum, ipse hunc conum truncatum AB afferuminari jubet. Fig. 3.
tubo BC arcte tubum alterum CD ambienti, ut aeri quidem omnis accessus intra tubum denegetur, hic tamen circa alterum gyrari queat. Tubus alter CD in vas E desinit Antliæ more consueto applicandum. Notat etiam vas ABC ad experimenta in vacuo instituenda commodius esse campaniformibus vulgo usitatis, tum quia minus metuendum, ne aer in vacuum rursus subintret; tum quia per operculum A citra aeris admissionem in recipiente evacuato varii motus fieri possunt. Eum itaque in finem monstrat, quomodo pleraque instrumenta ad illud experimentorum genus idonea operculo commode affigantur. Scilicet in medio operculi AC cochlea Fig. 6.
B intra matricem mobilis reperitur, in cujus extremitate virgula ferrea transversa D cernitur: ad latus vero virga alia prismatica EF eidem adferruminata est, cui instrumenta recipienti immittenda applicantur. Sit e. gr. Campanula HG intra vas recipientis suspendenda: virga EF in cavitate prismatis GI ingeritur Fig. 6 & 7.

geritur & cochlea K intra eandem firmatur. Clauso recipiente si cochlea B in operculo A C movetur, virga D pistillum LM elevat, quod proprio pondere recidens campanulam GH percutit. Eodem artificio pendulum centro Quadrantis applicatum in vacuo movetur, ex siphone embolus extrahitur iterumque deprimitur, &c. Coronidem huic recensio*n*i imponat experimentum pervulgatum, sed singularibus quibusdam circumstantiis ab Autore auctum. Tubum scilicet vitreum utrinque epistomio instructum, cujus longitudo erat 40 pedum, diameter 1 digiti, aqua replevit & verticaliter erecti osculum in aquam demersit. Triduo elapso cum epistomium inferius aperiret, aqua ad 32 pedum altitudinem e vestigio delapsa: at mox surgentes bullulae per mediam aquam copiose fatis ascenderunt, aucta in ascensu ipsarum mole, quibus per vacuum expansis, aqua notabiliter subsedit.

*VAL. ERNESTI LOESCHERI, D. PRÆNOTIONES
Theologicae.*

Wittembergæ, sumptibus Christ. Gerdesii, 1708, 4.

Alph. I plag. II.

Consilium fuit Celeb. Auctori, qui nunc Professore*m* Theologiae Ordinarium in Academia Wittembergensi agit, ea doctrinarum capita, quæ, antequam ad analogiam fidei tradendam pervenitur, prænoscentia sunt, indeque Prænotiones vocantur, quæque, missa contradictione, omnes sanæ mentis homines recipere par erat, vindicare contra insultus eorum, qui hodie ingenti numero eadem eunt impugnatum, sive naturæ, sive fanatici luminis ductu. Hinc primum contra Atheos multa vindicat, interque alia illud, non dari integras gentes Atheismo infectas, quo loco P. Bælii recentiora scripta omni studio examinat, multosque ejus lapsus commonstrat. Spinosam quoque & Herbertum a Cherbury sæpe pro meritis excipit. Deinceps ad Deistas se confert, & Universarios, h. e. illos, qui ex rationis & naturæ corruptæ ductu ad insaniam illam pervenere, ut docerent, Deum esse naturam, & naturam vicissim esse Deum.

Deum. Hic Piccolominei, Cremonini aliorumque Aristotelicorum inclinantes ad Deismum errores examinat. Irreligionarios etiam h. e. eos, qui Deum coli & commercium aliquod inter illum & homines dari posse, vel homines ad religionem aptos ac obligatos esse negant, vel etiam fundamenta religionis, conscientiam κ. τ. λ. evertunt, sub censuram vocat. Deistas quoque illos, qui ex fanatico impetu Deum & res creatas permiscuerunt, refellit, multaque de Jac. Boehmii hypothesebus disputat.

Hinc Scepticos & Indifferentistas aggreditur, sigillatim Lockii, Malebranchii & Rationalistarum, quos vocant, Belgarum hypothesebus examinans, fundamenta & criteria veritatis in tuto ponens, notiones vero communes præsertim vindicans; quibus expositis noxam errorum delineat, veritatem notionibus constantem defendit, diversa intellectus & voluntatis munia declarat, & Fanaticis adeo obices tutissimos opponit. Confert se ab his, ipsius etiam rationis oppugnantibus, ad Antiscripturarios, qui revelationis & S. Scripturæ auctoritatem adversis armis adoriuntur, illique rationem vel fanaticum lumen opponunt; contra hos, præsertim Latitudinarios, Hobbesium, & Rationales supra commemoratos, de rationis ambitu & debitis limitibus disputat, Sacramque Scripturam contradictionibus, erroribus absurdis obscœnisque & similibus vitiis carere ostendit, fanaticum quoque Scripturæ contemptum dignis modis confutat.

Deinceps cum Anti-Dogmaticis, qui accuratum docendi genus rejiciunt, sive naturæ vitio, sive fanatico instinctu id faciunt, disceptationem ingreditur, distinctam docendi rationem, systemata, symbola, voces technicas, quæ adversarii omnino esse jubent, vindicat: addit Syncretistas & Henoticos auctores, quorum consilia artesque exponit pariter & disjicit. Tandem cum Dogmatistis agit, h. e. cum illis, qui falsa dogmata, hypotheseque & systemata contra analogiam fidei formant ac tumentur, quos quidem non alia ratione considerat, quam quatenus in Prænotionibus subsistunt. Hic primum crassiores in forum deducit, tam Naturalistas, qui Mechanismo capti in sensi-

bus & phantasia unicum divinæ etiam veritatis præsidium quæ-
runt, (quo loco spiritus dari atque operari in corpora, probat,
deque obsessionibus, magia & spectris, miraculisque disquirit,)
quam Fanaticos, ubi de Cabbala & Orphicis Platonisque my-
steriis, deque particula divina & animæ viribus tractat. Subti-
liores vero ultimo loco contemplatur, de rationis usu, conse-
cutionibus Theologicis, τῶ ἐηλῶ Scripturæ sancte custodien-
do, imperio voluntatis in intellectum, & similibus profun-
dioribus materiis tractans. Plurima sane hic accumulata vi-
deas, & velut in compendio tradita, de quibus amplissima alias
volumina scripta sunt, & scribi poterunt, ut satius sit librum
ipsum legere, quam ex compendio Prænotionum Theologica-
rum excerpta dare.

TRAITÉ DE L'AMOUR DE DIEU, EN QUEL
sens il doit être desintéressé.

i. e.

*TRACTATUS DE AMORE DEI, QUO SENSU IS
indifferens esse debeat; tres Epistolæ ad R. P. LAMY,
Benedictinum, una cum quarta, seu Responsione gene-
rali ad eundem; Auctore R. P. MALEBRANCHE,
Presbytero Oratorii.*

Lugduni, apud Leonhardum Plaignard, 1707, 12.

Constat 1 Alph. 19 plag.

Prostat Lipsiæ, apud Jo. Frid. Gleditschium.

DE amore puro quantopere hætenus inter eruditos dispu-
tatum sit, ex quo Cameracensis Archiepiscopus Franciscus
Fenelon de Salignac hocce eridos pomum in medium projecit,
constat inter omnes. Nec dum finis controversiarum adest.
Disputatur adhuc hac de re inter Malebranchium atque Lamy-
um, illum Oratorii Presbyterum, hunc Benedictinorum ordi-
ni adscriptum, utrumque ingenii monumentis variis non tan-
tum in Gallia, sed apud externos quoque celebrem atque illu-
strem. Momentum controversiæ, quæ inter hosce agitur,
in primo libri limine statim panditur, & eo redit: Malebranchi-
us sta-

us statuit amorem ita purum, qui omnis cupiditatis propriæ felicitatis expers sit, esse ἀδύνατον & frustra adeo fingi. Immo amorem, quem vocat benevolentiae (alii tamen, quod nos ὡς ἐν παρόδῳ notamus, hac voce aliter utuntur) quo quilibet se ipsum naturaliter amat, aut immensum illud desiderium, quo quilibet ad ea, quibus perfectior, felix aut beatus reddi potest, appetenda fertur, naturale & universale principium omnium animæ motuum esse existimat; voluntatemque in quantum amare potest, nihil aliud esse quam desiderium solidæ & veræ illius felicitatis, quod Deus nunquam non nobis imprimat, ut nos ad illum ceu finem nostrum amandum excitet. Lamyus contrarium statuit, amorem videlicet istum purum, omnisque ad suam felicitatem intuitus expertem, quem antea designavimus, omnino dari in hominibus voluntatemque a desiderio felicitatis esse diversam. Hæc utriusque est sententia, hoc caput causæ, super quo concertatur.

Origo controversiæ, quæ inter nostros auctores agitur, hæc est. Lamyus sub inviso philautiæ (l' amour propre) nomine bonum legitimumque sui amorem impugnaverat in libro de *Cognitione sui ipsius T. III*, & ad sententiam suam confirmandam, quædam ex Malebranchii scriptis laudaverat. Id male habuit Malebranchium, a viro, alias sibi amico, sententiam sibi tribui, quam vel centies in scriptis suis rejecisset, imo calamum a se arripiendum ad mentem explicandam censuit, ne silentio suo rumorem, quod amoris indifferentis assertor esset, confirmare videretur. Libellum itaque *de Amore Dei* composuit, in quo summa, qua fieri potuit, modestia contra Lamyum disputat, id quoque intermissurus, nisi ad sinistram aliorum de se opinionem, omnemque erroris suspicionem a se amoliendam hoc necesse esse duxisset, simulque ut constaret omnibus, qua causa inductus istud argumentum sibi tractandum sumisset, in quo discutiendo & examinando Episcoporum cura versabatur. In hocce autem *de Amore Dei* opusculo, quod primum etiam in hac collectione locum tenet, id sibi probandum sumsit, desiderium felicitatis seu beatitudinis homini ita insitum atque innatum esse, ut plane necessarium sit, nec deponi aut exui ab homi-

homine possit, omnesque homines in omnibus, quæ agunt, sive bona sint, sive mala, beatitudinem quandam aut felicitatem querere. Unde porro concludit, Deum non posse aliter amari, quam quia homines in eo beatitudinem suam inveniunt, eumque amorem, qui omnis respectus ad nostram felicitatem expers fingatur, ἀδύνατον esse, & pro mero commento habendum. Sollicite autem distinguit id quod nos impellit ad amandum, seu principium necessarium omnis amoris, a fine seu termino, quem homo libere sibi proponit & ad quem ceu scopum amor tendit atque dirigitur. Ita namque omnes difficultates, quæ a contrariæ sententiæ patronis moveri possent, facile se superaturum confidit. Possent namque objicere, si nullus amor est sine desiderio felicitatis, ergo homo, cum Deum amat, non Deum sed seipsum amat, suam scilicet beatitudinem: quo ipso amor Dei in turpem commutabitur philautiam. Respondet Malebranchius, id quidem fore, si homo pro ultimo fine & scopo sibi constitueret non Deum, sed suam felicitatem, aut beatitudinem. At hoc a se non asseri: sed id saltem, quod id quod hominem ad amandum Deum moveat, impellat, sit propriæ felicitatis desiderium, quod ab amore nullo modo separari queat. Ita quidem Malebranchius.

Lamyus cum ista legisset, in quinto Tomo operis *de Cognitione sui ipsius* hac de re conquestus est, mentem suam a Malebranchio non recte propositam, quippe quem contra opinionem hæretici, philautiam in amorem Dei commutantis, citasset. Hinc varia loca ex scriptis Malebranchii adfert, quibus contra philautiam pugnaverit, indeque vult evincere, amorem indifferentem, seu expertem omnis ad suam felicitatem intuitus a Malebranchio fuisse approbatum, ut adeo parum sibi constare videatur. Hinc Malebranchio enata est occasio tres Epistolas ad Lamyum scribendi, quæ in hacce collectione post libellum *de Amore Dei* exhibentur. In prima Auctor contendit quæstionem non fuisse de philautia, prava scilicet ac improba prout vox illa plerumque sumitur, sed de innato omnibus felicitatis seu beatitudinis desiderio. Idque inde probat, quod Auctor, quem sibi refutandum sumserat Lamyus, philautiam pra-

vam non defendat, multo minus in amorem purum transmutet. Deinde, quod argumenta, quæ in aciem eduxerat Lamyus, non pravam istam philautiam, omnium calculo damnatam & proscriptam, impugnent, sed legitimum istum sui ipsius amorem, seu desiderium felicitatis. Unde concludit, si hoc fuisset Lamyus consilium, quod nunc præ se fert, cum larvis eum tum pugnasse, nemine existente, qui improbum sui amorem defendat, idque rationibus parum ad rem facientibus eum egisse. In altera Epistola ad loca ex scriptis suis a Lamyō allegata descendit Malebranchius, ostenditque, ea ita comparata esse, ut amori indifferenti nullum afferant præsidium. At caput causæ remque ipsam aggreditur in Epistola tertia, & primo vocum quarundam tollit ambiguitatem, qua se ipsos aut alios seducant, & rem per se claram tenebris involvant indifferentis amoris defensores. Deinde gravissimos errores, qui ex sententia de indifferentia amoris fluant, indicat. Interim puritatem amoris humani ipse quoque requirit, sed eos, qui plane indifferentem amorem statuunt, eum non tam purum reddere, quam prorsus destruere & evertere, demonstrat. Hæc summa est trium istarum Epistolarum Malebranchii, quibus loca quædam Lamyi subjecta sunt, ut Lector, iis cum Malebranchii Epistolis collatis, de toto negotio eo rectius statuere posset. Cum vero Lamyus, postquam Epistolis hisce sententiam suam Malebranchius explicaverat, nondum conquiesceret, sed itidem Epistolis quibusdam causam suam ageret, Malebranchius quartam Epistolam scripsit, quæ responsionem generalem continet ad ea, quæ in Epistolis suis regesserat Lamyus; & itidem in hac collectione exhibetur. Repetuntur fere in ea, quæ jam sæpius dicta sunt. Profitetur etiam Malebranchius, cum Lamyi Epistolas legisset, initio sibi constitutum fuisse, responsionis loco rogare Lamyum, ut libellum suum de amore Dei & tres antea memoratas Epistolas relegeret. Eadem semper oberrare chorda Lamyum, tribuendo sibi sententiam, quam pro sua non agnoscat: cuncta redire ad ambiguitatem quarundam vocum, quam licet adhibita explicatione jam centies sustulerit, non tamen hoc agnoscere, nec agnoscere velle Lamyum.

Patet ita ex dictis, quæ controversiæ hujus inter Malebranchium & Lamyum sit ratio. Sed ut mentem Malebranchii eo clarius sistamus, juvabit ex Epistola tertia nonnulla addere. In ea, ut antea innuimus, primo de vocum quarundam explicatione sollicitus est. Inter eas est vox *impellens* seu *movens* (*motif*) quam ita capit Malebranchius, ut a fine discernat. Objecerat Lamyus, quæ voluntatem movent, morali ratione eam movere, tanquam finem. Negat Malebranchius rem ita semper se habere. Libere impellentia, quæ ipse homo eligit, atque sibi proponit, ita comparata esse, ut certo modo moraliter eum moveant. At desiderium felicitatis non esse aliquod libere impellens & movens, quod homo ipse eligat, aut sibi proponat, sed innatum esse & necessarium, ut homo non possit non felicitatem suam appetere. Hoc movens ita movere voluntatem, ut per illud reliqua moventia tantum voluntatem moveant. Interim ab ipso fine multum diversum esse hocce movens, cum in libere moventibus, seu quæ ipsi nobis proponimus, hoc contingat, ut movens atque finis coincidat. Movens, quod ambitiosum hominem impellit, ut dignitatem quandam emat, cum fine ejus coincidit, quia hoc ejusmodi est, ut ab isto homine eligatur. At longe aliter se habere cum desiderio felicitatis, quod homines sibi non proponant aut eligant, quod ab ipso Deo insitum atque impressum habeant, ut non possint non velle esse beati atque felices. At ut hoc desiderium per certum objectum determinetur, id in hominis positum esse voluntate, atque hoc objectum demum movens morale fieri, & cum fine coincidere. Atque hinc moralitatem etiam hujus desiderii dependere: quippe quod malum fiat, si objectum malum arripiat, bonum autem, si in objectum bonum & legitimum feratur. Omnia itaque Christi præcepta & consilia (ita more Pontificiorum loquitur) non eo tendere, ut desiderium istud felicitatis supprimatur, aut extinguatur, sed ut per legitimam objecti propositionem dirigatur. Immo excitare Christum hoc desiderium, ut inde ad amorem Dei inflammemur. Quod ad eum amorem, quo alios prosequi nos homines decet, attinet, præcipi nobis, ut eos amemus sicut

nos ipsos. Innui ita, amorem, quo nos ipsos amamus, seu felicitatis desiderium, tam intime nobis insitum esse, ut supervacaneum fuerit hoc nobis injungere, quod nos ipsos amare debeamus. Si, inquit, nos ipsi nos non amaremus, haud dubie Christus, ut hoc faceremus, præcepisset. Si autem nefas esset nos ipsos amare, non sane jussisset, ut alios homines amaremus sicut nos ipsos. Istum igitur amorem, quo nos ipsos amamus, bonum esse concedit, eumque ut destruamus aut imminuamus, neutiquam in nostra positum esse potestate. Est, inquit, hic amor sui ipsius in cælo, in terra, in inferno, ubique necessarius & consilio creatoris inserviturus. Necessarius est in cælo, ut virtutis præmia consequantur sancti, in terris, ut electi virtutis præmia mereantur (ita ex ecclesiæ suæ hypothese loquitur) in inferno, ut damnati puniantur. Voluntatem, in quantum amat, a desiderio felicitatis seu beatitudinis distinguit Lamyus. Recte hoc fieri negat Malebranchius, cum revera unum idemque sint. Fieri namque non posse, ut anima in iis, quæ ad ejus felicitatem pertinent, indifferens sit. Immo repugnare plane hanc sententiam ordini salutis ab ipso Servatore nobis præscripto. Hunc ut indifferentes ad obsequium Dei revocaret, suum ita ordiri sermonem: *Beati pauperes spiritu, nam eorum est cæleste regnum: beati, qui lugent, nam ii consolandi sunt, &c.* Quam parum hæc cum opinione illorum, qui amorem indifferentem statuunt, conveniant, Auctor prolixè edisserit. Urget & hoc, quod Servator *Luc. XII, 5* dicit: *Timete eum, qui, postquam interfecit, potestatem habet in gehennam conjiciendi.* In indifferentes istos, inquit, hæc minime quadrabunt, qui ut amoris, ita & omnis timoris se vacuos esse credunt, certe tales videri volunt. Hisce namque cælum & infernum non posse non uno eodemque loco haberi. Cælum quidem, quod beatitudinem non concupiscant, nefasque putent Deum eo amore prosequi, qui cum felicitatis desiderio sit conjunctus: infernum etiam, cum re vera non puniatur, qui pœnas pro malo non reputat, sed in his omnibus indifferens est. Immo & hoc ipso Diabolo status sui miseriam evitare posse, cum tam stupidi non sint, ut indifferentiam illam animæ intellecturi non essent,

si eam spiritus haberent, aut habere possent, qua inter medios cruciatus tranquilli esse possent, si liceret illis esse indifferentibus, aut si malis non magis moveri spiritus aliquis posset, quam bonis. Quod si excipiant seculi sentientes, longe aliam spirituum infernalium conditionem esse, quam hominum sanctorum, qui voluntati divinæ vera humilitate se subjiciant, quid ad hoc respondendum sit, Malebranchius ostendit. Satis splendide a Lamyō dici, Deum qui hominem creavit, ut illum amaret, simul eam illi indidisse naturam, ut Deum amare non posset, si non nisi intuitu suæ felicitatis Deum amare posset, quod tamen si quis dicere velit, absolum atque impium esset. At ita si res se haberet, regerit rursus Malebranchius, sequeretur, Scripturam librum omnium maxime perniciosum esse, cum ubique nostræ felicitatis desiderium supponat, & hinc argumenta efficacissima deducat, quæ nos ad amandum Deum impellere queant. Hoc si ergo sit, non Deum, sed se ipsum amare, hominemque in eam detrudere conditionem, qua Deum prorsus amare nequeat, ejusdem culpæ Scripturam sacram rem fore. Sed hinc, cujusmodi reliqua sint, facile intelligitur: proinde hisce diutius non immorabimur.

Ultimum in hac Scriptorum Malebranchii collectione tenent locum *Meditationes ejus Christianæ & Metaphysicæ*, quæ tamen jam pridem Orbi erudito innotuerunt, & nunc iterum nova editione sistuntur. Non itaque necesse fuerit prolixè de illis verba facere, præsertim cum hypotheses Auctori propriæ, quæ & hic utramque paginam faciunt, ex aliis ejus scriptis, subinde a nobis commemoratis, satis superque notæ sint. Sic homines ipsos idearum suarum, rationis & luminis, quo illuminantur, non esse causas, statim ab initio asserit. Nec Angelos id in hominibus efficere posse. Æternum Dei verbum, idem quod caro factum est, esse rationem universalem omnium spirituum. Quotuplici ratione hocce verbum ad homines loquatur, docet, & quo pacto, qui in ejus disciplinam se tradit, illud interrogare & responsa ejus accipere debeat, exponit. Hinc & ubique verbum hoc ceu magistrum docentem & cum discipulo suo colloquentem inducit. De veritatibus necessa-

riis, arduis, immutabilibus, & legibus æternis verba facit. Deum, more suo, unicam omnium, quæ in mundo fiunt, causam veram facit, qui tamen secundum certas leges agat, quarum intuitu dici possit, causas secundas potentiam habere faciendi, quæ Deus per illas facit. Atque inde porro sequitur, Deum, solum tanquam veram causam per leges generales unionis animæ & corporis ea facere, quæ homines tantum ut causæ occasionales vel naturales faciunt, hoc est, homines non esse actionum suarum & effectuum causas proprie sic dictas, sed tantum occasiones. Quibus suppositis, explicat, in quo potentia volendi hominum, aut bonum aliquod amandi consistat. Sapientiam divinam non tantum in operibus ejus, sed præcipue in modo, quo cuncta operatur, conspici ait. Facilem hic se invenisse viam existimat explicandi, unde tot monstra & irregularitates, si ita loqui fas est, in mundo existant, quo pacto Deus mala permittat, & quæ reliqua sunt, quæ pugnare cum divina providentia videntur, de quibus omnibus Malebranchii prolixè referre sententiam vel ideo superfedemus, quod jam alibi has Malebranchii hypotheses a nobis commemoratas meminimus. A natura ad gratiam progreditur, & diversum, quem Deus tenuit, agendi modum sub lege & sub gratia edifferit, addens, a Deo non esse expectanda miracula, quæ nostri causa faciat; sed in regno gratiæ æque ac in naturæ regno ad simplicem & generalem, quo Deus utitur, agendi modum esse attendendum. Rursus de potentia Dei dum agit, creationem fuisse possibilem demonstrat, erroribusque quorundam Philosophorum secus sentientium occurrit. Negat etiam, spiritus esse modificationes particulares rationis universalis, cumque claras de anima nostra ideas non habeamus, mirandum non esse, quod circa eam difficultates occurrant insuperabiles. Veræ felicitatis rationem indolemque expositurus, inter alia docet solum Deum jucundas perceptiones gaudiumque producere: sapientiamque & bonitatem divinam luculenter conspici in perceptionibus objectorum sensibilibus, per unionem corporis & animæ in nobis productorum. Fines Dei, quos in suis operibus sibi proposuit, quodammodo cognosci posse, si rationem universalem

lem consulamus, quod exemplo unionis, quæ inter animam & corpus est, comprobat. De officiis hominum erga Deum generalibus dum verba facit, ea sine gratia præstari non posse docet, & hinc porro, quomodo gratiam obtineamus, & quid factu opus, ut gratia in nobis id operetur, cujus causa nobis est concessa. Prolixum nimis foret, si omnia, quæ de gratia suo modo affert, recensere vellemus, speciatim de gratia illuminationis & perceptionis (*sensitum*) unde producat & conservetur charitas, item quæ de causis occasionalibus gratiæ illuminationis differit. De gratia perceptionis aut interna delectatione dum agit, eam necessariam esse docet ad charitatem producendam & contra concupiscentiæ insultus conservandam. Finem facit de mediis auxilia gratiæ obtinendi varia subnectendo, meditatione scilicet eorum, quæ de Christo Salvatore proposuit, quem causam occasionalem gratiæ vocat, de precibus recte instituendis, de sacramentis & legitima ad rectum eorum usum præparatione, & quæ alia sunt ejusdem commatis, ita pertractata, ut propriis & singularibus Auctoris hypothesebus cuncta innitantur.

ארבע טורים

אורח חיים: יורה דעה: אבן עזר:
חושן המשפט:

h. e.

QUATUOR TURIM, SEU ORDINES.

*VIA VITÆ; DOCTOR SCIENTIÆ: LAPIS AUXILII:
PECTORALE JUDICII; Auctore R. JACOBO BAR
ASCHER, בעל טורים h. e. Auctor Turim, dicto;
Quibus accedunt בירת יוסף 1 Domus Josephi, sive
Commentarius R. JOSEPHI KARO, 2 דרכי משה
Viæ Mosis, sive Commentarius R. MOSIS ISERLES,
nunquam antea impressus, 3 ברק הבירה 3 Ruina do-
mus, sive Correctiones R. JOSEPHI
KARO.*

Tomi

Tomi IV.

Berolini, opera R. Wolff Mirels & R. D. Zoreph Anno supp.
min. 462 & 463 h. e. Anno Christi 1703, f.

Alph. 24.

HÆc quatuor Volumina omnes Judæorum ritus & jura hoc
captivitatis tempore recepta & usitata complectuntur,
ejusdemque inter eos auctoritatis sunt, ejus inter nos jurium
tam sacrorum quam civilium pandectæ esse solent, Prima
pars, ipsis **אורח חיים** *Via vite* ex Ps. XVI, ii appellata, conti-
net omnia, quæ Judæo per totam diem, ex quo mane expergi-
scitur, donec lectum repetat, observanda sunt. Inde proponun-
tur in ea Antiquorum placita de lotionem manuum, penicula-
mentis, Thephillin sive loris coriaceis a precaturis alligari soli-
tis; de Krifchma sive oratione audi Israel &c. elevatione ma-
nuum, lectione Legis, congregatione ad sacra; de Sabbatho,
novilunio, ingressu Solis in quatuor puncta cardinalia Zodia-
ci, diebus festis, utpote de novo anno, festo tabernaculorum,
& foliis palmæ, ut & de festo enceniorum, fortium, ceterisque
omnibus ad cultum sacrum pertinentibus. Pars secunda, quæ
appellationem suam **דערי דערי** *docebit scientiam* ex Jes.
XXVIII, 9 sortita est, omnia, quæ ipsis mandata, licita & pro-
hibita perhibentur, complectitur. In ea enim constitutiones
de mactatione animalium, de cibis ob corruptionem aliquam
interdictis, adipe, rebus mixtis; de libamine vini, ejusque vasi-
bus; de idololatria, usura aliisque idololatrarum consuetudi-
nibus; de muliere menstruata & balneis; de votis & juramen-
tis; de honore parentum & præceptorum; de studiosis Legis
ejusque doctrina; de eleemosynis; de circumcisione & pros-
elytis; de libro Legis, schedisque postibus januarum infigen-
dis; de asservandis & dimittendis avibus in nido repertis; de
præputio, sive fructu tribus a plantatione annis nascente, ut &
de primogenitis animalium purorum & impurorum; tandem
de excommunicationibus ipsis Nidui & Cherem dictis; de vi-
sitationibus & medicamentis ægrorum; de laceratione vesti-
um, luctu, sepulcro aliisque impuritatibus proponuntur. Ter-
tiam

tiam partem *אבן עזר* lapidem auxilii appellarunt, in eaque omnia jura matrimonialia, sponsalia, instrumenta dotalia, libellum repudii, extractionem calcei in casu viduæ a marito defuncti fratre in matrimonium non ductæ, leviratum, uxorem ad fornicationem declinantem, &c. concernentia congesserunt. Quarta denique parte, quam occasione Exod. XXVIII, 15 *כפוד השפטים* pectorale judicii nominant, judicia ad forum spectantia comprehenduntur. In hac prolixè de judiciis, testibus, contractibus, mutui datione, debiti exactione, hypothecis, fidejussoribus, emtione, venditione, oppignoratione, sociorum juribus, terminorum positione, mandato procuratorio, donis, hæreditate, tutoribus, depositis, furto, damnisque illatis; de pœnis; de vulneratione & homicidio aliisque hujus generis agitur. Tempus, quo primum hic liber conscriptus est, ex partis primæ num. 428 fol. 203 col. 4 innotescit. Currebat tunc annus mundi 5100 qui est Christi 1340, quamvis non desint, qui eum citius A. M. 5090 Christi 1330 ab autore supra adducto in Hispania collectum fuisse affirmant. Ab illo tempore diversis in locis, ut Bartoloccius Part. IV Biblioth. M. Rabbin. p. 839 annotavit, typis excusus est, præter eas tamen alias quoque editiones proflare R. Sabbathai in Siphthe Jeschenim col. 26 observavit. Eas vero omnes, imprimis ultimam Cracoviensem & Venetam, in quibus præter sphalmata multæ quoque allegationes falsæ irreperant, hæc Berolinensis communi Judæorum suffragio multum antecellit, quod summa cura & studio R. Wolff Mirels & R. D. Zoreph, qui correctorum munere functi sunt, charta munda & typis elegantissimis recusa sit.

LE PITTURE ANTICHE &c.

h. c.

PICTURÆ ANTIQUÆ CRYPTARUM ROMANARUM & sepulchri Nasoniorum, delineatae atque incisæ ad prototyporum veterum similitudinem a PETRO SANCTO BARTOLO & FRANCISCO BARTOLO, ejus filio; descriptæ vero atque illustrate a JO. PETRO BEL-

BELLORIO & MICHAELE ANGELO CAUSEO DE LA CHAUSSE.

Romæ, in typographeo novo Cajetani de Zenobiis, 1706, in fol.

Constat plagulis 18, fig. æn. 75.

Mense Septembri superioris anni scenæ literariæ exposuimus festivam copiam elegantiorum statuarum a beata illa & cultiore rei Romanæ ætate maximam partem superstium. Ecce aliud in præsentis idque non ignobilius antiquitatum examen, quod eo pluris æstimaveris, quo pauciora superant hodie vetustæ Graphices seu Pictoriæ artis, illaque evanida fere aut in urbe hinc illinc occultata vestigia, ut oculis advenarum tantum non penitus subducantur. Et tamen ea fuit veteris penicilli majestas, ea coloribus præsertim aqua dilutis pingendi perfectio, ut Raphaeli Urbinati, hodiernæ Picturæ restauratori & principi, nec non Julio Romano, Polydoro & Joanni Utinensi thermarum Titi & Trajani, itemque villæ Tiburtinæ Adriani pictæ parietinæ in exemplum cesserint, ad quod ingenii sui felicitatem & solertiam imitando conformarent. Hic quidem æreis saltem laminis, sed pulcerrime expressa, sese offerunt figurata illa monimenta, at quæ mox adjiciuntur doctissimorum Virorum, Bellorii & Causei, commentatiunculæ, satis perspicue ostendunt, quibus coloribus usi fuerint in singulis prisca illi artifices, quidve ibi adumbrare voluerint. De triplici vero classe, in quam totum opus divisum est, mediam sepulchri Nasoniani in via Flaminia siti picturas continentem, consulto præteribimus, ut quæ jam ab A. 1680 vulgatæ sint, ac deinde in Thesauri Antiquitatum Romanarum Græviani Tom. XII una cum explicationibus Bellorii a Clariss. Kustero civitate Latina donatis migraverint omnes, adeoque neminem modo lateant eruditorum. Ex reliquis duabus primam hac vice percurremus, cum in altera varia habeantur alibi jam ab ingeniosissimo Bartolo producta. In illa autem honestissimo loco eminent historia Coriolani Veturæ matris precibus deliniti. Succedit Apollo laureatus cum lyra, stans in templo rotundo, isque e tessellato opere. Tum in conspectum veniunt nativitas Ad-

nidis ex stipite Myrrhæ editi, qui Veneri a Nympha in genua
 procumbente offertur, idem inter duas bacchantes medius, tres
 Gratiaæ seu Nymphæ choream agentes, Adonis venatum abitu-
 rus, sed a Venere ministerio vetulæ retentus, Flora alata, Auro-
 ra, quam Horarum una præcedit, Faustinae junioris apotheosis,
 quæ omnia in Exquiliis prope Amphitheatrum eruderata fue-
 runt. Regia Apollinis hinc aperitur, sub Eminentiss. Cardinalis
 Spinolæ auspiciis nuper publicata, digna omnino, quæ hic in
 TAB. VI. Tab. VI oculos nostros paululum detineat. Tria nimirum ibi
 templa spectantur, quorum 1 præcipuum columnis ordinis Co-
 rinthiaci superbit, tripodeque ornatum cernitur, e regione obe-
 lisci, cui alius tripus in summitate super impositus, lyraque alli-
 gata est. Singula ista Apollinis seu Solis symbola esse, nemo
 facile ignorabit. Effigiem porro 2 sphynxis Ægyptiacæ hoc
 innuere vult Causeus, res religiosas haud secus sub mysteriis in-
 volvi, aut a vulgo intelligi debere, ac sphynxis Thebanæ æni-
 gmata. Plurimam vero laurum pone templum virentem hu-
 jus loci potissimum esse, utpote Apollini sacram, nullam habet
 dubium. 3 Mulierem stolatam autem, quæ in una templi facie
 exsculpta apparet, Pythiam Sacerdotem aut Musarum quan-
 dam Phœbi comitem; 4 figuram chlamydatam cum jaculo A-
 pollinem ipsum: ac denique 5 alteram sub specie Termini Dia-
 nam viarum præsidem interpretatur. Lacum, ad cujus ripam
 sedet 6 piscator, quæque regiam hanc ita circumfluit, ut non
 nisi unicum accessum per templum modo dictum sinat, id mo-
 nere credit, hospitem prius ad cultum Numini hujus loci ex-
 hibendum obstrictum esse, quam hic commorari velit; vel Phi-
 losophiæ solidissimum esse fundamentum Religionem, & ante-
 quam naturæ arcana inquirere quis præsumat, necesse utique
 esse, ut horum autorem venerari discat. Id quod 7 Philoso-
 phus stola & pallio amictus observare videatur, quippe qui
 summam modestiam præ se ferens templum introeat, a porta
 statim Numen adorans. Præterea lacum alludere putat ad
 opinionem Thaletis aliorumque Philosophorum, aquam prin-
 cipium omnium rerum statuentium: piscatorem vero ad Mi-
 lesios illos, qui tabulam auream Thaleti primum oblatam, sed
 Solo-



REGIA APOLLINIS.

E. Andre Sohn. Sc. Lips.



LIBRARY

Solonis jussu Apollini deinceps dedicatam reti ceperant; vel etiam ad alium piscatorem, qui juxta Athenæi assertum & morem antiquum pisci infidiatur, ut eo propitium sibi reddat Apollinem. Sed quod hermæ quadratæ aptatum sit 8 caput informe, Priapum significare, eundem scilicet ex Ægyptiorum doctrina cum Sole, & idcirco forte ad crepidinem lacus positum, ut indigicaret, minus sufficere ad generationem rerum aquam, sed in humido maxime calore opus esse. Alterius 9 templi faciem ab utroque latere qui ornant, 10 duos leones symbolum Solis esse iterum contendit; e contra quatuor vasa frontem templi prementia quatuor elementa denotare, eamque ob causam templo Solis addita, ut elementa tanquam principia corporum mixtorum benignum Solis influxum, quo cuncta animentur, appetere debere constet. Rotundam insuper templi figuram cursum Solis circularem, & viginti quatuor fenestras, quarum hic in hemicyclo duodecim numerentur, totidem diei horas insignire existimat. Tandem 12 portam quinque gradibus munitam ad antrum Pythiæ forte ducere conjicit; 13 velum autem quod ex opposito 14 templi tertii protenditur, arcendæ pluvie aut calori Solis comparatum esse, vel ut indicio sit, Philosophiam ceterasque scientias sub Religionis umbra sollicite abscondi oportere. Veniunt jam sacra Eleusinia, tum majora tum minora, duabus Tabulis repræsentata. Quanquam minime dissimulat Noster, mysticam potius educationem Bacchi a Nonno in Dionysiæis descriptam in earum priore Celeberr. Bianchino agnosci. Proxime ista excipit Nymphæum Barberinum, cui Holstenius eruditam faciem quondam prætulit; pictura item e cameræ cujusdam fornice, quam solutioni stipendiorum militarium inserviisse judicat Causseus. At enim vero, quod nunc producit marmor anaglyphum, M. Antonium sub habitu Bacchi exhibens, una cum novem pavimentis musivo ac vermiculato opere variegatis, ad picturas quidem haud pertinere fatetur, verum tamen quia colorum ibi deprehendatur nonnulla diversitas, nec minor artis elegantia, locum eis hic denegare merito noluit.

INSTITUTIONES MEDICÆ IN USUS ANNUÆ
 Exercitationis domesticos digesta ab HERMANNO
 BOERHAAVE.

Lugduni Batavorum, apud Joannem van der Linden,
 P. & F. 1708, 8.

Constat II plagul.

Lineas ducit præfens libellus, intra quas annuus Clarissimo Auctori cum Auditoribus suis hæcenus definiebatur labor. Brevibus scilicet Thesis singulas complectitur Medicinæ partes. In *Physiologia* quidem juxta principia Neotericorum Mechanica post chyficationem & reliquas, quas sub se comprehendit, functiones, sanguificationem, spirituum animalium elaborationem, lienis, hepatis, renum, vesicæ & musculorum functionem, nutritionem, sensuum theoriam & generationis negotium explanat. In *Pathologia*, exposita morbi natura, hujus differentias, ætiologiam & symptomatologiam tradit. In *Semiotica* signa sanitatis optimæ generalia & specialia, signa morborum, in specie pulsus arteriæ, respirationem & urinam ut signa explicat. In *Hygiene*, ut sanitas præfens conservanda, morbi præcavendi, & vita ad longævitatem disponenda sit, edocet. In *Therapeutica* vitam conservandi, causas morbi, morbum ipsum ejusque effectus in ægris tollendi rationem injungit. Speciminis loco Axiomata de Methodo medendi ab Auctore Clarissimo suppeditata communicabimus. 1 Quodcumque in ægro indicat, sui vel conservationem vel ablationem petit. 2 Quicquid in ægro deprehenditur secundum naturam, id sui conservationem semper indicat. 3 Quicquid in ægro deprehenditur contra naturam, id sui ablationem indicat. 4 Causa morbos per remedia curans vita est, & singularis cuique sua temperies, hac deficiente iners medela. 5 Ergo ubi vitalis & alia quæcumque indicatio æque urget, priori satisfaciendum. 6 Ubi impar indicatio, urgenti satisfaciendum. 7 Natura consuetis gaudet, infueta ægre fert. 8 Juvantia & nocentia præcipue indicant. 9 Contraria contrariis tollenda, similibus conservanda similia. 10 Iis constat, quibus nutri-

mur,

mur, corpus. 11 In maximis malis summa cito & semel remedia danda. 12 In mitiore malo sensim & repetendo lenia remedia danda.

THE GENERAL HISTORY OF ENGLAND, &c.

i. e.

HISTORIA ANGLIÆ GENERALIS, TAM ECCLESIASTICA, quam CIVILIS, Eduardorum I, II & III & Richardi II regimen complexa &c. una cum Appendice, in qua argumenta pro & contra Communium in Parlamento Anglicano antiquitatem afferuntur. Volumen III. Auctore JACOBO TYRRELL, Armigero.

Londini, apud W. Royers, 1704, fol.

Alph. 15.

De Primo & Secundo Operis hujus Volumine in Actis A. 1697 p. 399 sq. & A. 1703 p. 312 sq. abunde dictum est. Nunc par est, ut Tertii quoque, paulo serius, quam par erat, ad nos perlati, & in duas Partes divisi, mentionem faciamus, cui Autor Cl. non tantum Præfationem & Introductionem præmisit, verum & Appendicem lectu dignissimam subjecit. In Præfatione more suo subsidia indicat, quibus in concinnanda hac historiæ parte, quæ Eduardorum I, II & III nec non Richardi II vitas complectitur, usus est. Primum in Eduardi I historia adhibuit Matthæum Westmonasteriensem, cujus & *Flores Historiarum* editos, & Chronica MSpta Abbatiarum Westmonasteriensis, Norvicensis & Roffensis diligenter consuluit. Hinc ejus continuatore Thoma Walsinghamo usus est, qui quidem & ipse historiam Eduardi I tradit, nec non Thoma Wikes & aliis, quorum in Secundo etiam Volumine meminit, tum iis, quæ Henricus de Knyghton in *Imaginibus Historiarum* summa industria collegit. Præterea in ordinanda temporum ratione Ranulphi Higdeni *Polychronicon* diligenter in consilium adhibuit, quo nemo alius in annis consignandis accuratior; & hos

primos fuisse Annales autumat, qui usque ad A. 1301 a Joanne Trevisa translati (Latine enim liber integer non prostat) Anglica lingua prodierint. E Manuscriptis porro in historia Eduardi I adhibuit præter *Anonymi Chronicon* in Cottoniana, quod perperam Gualtero Coventriensi adscribitur, *Chronicon Joannis de London*, unde plura Matthæus Westmonasteriensis transcripsit, & Joannis de Eversden *Seriem Temporum*, quem utrumque librum Bibliotheca Officii Heraldici asservat: ut Gualtheri Hemingford Chronici partem secundam (primam enim publicavit Cl. Gale) Adami de Murimuthe, Nicolai Trivet & Anonymorum Chronica alia MS. taceamus. Imprimis vero res inter Anglos Scotosque illa ætate gestas in Chronico Monasterii Lanercost, quod in Cumbria est, exacte adeo descriptas testatur Noster, ut monachos in recondito hoc Angliæ angulo rerum publice gestarum notitiam nancisci potuisse tam exquisitam miretur. In historia Eduardi II præter enarratos Thoma de la More in *Vita* hujus Regis antehac edita, quem fatetur tamen ei plus justo addictum, & Joannis Trocklow *Annales* MS. consuluit; sed multo pluribus subsidiis usus est in historia Eduardi III, ubi multum ei usum præstitit *Scale Chronicon* MS. auctore Le Grey, cui *Scale* titulum fecit Auctor, quod quasi per gradus in pristina tempora adscenderit, nec non Roberti Averbury *Historia rerum Eduardi III*, MS. quæ si ad mortem Regis hujus pertingeret, ceteris omnibus præferenda esset. Quantum ad Jo. Froissartum, quem in rebus foris gestis non immerito Noster testem admisit, quippe in aulis Principum ejus ætatis probe versatum & usum imprimis privatorum Commentariis, quod ex circumstantiis præter necessitatem passim admixtis, dialogis item & orationibus vulgari stylo expressis pateat, eum tamen in rebus in Anglia gestis minime admittit, quod plura afferat, quæ a nullo alio Scriptore tradita fabulas sapiant, observatque, Froissartum ubique fere rebus pulcre in bello gestis amatoria immiscere. In actis publicis hujus Regni, præter ea, quæ e D. Brady Historiarum Angliæ Volumine postremo mutuatus est, multa debet Wilhelmo Petito, qui cimelia Turris Londinensis liberaliter cum Nostro communicavit. Nec pauca fa-

ca fatetur se ex Josuæ Barnes Vita hujus Regis deprompsisse, a quo tamen & subinde discedit. In Richardi II historia cum præter Henricum Knyghton, quem plura scripsisse probat, quam quæ ad nos pervenere, & Th. Walsinghamum pauca exstarent, ex Fabiani Chronicis & Polydoro Virgilio nonnulla mutatus est, & quæ coævus Scriptor Gallicus manuscripta reliquit, non exiguo fructu consuluit. Ceterum quæ in Ecclesia quoque hoc temporis intervallo, hoc est, ab anno 1272 usque ad annum 1399 gesta sunt, non omisit, & imprimis Joannis Wicleffi doctrinam & fata diligenter expendit. Prætermittimus, quæ Auctor in eadem Præfatione P. d'Orleans, qui in Historia Conversionum Angliæ Gallice scripta Boethium fere tantum & Froissartum incautius sequitur, errata observat: ab eo enim libro ut diligenter sibi caveant Lectores, Noster jam tum in Præfatione Secundi Voluminis graviter monuit.

In Introductione, quæ post Præfationem inseritur, more suo formam regiminis, qualis eo temporis intervallo fuit, quod hoc Volumine complectitur, expendit. Constat vero eos, qui Parlamenti antiquitatem oppugnant, ut nullis limitibus circumscriptos Angliæ Reges asserant, anno Regni Henrici III quadragesimo nono Communes primum ad Parlamentum admissos fuisse fateri, quo tempore Rex cum omni familia in potestate fuerit rebellium subditorum, quibus superatis, dominatum libere exercuerit. Hinc demum anno decimo octavo regiminis Eduardi I milites Comitatum (*Knights of Shires*) & quadrienio post Civitatum delegatos & municipes senatui Regni adscriptos, eoque statum Regni Anglicani mire mutatum fuisse probat. De his Auctor in Appendice ad hunc Tomum accurate & copiose differit, cum Introductionis modus longam disquisitionem ferre neutiquam videatur. Sed plures in hac vicissitudines enarrat. Nimirum & consiliarios Regios sub Eduardo I ad senatum Regni vocatos esse docet, quorum tamen auctoritas paulatim fuerit imminuta, donec sub Eduardo III peculiarem velut senatum constituerint, sub nomine Camerae stellatæ. At aucta eorum ab Henrico VII auctoritas ita postea crevit, ut invisa Anglis esset, unde facta nova anno regiminis decimo sexto

sexto Caroli I constitutione, senatus hic plane sublatus est. Cœpit & postremis annis Eduardi III mos Communium accusandi Proceres coram Paribus Regni, qui deinde regnante imprimis Richardo II invaluit. Ut taceamus porro, quæ de Baronum diversitate, ut & de valore auri, quem triplo majorem illo quam hoc tempore fuisse notat, accurate Noster tradit, dominium directum Regum Angliæ in Scotiam fusius expendit, quod Eduardo I competere publico diplomate facti sint, quotquot eo regnate de Scotiæ Regno inter se contendebant, de quorum lite etiam arbitrium Eduardo permittebatur. Quare Joannes Baliolus homagium præstare non detrectavit, & quamvis, cum æmulus ejus Brussius superior esset, Angli aliis bellis detenti jure suo usi non fuerint, & Eduardus III minorennis Scotis instrumentum homagii a Baliolo præstiti reddiderit, idem tamen majorennis factus antea gesta rescidit. At tum quoque prævalentibus Scotis, nunquam ex eo tempore Angli a Scotis homagium postulasse deprehenduntur, tandemque hæc lis plane sublata, cum Jacobus VI Angliæ scepra capefferet. Demum quantum ad statum Ecclesiæ, de eo quoque Auctor noster tradit, observatque non Episcopos tantum, verum & Diaconos atque Archi-Diaconos sub Eduardo I ad parliamentum invitatos fuisse, ideo imprimis, ut & ipsi afflictis rebus subvenirent, cujus rei hodiernum indicium exstare probat. De Pontifice vero, qui pro lubitu Episcopatus Angliæ Gallis Italisve concedebat, sæpe graviter questos in Regni senatu Anglos fuisse, legesque tulisse, ne quis sine consensu Regis posset ad Episcopatum aspirare, pluribus docet Noster, tandemque ut paulatim pensio annua mille marcarum Romam ad Pontificem mitti desierit, luculenter ostendit. De ipso opere, in quo eandem, quem antea, methodum servat, & prolixa Appendice, ubi inquirit, quo tempore Communes in senatu Regni assidere cœperint, plura referre instituti nostri ratio non patitur.

*ADOLPHI CLARMUNDI EXERCITATIO
Historico-critica de precipuis Topicorum Explanatoribus.*

Lipsiæ, apud Davidem Lauer, 1708, 8.

Plag. 5.

Auctor hic personam *Adolphi Clarmundi* indutus iam varia ingenii sui monimenta in publicum emisit, & cum Orbe litterario non invitus communicavit. Vocatur is vero nomine Joannes Christopherus Rudigerus, qui litterarum studia Vitebergæ excoluit, doctore inprimis celeberrimo Schurzfleischio, nuper eheu! defuncto, usus. Hactenus clarissimorum in re litteraria virorum Vitas Germanico idiomate exposuit, cujus operis septimum nunc Volumen prostat: tum brevem ac succinctam ad Historiam Ecclesiæ Introductionem edidit, denique vitam Guil. Ernesti Tentzelii extemporaria Dissertatione persecutus est, ac plura molitur, quæ ad Historiam Eccl. ornandam inprimis spectant. Novissimum, quod præ manibus habemus, opusculum ipsius de Locorum Topicorum Explanatoribus conscriptum est. Nihil enim operæ in eo luserum se existimavit, cum doctrina Topica litterarum studiis multum conducatur, & veram facilemque inveniendi viam ostendat. Itaque auctor a veteribus Topicorum explanatoribus auspiciam faciens, Aristotelem primum hujus doctrinæ inventorem commemorat, dicitque, eum bene quidem commentatum esse in hanc doctrinam, sed obscure paululum ac nullo ordine: tum Cicero sequitur, qui planius quidem hæc tractaverit, sed ea omnia ad jurisprudentiæ interpretem solum pertinere. Post Ciceronem Rhetores Theon & Hermogenes producuntur, sed qui nihil ultra Aristotelem sapiunt. Tum recentiores commentatores ordine suo adferuntur, Agricola, Raim. Lullus, Ramus & qui ex schola hujus prodierunt, Georgius Valla, Gerardus Bucoldianus, Carreas, Sturmus, Dresserus, Thilo, Caussinus, Melchior de la Cerda, Martinus de Cygne, Carolus Paiot, Buchnerus, Jac. Saurius, Christianus Weisius, Jungius, Hæreckerus, Schraderus, Donati, Jo. Georgius Neumannus, Buchnerus, Morhofius, Augustus Bosius, Hubnerus, Grosserus, Thomafius, Titius aliique, de quorum conatibus atque scriptis Auctor tum ex suo tum aliorum ingenio judicat. Denique plurimorum horum commentatorum vitas breviter carptimque adnectit.

NOVA LITTERARIA.

Edidit superiori anno in Belgio *Petrus Joncourtius*, Ecclesiæ Wallonicæ, quæ Hagæ Comitum convenit, Concionator Gallicus, quamvis suppresso suo nomine, Gallica lingua quosdam *Dialogos de diversa Scripturam S. explicandi & concionandi methodo eorum, qui in Fœderato Belgio Coccejanorum & Voetianorum nomine vulgo appellantur*; quem librum Amstelodami prodeuntem alius ejusdem Autoris ibidem impressus & *Novorum Dialogorum* titulo insignitus mox secutus est. In his Dialogis, qui Belgico quoque idiomate postea lucem adspexerunt, cum Autor inimico plerumque dicendi genere usus, Coccejum cum sectatoribus suis acerbis verbisque asperioribus traduxerit, ipsique præter alia vitia methodi neglectum, ingenii hebetudinem, novitatis pruritum & maxime τυπομανίαν quandam tribuerit, non defuerunt plures, qui ex partibus Cocceji stantes *Joncourtium* iterum perstringere ipsique varios libellos opponere non dubitarunt. Ut enim taceamus, statim post editionem priorum Dialogorum *Anonymi Defensionem Cocceji ejusque doctrine* Gallice primum, deinde Belgice quoque prodiisse, complures alii, interque eos Theologi Belgarum clarissimi, huic Coccejanorum hosti infensissimo scriptis restiterunt. Nominamus ex iis hos, qui ad manus nostras pervenerunt; scilicet Autorem, qui sub persona *Neophili Alethei* Hagæ Comitum tractatum Gallicum hoc sub rubro A. 1707 prodire fecit: *Le Chef des Moqueurs démasqué*, quem hoc ipso anno in Belgicam quoque linguam translatum novimus; *Salomonem van Til*, Theologiæ Doctorem, ejusdemque Facultatis in alma Lugdunensium Academia Professore, cujus *Antidotum viperinis morsibus D. J. oppositum* eodem anno 1707 Lugduni Batavorum fuit emissum; *Joannem d'Outrein*, Ecclesiæ Ministrum atque Professore Dor-dracenum, qui evulgavit Epistolam Belgica lingua conscriptam, cui titulus est: *Brief aan een Vriend nopens het Boek van Mr. Joncourt, benevens een noodig Voorberigt*, Amstelodami A. 1707; & denique *Joannem Braunium*, Theologum Groningensem, qui Amstelodami A. 1708 imprimi curavit: *Avertissement nécessaire aux Eglises touchant le genie de Joncourt &c.* quorum scriptis il-
lud

Iud jungimus nuper modo nobis transmissum, quod unica plaga constat titulumque habet: *Jok en Ernst, of korte Samen-spraak over Mr. Joncourt en syne Voor en Tegensprekers*, Amstelodami 1708. Ceterum tot adversariis impugnatus *Joncourtius* non penitus obmutuit. Præterquam enim, quod Defensionem Cocceji, quam supra memoravimus, in novis, quos edidit, Dialogis refellere studuit, Joanni d'Outrein imprimis *Lettre de plainte* sive Epistolam opposuit, Hagæ Comitum 1708 editam, in qua de injuria sibi facta conqueritur. Cum tamen in illa fugillaverit *Petrum Håmerum* ob sententias, quas in libro: *Nederlands Wonder-Jaer van 1702* proposuerat, vindicias is scripsit in Epistola Gallica, cujus hic titulus: *Lettre a N. N. contenant le plan des defenses contre les Assauts, qu' a fait Mr. Joncourt*, Hagæ Com. 1708. Non omittenda denique est *Joncourti* Epistola Gallica, quam ad ecclesias Wallonicas Belgii scripsit, Hagæ Comitum A. 1708 edita, utpote in qua non tantum eorum rationem reddit, quæ in ultima Synodo Noviomagensi in causa sua gesta fuerunt, sed præterea sententiam Synodi, nec non retractionem suam juxta hanc Synodi sententiam exhibet. Hæc de controversia *Joncourti*ana, quæ hæctenus in Belgio non minimas turbas excitavit, Lectores nostros ignorare noluimus. Ipsa enim horum Operum recensione, in tanta imprimis optimorum librorum recens editorum copia, superfedere nos posse existimamus.

Comparuit ab aliquo tempore liber Parisiis sub tit. *Traité de la puissance ecclesiastique & temporelle*, in 8, quem fama est a doctissimo *Dupinio* scriptum, quanquam nec impressionis locus, nec typographi, nedum Auctoris, nomen additum sit. In eo vero est Auctor, ut probet, supremam potestatem tum ecclesiasticam tum temporalem esse penes solum Pontificem Romanum, atque illam quidem ipsius nomine exerceri a primatibus Ecclesiæ, Archi-Episcopis, Episcopis, Patriarchis aliisque, hanc vero ab Imperatoribus, Regibus & Principibus, vices summi Pontificis gerentibus. At cum juribus Ecclesiæ Gallicanæ imprimis liber adversetur, dubium non est eum Parlamento Gallicani decreto damnatum iri. Nec placuit idem mo-

dero Pontifici Clementi XI, qui ipse censuram ejus, quæ alias Congregationi S. Officii permitti solet, in se suscepit, eumque Bulla acerrimis & insolitis fere formulis concepta nuper admodum damnavit. Prostat & Caroli Antonii de Manentibus *Tractatus de Potestate Jurisdictionis, seu de Regimine animarum, ac de jurisdictione contentiosa, an & quomodo Prælati inferioribus ex privilegio, vel præscriptione competere valeat?* Romæ, apud Franc. Gonzagam, 1707, 4.

Ibidem prodiit superiori anno Pars secunda libri: *Gemme antiche, figurate, date in luce da Domenico de Rossi colle sposizioni da Paolo Alessandro Maffei*, in 4. & jam tertiam quoque Partem impressam esse, Illustris MAGLIABECHIUS nobis nuntiavit, unde integrum opus, quod quatuor Partibus constabit, brevi prodituro e prelo speramus. Recudit & Michael Angelus Causeus de la Chaussée *Romanum Museum*, Romæ 1707, f. idque passim novis figuris ornavit atque auxit, ut adeo hæc editio non tantum primæ, quæ ib. 1690, f. prodiit, verum & Gallicæ versioni, 1706 f. editæ, longe præferenda sit. Mutinæ hoc anno Ludov. Ant. Muratorius edidit *Introduzione alle Paci private*, in 8, cui Speronis Speroni de duello & Jo. Baptistæ Pignæ de pace Dissertationes ineditæ accessere. Venetiis Hieronymus Albrizzi hoc anno Tomum sextum Diarii Eruditorum sub t. *La Galleria di Minerva*, in fol. edere cœpit, in quo si selectus paulo major adhiberetur, majori quoque plausu illud excepturi essent eruditi.

In Gallia vero Renatus Josephus Tournemine, e Soc. Jesu, opitulantis Collegis sui ordinis aliis non sine laude urget adhuc Diarium Trevoltense, quamvis illud Amstelodami inde a Mense Julio anni 1705, nescimus, qua de causa, recusum haud fuerit. Præterea libelli nonnulli haud ita pridem Parisiis prodire, qualis est: *Une Epitre en Vers d'un Pere a son Fils sur la Peinture*, cujus auctor Coypel, Ducis Aurelianensis Pictor primarius, hoc ipso Artis Poeticæ non minus, quam Pictoriæ specimen perelegans dedit. Prostat & aliud opusculum, sub t. *Les Poetes en debauches*, quo Auctor res a Gallis superiori anno feliciter gestas versu heroico celebrat, additis sub finem quatuor emblema

blematibus. Horum primum Solem repræsentat, qui quamvis pluribus obseptus nubibus, parhelion efformat cum epigraphe: FRUSTRA OBSTANT, quo ad Regem Galliarum respicitur, Philippum nepotem tuentem. Secundum, quo natiuitas Ducis Britanniarum celebratur, Solem pariter exhibet, radios in caulem projicientem, e quo tria lilia progerminant, quorum primum flore integro, alterum semiaperto, tertium clauso conspicitur, additis verbis: PERGUNT HOC SIDERE NASCI. Tertium, quod ad Philippum spectat, aucupem sistit altera manu illicem avem, altera catapultam tenentem, cum lemmate: OU LA FORCE, OU L'ADRESSE. Quartum, quo Asturiarum Principis natiuitas indicatur, margaritam pulcerrimam depingit, cum verbis: C'EST POUR UNE COURONNE. His addimus denique non inelegans Epitaphium celeb. Mabillonii, nudius tertius Remis e Gallia nobis transmissum:

IMMORTALI MEMORIÆ
CLARISSIMI AC RELIGIOSISSIMI VIRI
JOANNIS MABILLONII
EPITAPHIUM.

Sub hoc lapide sepultus jacet, cujus memoria in oblivione nunquam jacebit, JOANNES MABILLONIUS. Suos natales Campaniarum debet, ejus natalibus Campania suum decus. Sortitus est animam bonam, & cum ætate adolevit præclara ingenii virtutisque indoles. Vix ephæbus, Aris initiatur; adultus solitudini; jam tum latebras queritans, qui nunquam potuit latere. Domino militaturus, in Benedictinorum Sancti Mauri Congregatione nomen dedit, tanto nomine nobilitanda. Ibi sub modio iam tum ardere cœpit, qui quondam supra candelabrum positus, futurus erat in domo Domini lucerna ardens & lucens. Precibus doctisque operibus diurnas nocturnasque horas dividens, Asceta Litteratus, totum se Virtuti dedit, totum se Litteris abdedit; ratus licere & Ascetis

esse Litteratis. Virtutes omnes diligentissime coluit, & in singulis eminere visus est. Principem tamen locum obtinere paupertatis amor, lenitas morum, religiosa humilitas: virtutes, quas non infecit, quæ inflat, scientia, quas perfecit quæ ædificat charitas. Christi paupertate affatim locuples, victum ac vestitum divitias Christianorum existimavit. Docilis pauperiem pati, ut annum ex Regio Ærario beneficium acciperet, a supremo Ærarii Præfecto nunquam potuit adduci. Questu illiberali Liberalium Artium dignitatem ledere noluit Litterarum cultor: sub Christo paupere divitias erubuit Religionis amator, parvo dives, & parvi ducens perituras opes, carius venales, dum paupertatis emuntur dispendio. Omnium hominum sibi conciliavit animos hominum mitissimus. In ipsis etiam Litterariis disceptationibus, quas plurimas cum Viris Clarissimis habuit, nemini asper, neminem læsit, etiam læsus. In hujuscemodi concertationibus scribentem incitabat Veritas, certantem moderabatur Lenitas, vincentem coronabat Charitas, coronatum ornabat Humilitas. Hac singulari morum suavitate devinciebat amicos, leniebat invidos. Ut debite tantis virtutibus gloria sese subduceret, eas humilitati tegendas commisit, simul & servandas. Ceteris testibus, nemo major; se ipso iudice, nemo minor: eo clarior, quo sibi vilior. Cœlestis gloriæ cupidus, mundanam sprevit meliore ambitu; & ut Deum solum mereretur habere mercedem magnam nimis; respuit hominum plausus, mercedem, quam dare solent homines, vani vanam. Nul- lum in Claustro tenuit dignitatis gradum, omnes meruit: mereri pulcrius putavit, quam adipisci, & subesse, quam præesse, tutius. Alienis non indigebat ornamentis, Vir propria virtute, omniumque hominum existimatione ornatus. Cum Virtutum studiis studia Litterarum con-
junxit,

iunxit, ut alterno fœdere mutuisque officiis scientia pie-
 tatem, pietas scientiam adjuvaret. Quæ prima illi fuere
 studiorum elementa, prima itidem habuit pietatis alimen-
 ta, opera Doctoris melliflui. His emendandis dum iterato
 labore incumbit, cordis cellulis melleum infundit opus;
 unde similes Bernardo trahit mores, mellifluos. Ipso Re-
 stauratore Sanctorum Acta reviviscunt, quorum dum fa-
 cta scribit, sequitur & exempla, illorum fastis olim ad-
 scribendis. Operibus opera succedunt, & alii ex aliis
 nectuntur labores. Sepultam scribendi artem suscitât,
 oblitteratas restituit litteras, antiquatos renovat apices,
 abrogatas recudit scripturarum formulas; & ingens il-
 lud condit Diplomaticum opus, rei litterariæ miracu-
 lum, quod docti stupent & indocti, monumentum ære pe-
 rennius. In reconditiore Litteratura versatissimus, ve-
 tustis dat novitatem, novis auctoritatibus, obsoletis nitore,
 neglectis pretium, obscuris lucem, fastiditis gratiam,
 dubiis fidem. Saculo doctissimorum Virorum feraci, præ-
 cellenti inter Eruditos eruditione conspicuus, jussu LU-
 DOVICI MAGNI, Regisque sumtibus, auctore
 Clarissimo Colberto, Generali Ærarii Moderatore, Germa-
 niam peragrat. Auspice Illustrissimo C. M. Tellerio, Re-
 morum Archiepiscopo, Italiam subinde perlustrat; publi-
 cas ac privatas scrutatur bibliothecas, museorum rimatur
 angulos, latentes effodit opes, veterum thesauros trans-
 mittit posteris; & ad totius Reipublicæ Litterariæ com-
 modum, comparatis ad tria fere millia Manuscriptis co-
 dicibus Regiam bibliothecam auget & ditat. Ex obsitis
 situ & pulvere membranæ, ex corrosis marmorum inscri-
 ptionibus, ex incisis in ære, sed tempore exesis monumen-
 tis, multiplex exoritur Litterarum seges, varia promi-
 tur Librorum supellex, mira exsurgit Actorum, Annali-
 um,

um, Analectorum moles. Tam solerti obstetricante manu, præterita retro secula renascuntur, & positis rugis tota nobis juvenescit Antiquitas. Hinc quanta apud omnes Viri existimatio? quantum nominis pondus? quanta eruditionis auctoritas? A summis Pontificibus Innocentio XI, Innocentio XII & Clemente XI aureis Numismatis honoratur Vir eruditissimus, aureis scriptis de Ecclesia optime meritus. A LUDOVICO MAGNO Regia Inscriptionum Academiæ adscriptus, reconditam Numismatum scientiam ornat ac promovet, Antiquariorum sagacissimus. Parisiis, in suprema Galliarum Curia, lites, quæ tota pendebant ex semesis chartarum apicibus, suo testimonio & auctoritatis pondere dirimit, sequester pacis. Romæ, in sacra Indicis Congregatione, invitante Eminentissimo S. R. E. Cardinale Casanata, de quibusdam Isaaci Vossii Operibus ad Purpuratos Patres sententiam refert, Censor orthodoxus. Quam ubique fugit, sic eum ubique sequitur gloria. Interim oneris quam honoris patientior, litterariis totum se impendit laboribus; & de thesauro suo nova profert & vetera, Scriba doctus. Verum heu! dum scribendis Benedictinis Annalibus improbo labore incumbit, illis necdum perfectis, intempestiva morte occumbit, VI Kal. Jan. an. M DCC VIII, ætat. LXXVI. Venerandæ memoriæ sodali mœrens posuit F. Guillelmus Roussel, ejusdem Congregationis M. B. VI Non. Febr. an. M DCC VIII.

E R R A T A.

Pag. 345 lin. 2 pro *posteriora lege posterioris*; lin. 3 pro *non elegantia lege non inelegantia*; lin. 25 pro *Moraldi lege Marnaldi*; pag. 355 lin. 9 pro *epistomia lege epistomio*.

* * *

ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Septembris, Anno M D C C VIII.

*BIBLIOTHECA MAXIMA PONTIFICIA, IN QUA
Autores melioris notæ, qui hæctenus pro Sancta Romana
Sede, tum Theologice, tum Canonice scripserunt, fere
omnes continentur; promovente JOANNE THOMA
DE ROCABERTI, Archiep. Valentin. &c.*

Tomi XXI.

Romæ, typis Jo. Francisci Buagni, 1695, 1697, 1698 & 1699, in fol.

Constat Alfab. 168 plag. 9.

Prostat Lipsiæ, apud Jo. Frid. Gleditschium.

QUamvis jam plures anni elapsi sint, ex quo Opus hoc splendidissimum lucem publicam adspexit, rem tamen haud ingratham benevolo Lectori nos facturos esse speramus, si illius lineamenta jam demum hic repræsentemus. Ut singularem suum pro Sede Romana zelum testatum faceret, atque armamentarium, ex quo arma ad tutandam illam desumi possent, suæ fidei sociis suppeditaret Reverendissimus & Illustrissimus Dn. Joannes Thomas de Rocaberti, Archiepiscopus Valentinus & Hispaniarum Inquisitor generalis, Codices fere omnes, qui pro tuenda Romani Pontificis Sede conscripti sunt, magno studio curaque colligi, collectosque in hac Bibliotheca suis sumptibus impressa exhiberi curavit. Placuit autem Reverendiss. Editori in disponendis hujus Bibliothecæ Scriptoribus ordinem alphabeticum observare, ut querelas, si quæ de loco minus competente exsurgere possent, evitaret, cujuslibet Autoris operi in hac Bibliotheca obvio brevem, qua

& auctoris, & temporis, & aliarum ad rem facientes circumstantiarum declarantur, præmittere relationem, ut ordinis chronologici neglectum hac ratione compensaret; in auctorum vero lucubrationibus huic Bibliothecæ insertis nihil prorsus immutavit, nec opiniones antiquatas expunxit aut ad modernorum placita transformavit. Exhibentur vero in Bibliothecæ hujus Pontificiæ Tomo I *Abrahami Bzovii*, Poloni, Ordin. Prædicator. Pontifex Romanus, seu, de præstantia, officio, auctoritate, virtutibus, felicitate, rebusque præclare gestis Romanorum Pontificum: *Abrahami Maronite, Patria Ecchellensis*, liber de origine nominis Papæ ejusque primatu: *Adami Tanneri*, Tyrolensis, Societ. Jesu, tractatus de Summo Pontifice & de Conciliis, qui occurrit in illius Commentariis super Summam D. Thomæ Tom. 3 Disp. 1 q. 4. Tomo II *Ægidii Columnæ*, Cardinalis & Archiepiscopi Bituricensis, liber de Renunciatione Papæ: *Adolphi Schulckenii*, SS. Theol. D. & apud Ubios Prof. Apologia pro Bellarmino de potestate Romani Pontificis temporali: *Agobardi*, Archiepiscopi Lugdunensis, Tractatus de comparatione utriusque Regiminis, ecclesiastici & politici, & de præeminentiâ dignitatis ecclesiasticæ super Imperatorum Majestatem, una cum epistola Gregorii IV Papæ ad Episcopos Regni Francorum ab Agobardo relata: *Alani Copi*, Angli, dialogus primus contra ecclesiasticæ de vitis Sanctorum historiæ, summi Pontificatus & sacri coelibatus oppugnatores: *Alberti Pighii*, Campensis, Hierarchiæ ecclesiasticæ liber tertius, quartus & quintus: *Alberti Pii*, Comitum Carpenfis, dialogus de primatu D. Petri, Pontificis Maximi potestate titulisque, ac honore ceterorum Præsulum: *Alexandri a S. Elpidio*, Archiepiscopi Ravennatis, tractatus de ecclesiastica potestate: ex *Alexandri a Turre*, Cremensis, Canonici regularis Lateranensis, Artium & S. Theol. Prof. de fulgenti radio hierarchiæ ecclesiæ militantis libro quarto radius XI, XII, XIII, XIV, XV, XVI, & Libro quinto radius XVII, XVIII, XIX, XX, XXI, XXII, XXIII, XXIV: ex *Alphonfi Alvarez*, Episcopi Monopolitani, libro de ecclesiastica divina potestate, & de unitate sacre matris Romanæ ecclesiæ, & de unitate, & plenissima potestate sacri summi Romani Pontificis, Cap. I, III, IV,

III, IV & V: ex *Alphonsi de Castro*, Minoritæ, adversus omnes hæreses Libro XII Titulus primus de Papa. In Tom. III ex *Alphonsi Mendozæ*, in Academia Salmanticensi S. Theol. Prof. Quæstionibus quodlibeticis de regno & dominio Christi & de fixatione summi Pontificatus Quæstio quarta: ex *Alvari Pelagii*, Episcopi Silvensis, opere de planctu ecclesiæ Liber primus: *Ambrosii Catharini*, Archiepiscopi Campsani, excusatio disputationis contra Martinum Lutherum: ex *Amedei Chirolì*, Ordinis Servorum B. M. V. Generalis, Luminibus fidei Divinæ Disputatio tertia de legitimo proponente res fide divina credendas, & Disputatio quarta de sacris Conciliis eorumque autoritate: *Andrea Duvalii*, Doctoris Sorbonici, & in Academia Parisiensi S. Theol. Prof. tractatus de suprema Romani Pontificis in ecclesiam potestate: *Andrea Lao*, Carmelitæ, Sacr. Rit. Congregat. Consultoris, tractatus de summo Pontifice: ex *Angeli de Clavasio*, Minoritæ, Summa Angelica de summo Pontifice in verbo Papa decerpta sententia, cum Jacobi Ungarelli Patavini glossa: *Angeli Petriccæ a Sonnino*, Minoritæ, tractatus de appellationibus omnium ecclesiarum ad Romanam S. Petri Cathedram: ejusdem Autoris Liber secundus & tertius ex scripto Turris David titulo insignito; & tractatus de potestate Apostolorum. In Tomo IV *Angeli Rocchæ*, Episcopi Tagastensis & Apostolici Sacrarii Præfecti, commentarius de sacra summi Pontificis communionem sacrosanctam Missam solenniter celebrantis: *Annibalis de Grassis*, Episcopi Faventini, opusculum de jurisdictione universali summi Pontificis in temporalibus: *S. Anselmi*, Episcopi Lucensis, Libri duo pro defensione Gregorii VII, legitimi Pontificis Romani: ex *S. Antonini*, Archiepiscopi Florentini, Summa Theologica Titulus XXII de Summo Pontifice: *Antonini Diane*, Clerici Regularis, de primatu solius D. Petri ac differentia inter ipsum & D. Paulum disceptationes apologeticæ: ex *Antonii Augustini*, Archiepiscopi Tarraconensis, Epitome juris Pontificii veteris tractatio de summo Pontifice: *Antonii Florebelli*, Mutinensis, opus de auctoritate Ecclesiæ: ex *Antonii Paulutii*, Jcti Veneti, Canonici Patavini, Jurisprudencia Sacra, de Ecclesia, summo Pontifice ceterisque ecclesiæ Dynastis, & de Comitibus eccle-

ecclesiasticis conciliis & synodis: *Antonii Posssevini*, Societ. Jesu, tractatus de potestate Romani Pontificis: *Antonii Sanctarelli*, Soc. Jesu, tractatus de potestate Rom. Pont. in puniendis Principibus hæreticis: ex *Augustini Barbosa*, J. U. D. & Protonotarii Apostolici, opere de Jure Ecclesiastico Liber primus de personis ecclesiasticis: *Augustini de Bellis*, S. Theol. Prof. liber de absoluta D. Petri Monarchia: ex *Augustini Oregii*, Archiepiscopi Beneventani, Summæ Theologicæ Tomo secundo Cap. V de Hierarchia Ecclesiastica: *Augustini Steuchi*, Eugubini, Episcopi Kifaniensis & Apostolici Bibliothecarii, pro religione Christiana liber secundus de unitate religionis Christianæ, quæ ex uno capite unaque Sede Romana pendeat: ex *Antonii Perez*, Episcopi Tarraconensis, Pentateucho Fidei Libri I Dubium 24 de Ecclesia; Libri II Dubium II usque ad VI de Conciliis; Liber quintus de Romano Pontifice. In Tomo V *Balthasaris Nardi*, Aretini, expunctiones & animadversiones locorum, qui in libro de Papatu Romano ignoti Autoris depravantur, mutilantur, & tam falso afferuntur, quam in prima parte Reipubl. M. Antonii de Dominis: ex *Baptistæ Fragosi*, Soc. Jesu, Theol. Moralis Tomo II Liber I de obligatione summi Pontificis, Liber II de ejusdem potestate quoad indulgentias, & Liber III de illius potestate quoad dignitates ecclesiasticas: *Barlaami*, Episcopi Gyracensis, epistolæ de unione Romanæ Ecclesiæ & processione Spiritus Sancti: ex *Bartholomæi Fumi*, Placentini, Summa Armilla titulus Papa: ex *Bartholomæi Mastrii*, Meldulensis, operis Theologici ad mentem Scoti editi, Tomo IV quæstiones de summo Pontifice: *Balduini Junii*, Minoritæ, Liber III de Romano Pontifice, & de Ecclesia militante liber IV: *Bernaldi*, Constantiensis Presbyteri, Apologeticus pro Gregorio VII, seu tractatus de Sacramentis excommunicatorum juxta assertionem S. Patrum: ex *Boetii Eponis*, Rordahufani Frisii, Libro primo de Jure Sacro Caput III & IV; Ejusdem de Jurisdictione Ecclesiasticorum temporali Quæstiones quinque; glossemata in caput Constantinus; de Hierarchia Ecclesiastica, vel uno capite Ecclesiæ in terris aspectabili; de provocatione a summo Pontifice ad Concilium generale. In Tomo VI *Cataldini de Bon-*

compagnis, Bononiensis Jcti, Tractatus solennis & aureus de translatione S. Concilii Basileæ & potestate Papæ: *Celsi Mancini*, Ravennatis, Canonici Regularis Lateranensis, de Juribus Principatum Liber II, III & IV: *Christiani Lupi*, Iprensis, S. Theol. D. & in Academia Lovaniensi Professoris Primarii, dissertatio de antiquis Gallicanæ Ecclesiæ ad Apostolicam Sedem appellationibus; de Africanæ Ecclesiæ ad Sedem Apostolicam appellationibus; de Romana appellatione Eutychetis hæresiarchæ, S. Flaviani, Episcopi Constantinopolitani, & Theodoretii, Episcopi Cyrensis; nec non Dictatus S. Gregorii VII Pontificis; dissertatio de Romanorum Episcoporum consecratione: *Christophori Marcelli*, Archi-Episcopi Corcyræ, de hæresis pravitate & Lutheri perfidia Liber primus: ex *Cælestini Sfondrati*, Cardinalis, Gallia vindicata Dissertatio II, III & IV: *S. Cypriani*, Episcopi & Martyris, de Unitate Ecclesiæ catholicæ. In Tomo VII *Caroli Scribanii*, Societ. Jesu, de controversiis fidei eorumque judice Caput IV. *Cæsaris Petri Michaelis Delphini*, Parmensis, certissima & novissima decisio de proportione Papæ ad Concilium, & de utroque ejusdem principatu: *Constantini Cajetani*, Syracusani, Abbatis Casinensis, de singulari primatu S. Petri solius, MScriptus Commentarius; ejusdem de Romano S. Petri Domicilio & Pontificatu concertatio: *Camilli Campegi*, Ordin. Prædicat. MScriptum, repertum in Bibl. Vaticana, de primatu Romani Pontificis contra Matthiam Flacium Illyricum: *Cathedræ Apostolicæ Oecumenicæ auctoritas*, ex occasione quatuor Cleri Gallicani propositionum anno 1682 in Parisiensi ecclesiastico Conventu editarum, asserta & vindicata ab Autore inexstinctæ Concilii Tridentini veritatis; in quo scripto tractatur 1 de Romani Pontificis erga Reges auctoritate, 2 de ejusdem supra Reges auctoritate, 3 de ejusdem supra Concilium, vel e contrario, superioritate, 4 de ejusdem infallibilitate in decidendis fidei ac morum controversiis: *Cypriani Beneti*, Arragonensis, Ord. Prædicatorum & S. Theol. Doct. Parisiensis, liber de prima Orbis sede, concilio, ecclesiastica potestate & Papæ supremo insuperabilique dominio: *Cuneri Petri de Browersbauen*, Zelandi, Pastoris Lovaniensis, veræ ac germanæ Domini nostri Jesu Christi Ecclesiæ designatio atque ejusdem per 14 proprie-

tates ostensio. In Tomo VIII *Didaci de Cea*, Agudensis Hispani, Commissarii Generalis Curiae Romanae, Ordinis Minorum, Archielogia sacra principum Apostolorum Petri & Pauli: *Didaci Nugni*, Cabazudi Hispani, Ordinis Praedicatorum Collegii D. Gregorii Vallisoletani Regentis primarii, in tertiam Partem Summae Thomae Aquinatis Quaestio 20 de his in quo usus clavium exerceri potest: *Dionysii Petavii*, Aurelianensis, Soc. Jesu, de ecclesiastica Hierarchia Libri I Cap. 10, Libri II Cap. 7, Libri III Cap. 14, 15, 16 & rursus Lib. I Cap. 2: ex *Dominici Bannes*, Mondragonensis, Ord. Praedicatorum, Salmanticae S. Th. Prof. Primarii, Comm. in Secundam Secundae Qu. 1 Art. 10 dubitationes de Rom. Pontifice: e *Dominici Gravina*, Neapolitani, S. Th. Mag. in Universitate Regia primariam Cathedram Regentis &c. Catholicis praescriptionibus adversus haereses Quast. 1 de supremo Judice Controversiarum fidei: Quast. 2 de infallibilitate Papae in decretis fidei: Quast. 3, cujus sit proscribere haereses ab ecclesia: Quast. 4 de infallibilitate Papae in decretis morum & ecclesiasticae disciplinae: Quast. 5 de infallibilitate Papae in canonizatione Sanctorum: Quast. 6 de infallibilitate Papae in decretis cultus Sanctorum; ejusdem Autoris disceptatio specialis de ecclesiae notis, cuinam coetui convenient; Quastio secunda Controversiae octavae de causis Conciliorum; apologeticus pro sacro deposito fidei Catholicae & Apostolicae fideliter a Romanis Pontificibus custodito. In Tomo IX *Dominici Jacobatii*, Cardinalis, Tract. de Concilio Liber III, IV, V, VI, VII, VIII, IX, X: *Dominici Mariae Marchesii*, Neapolitani, Ord. Praedicator. Theologiae Bipartitae Tomi I Tract. I de capite visibili Ecclesiae Disput. I, II, III & IV, nec non appendix ad titulum tertium Disputationis II de potestate non solum spirituali, sed etiam temporali Romani Pontificis in toto orbe Catholico. In Tomo IX *Dominici Segneri*, Antiatis, J. U. D. Opus Dei admirabile, seu, de suprema dignitatis ac potestatis plenitudine, S. Petro ejusque successoribus a Christo Domino concessa: *Dominici Soto*, Segobienensis, Ordinis Praedicatorum & apud Salmanticenses Profess. Publ. in 4 Sententiarum Quastio secunda de potestate ecclesiastica & exemptione Clericorum: e *Dominici de S. Thoma*, Ulyssesi,

sei, Ord. Prædic. & Academiæ S. Dominici Olysiponensis Re-
 gentis, Manualis Thomistici Volumine quarto Controversia 237
 de Ecclesia Christi & Papa : e *Dominici a SS. Trinitate*, Carme-
 litæ excalceati, Bibliothecæ Theologicæ Tomi tertii Sectione
 tertia Caput XI de ecclesia Romana ; Sectio quarta de summo
 Pontifice Romano ; Sectio quinta de sacris Conciliis. In To-
 mo XI *Elie Astorini*, Carmelitæ Consentini, S. T. D. & Magistri,
 atque in Senarum Universitate Philos. P. P. Prodrumus apolo-
 geticus de potestate sanctæ Sedis Apostolicæ : *Emanuelis a Schel-
 strate*, Antverpiensis, S. T. D. & Bibl. Vaticanæ Custodis prima-
 rii, Antiquitatis illustratæ circa Concilia generalia & provin-
 cialia decreta, & gesta Pontificum & præcipua totius Historiæ
 Ecclesiasticæ capita, Partis secundæ Dissertatio I & III ; ejus-
 dem Autoris Acta Constantiensia Concilii ex pluribus Codicibus
 MSS ; tractatus de sensu & auctoritate Decretorum Constan-
 tiensis Concilii, sessione quarta & quinta, circa potestatem ec-
 clesiasticam editorum ; Compendium Chronologicum rerum
 ad decreta Constantiensis eorumque sensum & auctoritatem
 spectantium, nec non ejusdem de ecclesiæ Africanæ subjectione
 ad Ecclesiam Romanam ; de jure Patriarchatus Romani ; de
 auctoritate Apostolorum ; de primatu Petr. fragmenta & dis-
 sertationes. *Eugenii Lombardi*, seu, ut verum nomen habet,
Cælestini Sfondrati, Cardinalis, Regale Sacerdotium Romano
 Pontifici assertum & quatuor Propositionibus explicatum : *Fran-
 cisci Vargas*, J. U. D. & Catholicæ Majest. Consilarii, tractatus
 de auctoritate Pontificis Maximi & Episcoporum Jurisdictione.
 In Tomo XII *Francisci Agricola*, Lonensis, in Ducatu Juliacensi
 Archipresbyteri, tractatus de primatu S. Petri Apostoli & Suc-
 cessorum ejus Romanorum Pontificum : *Francisci a S. Augusti-
 no Macedonis*, Conimbricensis, Minoritæ, Mag. Philosoph. &
 Theol. Prof. Dissert. I de Clavibus Petri ; II de Persona, cui cla-
 ves traditæ sunt a Christo ; III de constitutione, amplitudine
 & distinctione potestatis clavium ; IV de transmissione cla-
 vium ad Pontificem Romanum & comparatione Pontificiæ
 & Episcopalis potestatis ; Diatriba de Pauli cum Petro quoad
 Episcopatum Romanum & clavium ordinariam & Pontificiam
 pote-

potestatem nova æqualitate recens inducta; de auctoritate Papæ Quæstiones 5; de judicio veritatis fidei & morum in dubiis circa eam ortis Schola VI; de infallibili auctoritate Romani Pontificis Schola VII; de Antichristo Schola XIII: *Francisci Penia*, Arragonii, Palatii Apostolici Auditoris & Decani, liber de Regno Christi: ex *Francisci Svarezii*, Granatensis, Soc. Jesu, Theol. in Acad. Conimbr. Prof. Primarii, defensione fidei Catholicæ & Apostolicæ adversus Anglicanæ ecclæ errores Liber tertius de summi Pontificis supra temporales Reges excellentia & potestate; liber quintus de Antichristo; de summo Pontifice Disputatio decima; de Conciliis Disputatio undecima. In Tomo XIII e *Gregorii de Valentia*, Metimnensis, Hispani, Soc. Jesu, S. Theolog. in Acad. Ingolstadt. Prof. Commentar. Theologicorum Tomo III Disputat. I Quæst. 1 Punct. 7 Quæstio quinta, sexta, septima: ejusdem analysis fidei catholicæ adversus multiplices Sectariorum errores: *Casparis Contareni*, Cardinalis, de potestate Pontificis in usu clavium & compositionibus duæ Epistolæ ad Paulum III; ejusdem de potestate Pontificis, quod divinitus sit tradita, Commentariolus: *Gennadii Scholarii*, Patriarchæ Constantinopolitani, de primatu Papæ liber: *Henrici VIII*, Regis Angliæ, scriptum de primatu Romani Pontificis & de indulgentiis adversus Lutherum: *Hieronimi Mutii*, Justinopolitani, Tractatus de Romana Ecclesia: *Jacobi Latemi*, Camberonensis, S. Theol. apud Lovanienses Prof. liber de primatu Pontificis adversus Lutherum: e *Jacobi Simanca*, Hispani, Episcopi Pacensis, libro de Institutionibus Catholicis Titulus XLV: *Joannis de Turrecremata*, Cardinalis, Summæ Liber secundus, de potestate Papali, & tertius, de Conciliis; ejusdem de summi Pontificis & generalis Concilii potestate ad Basileensium Oratorem in Florentina Synodo responsio, viva voce exhibita. In Tomo XIV e *Joann. Baptista Goneti*, Biterrensis, in Academ. Burdigalensi Antecessoris, Tractatu de fide, seu, juxta indicem universalem, Cursu Theologico, Disputatio III de Ecclesia, & Disp. IV de Summo Pontifice: *Joannis Eccii*, Suevi, S. Theol. Prof. & Vice-Cancellarii in Acad. Ingolstadt. Libri III de Primatu Petri adversus Luche-

Lutherum: *Joannis Fabri*, Episcopi Constantiensis, opus de primatu Petri & Rom. Pontif. adversus Lutherum: *Joannis Matthæi Cariophili*, Archiepiscopi Iconiensis, confutatio Nili, de primatu Papæ: *Joannis*, Roffensis Episcopi in Anglia, Convulsio calumniarum Ulrichi Veleni, quibus Petrum nunquam Romæ fuisse cavillatur; ejusdem Confutationis errorum Lutheri circa D. Petri successores Artic. XXV, XXVIII & XXIV. In Tomo XV *Laurentii Brancati de Laurea*, Cardinalis, in 3 Sentent. Tom. 3 Disp. 5, de Decretis Ecclesiæ, Disp. 6 de objecto materiali fidei in quæstionibus facti, & Disp. 8 de proponente legitime res fidei: *Lælii Jordani*, Romani, Episcopi Acernensis, liber de majoribus Episcoporum causis ad Papam deferendis, & de Romanæ Sedis origine atque autoritate: *Leonardi Marii*, S. Theol. in Universit. Coloniensi Prof. Catholica Hierarchiæ ecclesiasticæ assertio, in qua B. Petri & Romanæ Sedis primatus contra hæresin & schisma M. Antonii Spalatensis, quondam Archiepiscopi, e Scriptura Sacra, SS. Patribus & Conciliis defenditur, ac simul illius mendacia, imposturæ & fraudes deteguntur: *Leonardi Coquei*, Aurelianensis, Theologi Parisiensis, Anti-Mornæus, seu confutatio Mysterii iniquitatis, seu historiæ Papatus Philippi Mornæi, Calvinistarum in Gallia Archisynagogi: *Ludovici Thomassini*, Presbyteri Congregationis Oratorii Domini Jesu, viginti Dissertationes in Concilia generalia & particularia. In Tomo XVI *Marci Antonii Capelli*, Veneti, Franciscani, Disputationes duæ, quarum prior de summo Pontificatu B. Petri, posterior autem de successione Episcopi Romani in eundem Pontificatum agit; ejusdem liber adversus prætensum primatum ecclesiasticum Regis Angliæ; dissertatio de appellationibus ecclesiæ Africanæ ad Romanam Sedem: *Melchioris Cani*, Episcopi Canariensis, Liber IV de Ecclesiæ Catholicæ auctoritate; Liber V de auctoritate Conciliorum; Liber VI de Ecclesiæ Romanæ auctoritate: *Michaelis de Aninyon*, Cæsaraugustani in Arragonia, J. U. D. tractatus de unitate ovilis & pastoris: *Martini Becani*, Societ. Jesu, Disputatio de Antichristo Reformato, cum appendice, an Romana ecclesia defecerit a fide? ejusdem Lib. de Republica Ecclesiastica; de primatu Pe-

tri; de primatu Romani Pontificis; de judice controversiarum. In Tomo XVII e *Nicolai Coeffeteau*, Cenomanensis, Massiliensis Episcopi, pro sacra Monarchia ecclesiæ Catholicæ, Apostolicæ & Romanæ Libris IV, oppositis Marci Antonii de Dominis Libris IV prioribus de Republ. ecclesiastica, Liber I & IV: *Nicolai Sanderi*, Angli, S. Theol. Prof. de clave David, seu, de Regno Christi contra calumnias Accleri pro visibili ecclesiæ monarchia Libri VI; *Onuphrii Panvini*, Veronensis, S. Theol. Prof. de primatu Petri & Apostolicæ Sedis potestate contra Centuriarum Autores opus, Libris III constans. In Tomo XVIII *Pauli Fabuloti*, Romani, Disputatio theologica de potestate Papæ supra Concilium: e *Petri Labati*, Tolosani, S. Theol. D. cursus Theologici Tomo quarto Quæstio de infallibilitate Papæ in quæstionibus fidei, & ejusdem superioritate supra Concilia: *Petri a Soto*, Cordubensis, Theol. Prof. assertio Catholicæ fidei circa articulos Confessionis nomine Ducis Würtenbergensis oblata Concilio Tridentino d. 24 Januarii anni 1552; nec non defensio Catholicæ Confessionis & scholiorum adversus Confessionem Würtenbergensium, & ceteros Lutheranos, ac prolegomena Brentii: *Petri a Monte*, Veneti, Episcopi Brixienfis, tractatus Conciliorum generalium, in quo de primatu Papæ & Majestate Imperatoris agitur: *Reginaldi Poli*, Angli, Cardinalis, Liber de Summo Pontifice, Christi in terris Vicario, ejusque officio & potestate; ejusdem Libri IV pro ecclesiasticæ unitatis defensione; liber de Concilio; Quæstio de baptismo Constantini Magni; Reformatio Angliæ per 12 decreta: *Roberti Bellarmini*, Cardinalis, Tractatus de potestate summi Pontificis in rebus temporalibus adversus Guilielmum Barclajum; ejusdem Libri V de Romano Pontifice. In Tomo XIX *Rudolphi Cupers*, Jcti, Tractatus de SS. universali Ecclesia ejusque Sacramentis, Principatu, Senatu, Conciliis, Magistratibus & Ministris jure divino institutis: *Sylvestri Prieratis*, Magistri Sacri Palatii, libri de irrefragabili veritate Romanæ ecclesiæ Romanique Pontificis; ejusdem de Papa & ejus potestate: e *Sixti Senensis*, Ordin. Prædic. Bibliotheca Sancta annotationes super Matth. XVI, 18, 19: *Stanislai Hofii*, Poloni, Cardinalis & Episcopi Varmiensis, Epistolæ
de

de auctoritate Pontificis in ecclesia Christi & Conciliis ; ejusdem de Conciliis Oecumenicis Cap. XXIV, XXV, XXVI, XXVII, XXVIII & XXIX: *Thomæ Cajetani*, seu *de Vio*, Cardinalis, Opuscul. Tom. I Tract. primus & secundus de comparatione auctoritatis Papæ & Concilii, & tertius de Romani Pontificis institutione & auctoritate: *Thomæ Aquinatis*, Doctoris Angelici, quædam de superioritate & potestate Romani Pontificis contra Græcos; ejusdem Quæstionis primæ de fide Articulus decimus: *Thomæ Campegii*, Bononiensis, Episcopi Feltrensis, liber de auctoritate & potestate Romani Pontificis. In Tomo XX *Thomæ Stapletoni*, Angli, Sacræ Script. in Acad. Lovan. Prof. Primarii, de magnitudine Romanæ ecclesiæ Libri II; ejusdem Controversia tertia capitalis de primario subjecto potestatis ecclesiasticæ; Controversia sexta capitalis de Conciliis; Articuli IV de primatu Pontificis Romani sectio prima: e *Thomæ Waldensis*, Angli, Carmelitæ, Doctrinalis Antiquitatum Catholicæ fidei Tomo I, Artic. I a Cap. I usque ad Cap. VII & Artic. III a Cap. 29 usque ad Cap. 53: e *Vincentii Ferre*, Hispani, Ordin. Prædicat. Tract. de Virtutibus Theologicis Tom I Quæstio XI de supremo capite Ecclesiæ; XII de infallibilitate supremi capitis Ecclesiæ; XIII de infallibilitate Pontificis in canonizatione Sanctorum; XIV de electione summi Pontificis; XV de comparatione potestatis Concilii generalis cum potestate Papæ: *Wilhelmi Lindani*, Belgæ, Episcopi Ruræmundensis, de vera Christi Jesu ecclesia, ubinam locorum nunc tempestatis certo juxta ac infallibiliter invenienda, Diatriba analytica: e *Zacharia Boverii*, Salutiensis, Ord. Capuccin. S. Francisci, Demonstrationum symbolorum veræ & falsæ religionis Tomo II Demonstratio III de unitate capitis visibilis a Christo instituti; IV de unitate doctrinæ fidei; VI de successione visibili. Hisce XX Tomis Bibliothecæ Maximæ Pontificiæ ultimus accedit, qui Autorum ac rerum omnium notabilium in illa contentarum Indicem luculentum exhibet. Denique notandum etiam ducimus, Reverendissimum Editorem hujus Bibliothecæ in Præfatione ad Lectorem promississe, se Autores, qui ad manus suas nondum pervenire potuerint, aut quorum notitia hætenus ad

se non pertigerit, in Additionibus, quas post completum hocce opus meditatur, exhibiturum esse; eundem simul Lectorem enixe rogare, ut si quos de simili argumento typis aut manu exaratos atque in hac Bibliotheca nondum obvios Autores possideat, vel amicos possidere sciat, sibi benigne impertiatur, quippe ad sumtus refundendos ac grates referendas promptissimus sit futurus.

*SYNOPSIS THEOLOGIÆ CHRISTIANÆ EX SOLIS
verbis Christi, relatis ab Evangelistis, eruta atque
monstrata a JOANNE HENRICO MAJO, Doctore
atque Professore Theologo ac Philologo Ordinario in
Academia Ludoviciana, quæ est Giesse
Hassorum.*

Francof. ad Mœnum, ap. Joannem Maximilianum a Sande,
1708, in 4.

Alphab. i plag. 7.

Quamvis Celeberrimo Autori optime constaret, totam Scripturam a Deo inspiratam fuisse, ac sanctos Dei homines spiritu Christi agitados ea dixisse, quæ pari pietatis & fidei affectu cum iis recipi debeant, quæ Salvator ipse immediate protulit; extra omnem tamen alex controversiam illi positum, ea quæ summus humani generis magister, voce cœlitus delata nobis commendatus, ipsemet docuit ac tradidit, fidem sine ulla exceptione promereri; unde non inconsultum fore, judicavit, Theologiam Christianam ex solis verbis Christi depromptam proponere, eamque cum orbe Christiano communicare, imprimis, cum nemo adhuc tam veterum quam recentiorum Theologorum, quantum constat, hujusmodi laborem præoccupaverit. Ut vero B. L. constet, e quibus Christi verbis Christianæ doctrinæ corpus contexuerit Maxime Reverendus Autor, ipsos articulos fidei & oracula Christi juxta ordinem ab illo observatum indicaturi sumus. Et quidem differit de Theologia ex *Matth. XI, 25—30 & Luc. X, 21, 22*: de Scriptura S. ex
Joan.

Joan. V, 39 : de SS. Trinitate ex *Joan. XV, 26 & XVI, 13, 14, 15* : de Creatione & Conservatione omnium, ex *Matth. VI, 25—32* : de Angelis bonis ex *Matth. XVIII, 10* : de Angelis malis ex *Joan. VIII, 44* : de peccato ex *Matth. XV, 11, 18, 19* : de seruo arbitrio lapsi hominis ex *Joan. VIII, 34 sqq.* de Christo Redemptore ex *Matth. XX, 28* : de Justificatione ex *Matth. V, 20* : de Regeneratione ex *Jo. III, 3—12* : de unione mystica fidelium cum Christo ex *Joan. XV, 1—8* : de Renovatione & bonis operibus ex *Joan. XV, 2—9* : de Lege ex *Matth. XX, 37—40* : de Evangelio ex *Luc. IV, 17—22* : de pœnitentia ex *Marc. I, 15* : de Baptismo ex *Matth. XXVIII, 19* : de Cœna Dominica ex *Matth. XXVI, 26, 27, 28* : de Ecclesia & Ministerio ecclesiastico ex *Matth. XVI, 18, 19* : de Magistratu Politico ex *Matth. XXII, 21*, de Conjugio ex *Matth. XIX, 4, 5, 6* & de Novissimis ex *Joan. V, 27, 28, 29*. In quorum Articulorum tractatione hunc ordinem constanter observat laudatus Autor, ut primo verborum a Christo prolatorum analysin atque exegeſin præmittat, dein ideam ipsius articuli ex iisdem pertractet.

CONSIDERAZIONI DI BIAGIO GAROFALO intorno alla Poesia de gli Ebrei & dei Greci.

h. e.

BLASII GAROFALI CONSIDERATIONES de Poesi Hebraeorum & Græcorum, in duas Partes divise.

Romæ, apud Franciscum Gonzagam, 1707, 4.

Alph. 1 pl. 2.

Argumentum, quod nuper clarissimus Jacobus Capellus, Ludov. Fil. de Hebræorum Poesi sibi tractandum sumpsit, Blasius quoque Garofalus, qui hætenus & aliis scriptis eruditius inclaruit, in hoc libro persequitur. Poeseos incunabula inquirens, eam antiquitus instillandis juventuti legibus,

D d d 3

ho-

honesti ac decori accommodatam fuisse existimat, Solonis-
 que, qui leges suas versibus scripsit, & Pythagoræ, qui opti-
 mas Homeri & Hesiodi sententias collegit, aliorumque exem-
 plis in Præfatione comprobat. In prima deinde Parte, de va-
 riis modis, quibus nostras cogitationes exprimimus, agit, & ex
 qua causa sermo clarus & obscurus fiat, ostendit, Hebræamque
 linguam ob elegantiam omnibus aliis præfert. Hanc enim nostra-
 rum cogitationum ordinem servare, & primo loco substantiam,
 sive nomen, a quo actio procedit, deinde actionem ipsam, quæ
 verbo exprimitur, & tandem actionis terminum, quem particula
 indicat, ponere, in eoque a Latina & Græca lingua, quæ linguæ
 haud raro actionis termino actionem ipsam postponunt, quando-
 que vero eundem ordinem immutant, longe recedere asserit. His
 præmissis ad Poeseos Hebrææ examen progreditur, & Goma-
 rum rejicit, qui suasu Abrahami Golii & Ludovici de Dieu, Mer-
 cerum & Vatablum secutus cantica Hebræa ad Pindari, Sopho-
 clis aliorumque metra conatus est reducere. Ipse vero Ludovici
 Capelli vestigia legit, & Hebræis, Syris reliquisque Orienta-
 libus metra denegat, quod his illam, qua Græci & Latini in
 vocabulorum compositione utuntur, libertatem linguæ genius
 non concesserit. Sic v. gr. Hebræo ore **איש טוב** *vir bonus* ;
 non vero **טוב איש** *bonus vir* dicere licet. Pari modo Hebræi
 pronomina nominibus & verbis semper jungunt, & nun-
 quam eisdem præponunt. Nec illa lingua fert, ut genitivus
 nomini, a quo regitur, præponatur, sed semper eidem postpo-
 nendus est, ut v. gr. tantum **דברי יהוה** *verba Domini*, nun-
 quam **יהוה דברי** *Domini verba* dicatur. Præterea anno-
 tat, Hebræos duabus tantum in pl. num. uti terminationibus,
 quarum altera in **ים** altera in **ות** exeat, quæ in causa fuerint,
 ut pedes ad metrum compositi semper iidem essent, & metri
 elegantiam & dulcedinem perderent. Existimat itaque, He-
 bræos naturæ ductum secutos rythmum, sive sonum in fine sr-
 milem tantum observasse: quod hodiernum cantantes pueros
 easdem tantum voces repetere videamus, multæque repetitio-
 nes v. gr. vocum **עולם**, **ישראל**, **יהוה** in plurimis
 Psalmis & canticis, imprimis in Ps. CXVIII & CXXXVI occur-
 rant

rant. Addit præterea, quod, referente Isaaco Vossio, Arabes, Persæ, Afri, Tartari, Chinenses, pluresque Americanæ gentes, ut & Occidentales circa Imperii Romani decrementum, Poesi rhythmica usi sint. Rythmum ipsum quod concernit, in eo Hebræi ex nostri Auctoris mente tantum soni, non literarum similitudinem attenderunt, quod antiquitus non legendi, sed recitandi potius & cantandi gratia carmina componerentur: mirum ergo non esse, quod in fine Psalmi I יהגרו cum פלגי v. 3, & משפט v. 5 cum ערו consonet. Idem laudatus Auctor Hebræis Musicam, quæ syllabas Italorum more secundum sonorum cadentiam, ut Musici loquuntur, modificat, tribuit, eamque ob theatrorum defectum non adeo harmonicam fuisse opinatur. Quod vero in nostris codicibus rythmi raro & quasi casu quodam inveniuntur, scribarum Hebræorum ignorantia, quæ post amissum dominium maxima fuit, adscribit: illos enim voces transponendo & cum aliis commutando rythmum sustulisse, ex Ps. XVIII, qui 2 Samuel. XXII paululum mutatus reperitur, probare annititur. Alterum amissorum rythmorum fontem recentia Masoretarum puncta constituit, quæ sanctum quoque Dei nomen יהוה corruperint. Hoc enim olim a Mose, teste Diodoro Siculo & Theodoreto, *Iáo* fuisse pronuntiatum, quæ vox sic lecta multos rythmos hodie restituat. Nec audiendum esse Origenem, aut Josephum, qui Mosis canticum versibus hexametris scriptum esse asserunt, præcipue quod hic Hebræam linguam non exacte calluerit, eaque in gratiam gentilium ejusmodi versibus assuetorum tantum dixerit. Exaggerat quoque populi Judaici ignorantiam, quam Josias Rex decimo octavo sui regiminis anno libri Legis ignarus prodidit. Exilio denique Judæorum Hebræarum quoque literarum notitiam & usum expulsam esse putat, ut hi ore Chaldæo loquentes patriam linguam absque Grammatices & Dictionarii ope, sed usu tantum addiscere coacti, vocalium vero & accentuum punctis destituti, quod Capellus docet, veræ pronuntiationis obliti sint. Ut vero rectius de Auctoris mente judicare possimus, particulam e canticis Mosis antiquo rythmo restitutam h. l. subjiciemus.

אשירה

יומרתיו	אשירה
ויהי	ליהור
לי	כי גאר
לישועי	גאר
זה אלי	טוס ורכבו
ואנוחו	רמו
אלהי	בום
אבי	עזי
וארומנהו:	

His alia quædam carmina v. gr. Deboræ, Annæ, Davidis, Salomonis, Jeremiæ, Jonæ & Habbakuki adduntur, & tandem expositis ejusdem Poeseos characteribus, huic tractationi finis imponitur. In altera Parte Poesin Græcam persequitur, quique ejus quondam usus fuerit, fusius exponit. Hic Græcos omnes actiones ad utilitatem publicam referentes leges tulisse asserit, quæ internos & externos Reipubl. hostes propulsarent, indeque esse, ut malarum actionum pœnas, bonarum vero præmia constituerint. Et quoniam res ob oculos positæ animum fortius commovent, eosdem actionum bonarum laudes & malarum pœnas versibus conscripsisse, & sic Tragœdiis, Comoediis & carminibus Heroicis originem dedisse existimat. Ut itaque Poeseos Græcæ elegantiam extollat, Poetarum doctrinas pandit, quibus, ut Reipubl. tranquillitatem obtinerent, usi sunt. Primo omnium loco Orpheum, cujus pauca apud Platonem, Aristotelem, Laertium, Clementem Alexandr. & alios carmina prostant, in medium adducit, & dolet, quod libri ejus, cum illis Lini, Melampi, aliorumque; cum Comoediis Menandri, Theophili, Apollodori, Philemonis, nec non cum carminibus Sapphûs, Erinnae, Corinnae, Bionis, pio Christianorum sacerdotum fervore, quorum apud Imperatores Constantinopolitanos magna auctoritas erat, sublata sint, id agentium, ut Christiani eorum loco Nazianzeni, Apollinarij & Synesii poemata legerent. Observat præterea, quod sub vulgaribus rebus naturalis & divinæ scientiæ mysteria Orpheus, teste Plutarcho, absconderit, quem postea Pythagorici imitati sint. Dogmata ejus quod concernit, ea cum Mosaicis plerumque consonare ostendunt.

ostendit. Inter alia attingere liceat, quod de Lunæ incolis, quos Mathematicorum hodiernorum nova systemata adstruunt, jam dudum Orpheus docuerit, cujus sententiæ documentum Clemens Alexandrinus asservavit:

Μήσαο δ' ἄλλην γαῖαν ἀπεΐριον, ἦντε Σελήνην
 Ἀθάνατοι κλήζουσιν, ἐπιχθόνιοι δέ τε Μήνην,
 Ἡ πολλ' ἔρε' ἔχει, πολλ' ἄσπεα, πολλὰ μέλαθρα.

Orpheum Homerus excipit, qui præter vitas illustrium virorum, præclara de Deo, arte regnandi, bellum gerendi & loquendi dogmata decantavit. Numinis existentiam ex piorum præmiis & impiorum pœnis derivat, idque omniscium & bonum esse, seseque hominibus sapientibus communicare, docuit. Ad cultum, quo Deum colere decet, preces refert, & ut ejus voluntati homines sese subjiciant, suadet. Nec obsequii, quo Regibus devincti sunt homines, obliviscitur, sed ut iisdem majorem erga Principem honorem incutiat, eos διοτρέφεις a Jove nutritos appellat, eo sensu, quo David eosdem בְּנֵי אֱלֹהִים filios Dei nuncupat. Sed nimis prolixum foret, omnia, quæ notatu digna occurrunt, hic colligere; illud addidisse sufficiat, Clarissimum Garofalum alios quoque Poetas, quodcunque genus carminum scripserint, sub examen vocasse, & si quicquam pulcre excogitaverint, cogitationesque suas eleganter expresse- rint, & affectus apte commoverint, studiose & erudite observasse.

PROGYMNASMATA ACTIONUM FORENSIUM

totum Ordinem Judicarium tam Juris communis, quam Austriaci populariter explicantia, Remedia item, quibus cuique jus suum vel agendo persequi, vel excipiendo defendere, vel præcavendo conservare liceat, ex æquo & bono, distincta in sex Tractatus; Autore JOANNE

FRANCISCO THASSER,

J. U. D.

Ecc

Vien-

Viennæ Austriæ, apud Joannem Baptistam Schönwetter, Bibliopolam Cæsareo-Aulico-Academicum, 1708, in 4to.

Const. 7 Alph. 15 pläg.

IN foro Austriaco versantibus utilem præstare voluit operam doctissimus Autor, dum forenses plerarumque actionum usum prolixè satis explanavit. Totum opus in sex Tractatus divisum est, quorum primus actiones ad judicia pertinentes, secundus eas, quæ ex interdictis, tertius, quæ ex contractibus, quartus, quæ ex ultimis voluntatibus, quintus, quæ ex veris & quasi dominiis, denique sextus, quæ ex injuria vel damnis datis oriuntur, continet. Singula referre nimis fuerit prolixum, hinc exemplis nonnullis laborem hunc illustrasse satis erit. In Tractatu primo p. 125 actio edicti de alienatione judicii mutandi causa facta, proponitur eo quidem ordine, ut, formato casu, actionis hujus definitio, requisita, personæ, quibus & adversus quas illa detur, materia, duratio, remedia affinia, practica communis, formula libelli, & exceptiones, quibus reus se contra eam defendere queat, adducantur. De interdicto uti possidetis in Tractatu secundo p. 225 hæc Nostri est doctrina. Facta turbatione, antiquitus Prætorem, tanquam æquissimum justitiæ distributiæ executorem, causa summariter cognita, verbis solenniter conceptis interdictum reddidisse ac celeri remedio turbatum in possessione sua defendisse ostendit. Inde interdictum dividit in directum & utile, nec non in ordinarium & summarium, seu momentaneum, instituta utriusque prolixiore comparatione. Postea instruit judicem, quomodo in dijudicandis partium juribus ac ferenda sententia se gerere debeat. Deinde recenset personas, quibus aut adversus quas hoc interdictum detur, ut & requisita ei instituendo necessaria. Cumque cardo negotii in probatione vertatur, hinc plenius expendit modum probandi, ac in specie docet rerum corporalium immobilium possessionem probari rei insistentia, cultura agrorum, fructuum, aut pensionis perceptione, solutione collectarum, clavium traditione, descriptione in libro æstimi & catastri facta, investitura, missione in possessionem per judicem suscepta ac usu rei. Incorporalium vero possessionem,

nem, pro jurium diversitate, varie probari deinde docet. Nimirum jurisdictionis possessio instrumento juratæ fidelitatis vel liberationis a fidelitate, præstatione onerum, perceptione gabellarum aliisque actibus jurisdictionalibus, ut re judicata, captura delinquentium ac erectione furcarum : quasi possessio vero jurium Ecclesiæ, clavium traditione, ex Nostri sententia, probatur. His expeditis, interdicti objectum, durationem, practicam, & remedia affinia commemorat. In Tractatu quarto p. 53 proluxa de Querela inofficiosi testamenti habetur tractatio. Casus a nostro ita formatur. Titius ex legitimo thoro Sempronii natus, percepta morte parentis, ex Italia Vienneam venit ad consequendam suam legitimam bonorum partem ab intestato debitam, quam hæres extraneus institutus in testamento Parentis restituere detrectat ex ratione, quod præfatus Titius a Patre suo exhæredatus sit, non tamen allegans multo minus probans justam exhæredationis causam. Hoc casu filio adversus extraneum hæredem querela inofficiosi succurrendum esse Noster censet, adeoque data ejus definitione, personas, quibus & adversus quas illa competat, Legitimæ moralitatem, quantitatem, gravamen, titulum, querelæ contraria, finem, durationem, practicam communem & Austriacam, defensionem rei conventi ac remedia affinia fuse satis proponit, ex qua tractatione hoc unicum seorsim notabimus, quod jure Austriaco Parentibus legitimam non deberi Noster p. 54. observet.

EERE VAN DE NATIONALE SYNODE
van Dordrecht &c.

*DIGNITAS SYNODI DORDRACENÆ EVICTA ET
a G. Brantii in Historia Reformationis criminationibus
vindicata: Accedunt observationes ad partium studio la-
borantem autoris enarrationem datarum Remonstranti-
bus turbarum, tam ante quam post coactam Synodum;*

Autore JACOB OLEYDEKKERO,

V. M. Medioburg.

Ecc 2

Pars

Pars I Amstelodami ap. Isaac. Stockmann, 1705, 4.

Alphab. 4 plag. 15

Pars II ib. apud eundem, 1707, 4.

Alphab. 3 plag. 19.

Præfat. p. 14

§. 5

Cap. II §. 14

p. 115.








Annus hic labitur quartus, ex quo Johannes Brantius coaptam a parente Gerardo Historiæ Reformationis telam per-texturus, Partes III & IV, ex paternis erutas schedis, superioribus adjecit, publicique juris fecit: quarum succinctam mense Februario A. 1705 p. 56 dedimus recensionem. Quod ubi confutandum sibi opus fumsit Leydekkerus, indigne perquam tulit encomia, quibus ex merito tunc temporis illud ornavimus, tantum non falsi nos postulans, quod Rulæum vel præconem, vel testem citaverimus Brantianæ virtutis, qui tamen in tuenda Triglandii, quam in dubium Brantius vocaverat, fide alia omnia testetur. Quin & præter convitia, quibus tanquam Arminiasmi patronos, & Pelagianismi, indignis nos modis confectatur, Venerandi objicit Calovii autoritatem, qui in dedicatione Considerationis Arminianismi multo secus de Arminianis sentiat, tantisque eos præconis longe existimet inferiores. Equidem misericordia viri boni affectum nos dignum potius arbitramur, quam maledicta ejus responsione. Qui si in nostram libri Brantiani recensionem oculos atra bile non suffusos conjicere potuisset, non Arminianos nos laudasse, non errores eorum amplecti, non Pelagianismum tueri animadvertisset, sed innocua laude historicas quasdam Brantii prosecutos esse virtutes, quas vel in Gentili Judæove commendare non dubitaverit, quisquis totus Leydekkerus non fuerit: aptissimum nempe ordinem, fidem in allegandis, quæ sequitur, monumentis, & styli nitorem. Ea vero ipsi ex fratribus Leydekkeri Rulæo laudatas commendatasque esse neget, si vir est, cum proflent ubique Rulæi schedæ, quem Triglandii fidem defendisse non opus erat, ut a Leydekkero edoceremur. Qua vero arte argumentandi evinci possit, eum qui Triglandium adversus Brantium defendit, virtutes quasdam ejus laudare non potuisse, haut capimus: nisi Leydekkerus omnibus mortalibus hanc legem


legem dissentiendi statutam credat, ut, qui in una re displicuerit, ejus omnia improbari oporteat. Verum si virtutem in hosse etiam laudari Leydekkeri mores non ferant, tulere certe Rulæani; nec ea in re ratiocinatione est opus, ubi de facto sensuum testimonio constat. Non est præterea quod Calovii nostri auctoritatem nobis occentet Leydekkerus, cum quo de Arminianorum erroribus damnandis per omnia consentimus: id vero fieri posse, & tamen probari historiam boni viri ex eo hominum genere, qui bona fide, unde sua hauserit, indicet, lectorumque adeo, veritatis amantium, judicio narrata sua permittat, atque examini, cur in παραδόξοις censendum Leydekkerus judicet, non videmus. Certe errare potuere erraverique Remonstrantes, sed & Contraremonstrantes in facto pariter ac jure errare cum potuisse, tum reapse errasse, erroresque eorum, maxime in factis, fideliter a Brantio exponi potuisse quid vetat? Et, si tantopere placet Leydekkero B. Calovii nostri in hoc negotio auctoritas, non displicuerit etiam ipsi ejusdem Theologi legere verba, ex ipso libro, cujus dedicationis, a viro multæ lectionis & beatæ memoriæ perlustratæ, inter convitia in nos ingesta argumentum habemus, decerpta, quibus Synodi Dordracenæ *Dignitas* ex ejus mente explicatur: *Ita, inquit, ea synodus est celebrata, ut conditiones quas legitimis Synodis præscribere Neostadiensis in Admonitione, Pareus in Irenico, neuiquam servarint Arminianis Calvinista. Quin contrario prorsus usi processu, neque liberam, neque securam, neque ullo modo equam, permiserint Synodum, sed INIQUITATEM cum insigni HYPOCRISI, (demonstrante Nicol. Hunnio in διασπείρι de fundamentali dissensu inter Calvinianos & Lutheranos) in flagitanda & definienda Synodo orbi Christiano patefecerint.* Eam vero Synodi Dordracenæ delineationem ab oculos tum maxime habuimus, cum posteriora duo volumina Historiæ Brantianæ, illius Synodi partem longe maximam occupatæ, in Actis nostris recensere. Cumque Calovium recensionis nostræ judicem esse velit Leydekkerus, videat quam bene sibi consuluerit, ad forum ejus trahens laudantes Autorem, qui iisdem, quibus Calovius, coloribus Sacram Synodum delineavit.

Confider.
Arminianis
smi p.4.

Verum fatis de Autore, non superflue tamen, cum inter-
 sit lectorum Autorum ingenia nosse; ex illis igitur Leydekke-
 rum, velut ex ungue leonem, agnoscent. Ad librum ejus quod
 attinet, tria universæ tractationis summa facit capita: quorum
 primo res enarrat a tempore Arminii ad finem usque Synodi
 Dordracenæ gestas, Baudartii, Triglandii & Actorum cum pri-
 mis Synodaliū ex una, Uytenbogardi vero & Brantii ex alte-
 ra parte, autoritate ac fide nixus. Secundo adversa fronte
 Brantium aggreditur, fideque in exponendis Parte II historiæ
 gentis suæ fatis non usque quaque integra versatum fuisse do-
 cet: concisius id quidem, & strictim, eo quod Triglandius
 in confutatione Historiæ Eccles. Uytenbogardi copiosissime, pro
 291. argumenti ubertate, causam egerit. Tertio dignitatem Synodi
 tuetur, & ab acerbis, quas vocat, Brantii accusationibus vindi-
 cat, quas ex primorum nascentis Remonstrantismi fautorum
 scriptis haustas in III historiæ suæ Partem congesserat: præter-
 missas olim Triglandio, qui in famosis modo dictos habens li-
 bellos, tanti eas non fecerit, data ut iis opera responderet.

Vix lucem primum hoc Leydekkeriani operis adspexe-
 rat volumen, cum Jo. Brantius carmine primum satyrico, mox
 & apologetico, exiguæ tamen molis, libello illud exciperet:
 cujus & acerbiter in Præfatione Partis II accusat Autor, &
 criminationes adjecta quadam Anonymi Epistola satis proluxa,
 retundit. Ceterum omnem hujus quoque voluminis ambitum
 tribus iterum Capitibus circumscribit. Primo calamitates Re-
 monstrantium cladesque exponit, ipsorum maxime vitio tam in
 Synodo, quam facta posthæc contra principis Mauricii vitam
 conjuratione contractas: cujus in societatem sceleris quo pacto
 Barneveldii venerint §. 106, Slatius quoque quas pœnas dederit,
 §. 113, nec integros, quos Brantius excusat, a flagitio tres Re-
 monstrantium fuisse Ministros, §. 107 edocet. Secundum
 253. mantissam complectitur, acta Remonstrantium ex illo, quo
 Brantii desinit historia, tempore exhibentem; ubi quæ de
 Cyrilli Lucaris confessione, quam tot convitiatorum plaustris Re-
 monstrantes onerant, §. 35 sq. nec non de Janlenismo Autori
 327. mens sit, §. 43 sq. videas. Tertio observationes Parti hujus
 operis





operis primæ ex commutatis Remonstrantium adversariorumque scriptis collectas addit; adjectoque auctario technas Remonstrantium ob oculos ponit, quibus ad tuenda propagandaque dogmata sua utantur. Colophonem tandem operi imponit, dum conspectum Arminianæ de justificatione sententiæ exhibet, Paulumque hoc in argumento cum Jacobo Apostolo componit.

p. 494.

533.

*DE PHALANGIO APULO OPUSCULUM, IN QUO
pleraque historice, pleraque philosophice, de hoc insecto
ejusque miro veneno enarrantur ac discutiuntur;
Autore D. LUDOVICO VALETTA,
Monacho Cœlestino.*

Neapoli, ex typographia de Bonis, 1706, in 12.
Plagul. 8.

Lucem ex voto demum amicorum præsens aspexit Opusculum, quod de Phalangio Apulo Autor ipse Apulus, ceu Luceriæ natus, duodecim abhinc annis concinnatum maluerat adhuc suppressere, postquam Experientissimus Baglivus Dissertationem de Tarantula cum suis de Praxi Medica libris ac duabus aliis Dissertationibus Romæ primum edidisset, a nobis A. 1698 mense Januario p. 41 recensitam. Nec immerito, cum & diversa a laudato Baglivo, v. g. circa oris Tarantulæ sedem, forcipum usum, ocellorumque numerum, & diffusiores, si non exactiores, tum insecti, tum veneni ejus historiam, utpote per propriam magis Autoris experientiam, quam fidem aliorum, illisque locis omnibus aliquoties peragratis, in quibus mirabiles veneni ipsius effectus cernuntur, conscriptam, duobus Libris videatur complecti. Primo namque horum de Phalangio ipso, nomen habente a tribus pedum internodiis, quæ phalanges Græci salutant, ac vulgo a celebri Calabriae urbe Taranto Tarantula dicto, imprimis sequentia commemorantur. Nascitur nempe in totius Apuliæ locis incultis ac potissimum collibus apricis, meridiei obversis, quamvis nec alibi illud reperiri dubitetur, saltem quod extra Apuliam eosdem
in fav-

Lib. I.

Cap. I.

C. 2.

in fauciatis effectus præstare observetur impotens. Dum locustæ autem absque osseo adjumento terram incultam crustaque quasi saxea obductam terebrare annotantur, Phalangium dictis in locis terram durissimam, ictibus etiam sarculorum ægredientem, verisimilius syncipitis sui forcipe, veluti ad duritiem quodammodo osseam accedente ac osseis itidem & peracutis unguis instructa, profunde fodere cavernosumque nidulum sibi extruere censetur. Cujus structura satis apta occurrit phalangium ab aqua pluviali, vel per collium declivia decurrente, vel a vento procelloso in caveam propulsa, defendendi: quatenus enim in solo plano rotundum foramen pariter ac vallum, tam ex viminibus telarum, quam ex tenaci creta effectum, obtinet obliquum, frequentius meridiem respiciens, irruptionem aquarum descendantium valet arcere; in quantum vero cavernula interior multis anfractibus obliquis gaudet, cretaceo itidem glutine, a Sole indurato, maximam partem incrustatis, refugium præbet, quo phalangium se recipiat, quando pluvia introrsum a vento agitatur, villisque pedum summitati ejus adhærescat. Ad insecta varia captanda, quibus phalangium vescitur, quibusque Apuliæ planities scatet, non nisi post occasum Solis cavernula egreditur ac totam noctem per viciniam transcurrit, quia frigore nocturno insecta tunc torpent, quod si tamen in nidulo subinde permaneat, non tam dormiendi, quam aliquid venandi causa, duobus anterioribus pedibus distentis in vestibulo foraminis se componit, atque ocellis perquam micantibus prætereuntem prædam expectat, hinc ad insectum oblatum statim avide profilit, illudque forcipibus arreptum in fundum caveæ late abscondit, non diu post ad novas insidias rediens. Quotiescunque autem interdiu ab Apulis avena tenui ad os caveæ exhibitantibus e specu elicitur, incertum satis, num magis hoc fiat, quia sono tali delectetur, an quod prædæ vocem illam existimet. Octo alias pedibus hinc inde æqualiter distributis & terna internodia habentibus incedit, qui omnes, tenui lanugine investiti ac inferius albidi, cum fasciis nigris, in extremitatibus autem &, qua pectori annectuntur, penitus nigricantes, a pectoris scuto ovali, nigro, villoso &

3.

4.

loso & ostreae duritiem æmulante, quod vulgo speculum audit, tanquam a centro emergunt. Ab humeris bina cornicula prodeunt, brachia potius dicenda, quoniam præda fugam parans iisdem sistitur & forcipi vicinæ lanianda præbetur, cum cruribus quidem internodiorum numero ac lanugine convenientia, multum tamen ab iisdem discrepantia, dum non solum breviora colore flavo tinguntur, sed & lanugine spissiori pro insectis facilius irretiendis cinguntur, in extremitatibus unguiculis nigris & solidis muniuntur, longeque flexibilia & sensibilia deprehenduntur, veluti levissimo motui prætereuntium bestiolarum somni etiam tempore percipiendo idonea. Alvus ejus, sicut aliorum araneorum, subtus candicans vel flavescens tam in meditullio fascia nigra, quam aliis punctis & lineolis nigricantibus distincta, lanugine minutissima & pene insensibili refertur. Corpus pariter lanuginosum, cum pilis aliquando nigricantibus dispersis, quemadmodum incisuras in dorso habet, ita in tota superficie superiori colore claro & subalbido, in grandioribus autem subfusco cum albicantibus maculis fasciolisque suffunditur. Capitis apex, scutum pectoris & forceps cancrorum duritiem æmulantur; alvus vero est mollis, delicata quasi pelle circumdata. Caput maxime in sui anteriori parte locustæ simile est, in fronte duos ocellos exhibens nigerrimos, rotundos, duros, perfecte lævigatos & in loco obscuro ac nocte instar felinorum splendentes, nunquam non immobiles. Quæ os in aliis animalibus patet, exurgit quasi forceps nigra, ossea, antè lanugine flavescente confita & in utraque extremitate unguiculis subtilissimis & acutissimis armata, pro usus necessitate nunc contrahenda, nunc aperienda, quæ prædam brachiis arreptam pertinaciter stringendo orique admovendo unguiculis ipsis succum simul, a phalango pro sui nutritione sugendum, exprimit. Os nihilominus haud in capite, sed in ea intercapedine, ubi brachia initium sumunt, vel ideo locatur, quod os in capite nullum reperiatur, intercapedo autem ista acu irritata humorem albicantem eructet, forcepsque ipsa cum suis unguiculis immediate supra hanc partem, extra & supra scutum pectoris aliquantum prominentem, inclinetur,

C. 6.

clinetur, ita ut præda arrepta forcipis contractione aculeo fistuloso exin evibrando ad succum exfugendum exacte objiciatur. E tali vero suctione phalangium spinare quoque colligitur, etiamsi pulmonibus & sanguine destituatur. Neque aliter per integram hyemem majoremque autumnii & veris partem, qua veternosum intra specum, stipulis atque araneorum telis stricte obturatum, latitat, quam tepidos terræ halitus sugendo, videtur nutriri. Ubi terram vero longo tempore incultam vomere interea secari ipsasque specus devastari contingit, tunc torpens, semisopitum & quasi incedere nescium conspicitur, vulnera vel plane non, vel saltem innocua infligens.

7.

Quantæ molis porro phalangium habeatur, quæ omnino varia, ex majori vel minori specus foramine venit conjiciendum, utpote corporis quantitati proportionato: raro castaneæ magnitudinem superat, aliquando tamen miræ magnitudinis phalangium conspectum, pinguiori & copiosiori lanugine circumdatum cum maculis nigris spissioribus & grandioribus. Fœmellis, præter pedes paulo longiores, alvus potissimum est major atque pinguior, maxime cum ovorum fœtibus intumescunt, quam maribus. Qui dum super fœmellas incubando instar locustarum congressum celebrant, circa solstitium æstivum fœminæ sæpius vectantes mares per agros deprehenduntur, mense autem Augusto & Septembri partim ova emisisse, partim nigricantibus filiis sese induisse. Ovula candicante rotundoque involucro, ex subtilissimis araneorum telis contexto, veluti membrana tenui, cincta ex spinæ caule prodeunt, ceu cujus extremitati superiori globosa talis membrana incumbit, usque sub æstatis termino phalangiola contenta nunc in caveis, nunc in agris, eandem foraminibus insensibilibus pertundant, ac nigricantia rudique figura erumpentia protinus, Plinio aliisque attestantibus, in matrem magno numero insiliant, hancque acervatim circumcirca ambient, densius imprimis clunibus adhærendo, non alium in finem, quam ut vita matris exsaturentur hujusque corpus, humore omni elicto, aridum prorsus in campis relinquunt. Matre autem sic enecta, quæ phalangiola magnitudine & robore præstant, pro fame sedanda, alia minora minusque valentia tam diu rabide

invadere

invadere pergunt, donec non nisi pauciora supersint, aliunde postmodum sibi escam captantia. Ictus phalangiorum tota æstate notantur exitiales, quod aut præservida tunc venere agantur, aut vehementiori etiam Solis æstu in furorem concitentur. Quæ fugendi autem phalangiorum ratio, eadem & mordendi videtur, cum nihil virulenti per ungulas sive forcipes, utpote non excavatas, queant emittere, sed eodem temporis puncto, quo cutim forcipibus stringunt, aculeum fistulosum ex ore lancinent, lancinatumque in cutem infigendo virus communicent. Ruricolæ, ruri seminudi dormientes, ac fœminæ vilioris conditionis, spicas per agros colligentes, frequentius ab ipsis læduntur, quam viri nobiles, non nisi per diem in campis degentes.

Attamen quæ de mirando Tarantulæ veneno in libro secundo uberius proponuntur, qualitatem ejus, effectus, veritatem, rationes, cur tam musicæ cedat, quam quotannis recurrat, nec non eodem affectorum exempla concernunt, atque huc redeunt. Phalangii venenum non tam frigidis cum Cardano, quam calidis cum Scaligero annumerandum esse, ex effectibus ostenditur. Virus quippe ictorum venis exceptum incredibili celeritate per has ad cor progredi ibique sanguinem immoderato suo colore nimium fermentando angorem primum animi parere ac respirationem difficilem reddere, mox halitus fuliginosos & serosos exspirare sic impeditos ad cerebrum ascendere, hocque exagitando tales furores producere, quos, pro sanguinis temperie & consistentiæ, vel tenuioris, vel crassioris diversitate, diversæ imaginationes æque ac membrorum corporis ad musicam auditam motiones & agitationes insequantur. Phantasmata nempe nunc læta oboriri, nunc truculenta; nonnullos aquarum limpidarum aspectu & fontibus artificialibus suavi cum strepitu in pelvim suppositam cadentibus delectari; plerisque frondes virides placere; aliis alios arridere colores; multos in actu saltationis magis excandescere motuque crebriori cieri, cum alii lentius & magis compositæ ac graviter tripudiant; aliquos tympano bellico exsultare, aut enses aliaque instrumenta militaria exposcere; omnes nihilominus, et-

C. 9.

Lib. 2.

C. 1.

2.

iam eos, qui lethargo videntur oppressi, ad concitatio-
 tharæ aliusque instrumenti musici sonitum choreas non so-
 lum incipere, sed & instrumentis vel dissonis redditis, vel
 non amplius pulsatis, in terram apoplecticorum ad instar pro-
 sterni, cum modulamine novo saltatum alacriter repetentes.
 Quod tarantulæ autem morſu afflicti post triduanum saltatio-
 nem pristinæ quidem sanitati perfecte restituantur, symptomata
 tamen quotannis eodem tempore, quo virus contraxere, rursus
 aliquamdiu experiantur, maximam imprimis meretur admiratio-
 nem. Musicam interim ac saltationem ejusmodi læsis vere
 mederi tanto minus dubitandum, quanto certius cum Autor,
 qui inter Scepticos alias Philosophos nomen suum profitetur
 patriamque a tali infamia vindicare mallet, tum tres per amplæ
 provinciæ, malo dicto obnoxia ac numerosissimis populis refer-
 tæ, illud attestantur, quin ab iis ipsis, quibus phalangii vene-
 num impostura fuit visum, quotiescunque ab eodem vulnera-
 ti saltare habuerunt necesse, confirmatur. Nec infringendæ
 fidei communi sufficit, quod nullus Scriptorum antiquorum,
 & ne Plinius secundus quidem, veneni tarantulæ mentionem
 injecerit, sed ultimus potius phalangium Italiae ignotum ad-
 struxerit; quod homines viles & abjecti semper aut plerumque,
 perraro nobiles, in Apulia tamen non minus agriculturam exer-
 centes, veneno hoc tacti in saltatum prorumpant; quod ipsi
 met ruricolæ, tempore æstivo impensius choreis ac ea modula-
 tione, quæ tarantella audit, delectantes ejusmodi saltationem
 joculariter primum videantur introduxisse, falsoque postmo-
 dum æstuans saltandi desiderium, a minio calore excitatum,
 phalangiorum morsui adscripsisse; quod varia, quæ appetuntur,
 v. g. discolores vestes, virides arborum rami, aquæ limpi-
 dæ, instrumenta bellica, deliramenti magis muliercularum &
 infani amoris juvenum præbeant documentum, quam quic-
 quam profint; quod multi curiosi vel se ipsos, vel alios, a ta-
 rantula, absque ullo insequenti incommodo, nec saltandi stimulo,
 curaverint fauciari, imo nonnulli sæpius nocte in medio arearum
 quieverint ac expergefacti phalangiis sese confitos viderint, nihil
 tamen vel ictus, vel ad saltandum appetitus inde persenserint; quod
 venenum

venenum & aliquem morbum a sonitu & saltatu curari nondum sit observatum, neque ratio musicæ in tarantatis restituendis magis pateat, quam cur semel a tarantula icti quotannis eadem symptomata absque novo morfu experiantur. Sciendum enim est, 1 pervetustos Scriptores nec omnia, nec vera semper enarrasse, prout vel phalangium Italiæ a Plinio denegatum de supina hujus ignorantia arguit, satis autem esse, quod Alexander ab Alexandro, Cardanus & Andreas Matthioli, in natura indaganda Plinio solertiores, veneni tarantulæ expresse meminerint; 2 nobiles perraro quidem a tarantulis feriri, quia interdum solum rura sua invisant, nec die noctuque in campis seminudi recumbant, ictos nihilominus æque ac alios ad saltandum adigi; 3 vulgum in Apulia æstivo maxime tempore intemperantius omnino per plateas tripudiare, frustra vero stimulum saltandi naturalem cum præternaturali, qui morsui tarantulæ debetur atque cum summa cordis angustia aliisque symptomatibus conjungitur, confundi; 4 ultro concedi, quod sæpius objecta dicta a mulierculis & juvenibus ex levitate animi desiderantur, quod autem nequicquam talia in tristiori animo ictorum exhilarando conferant, pernegari; 5 etiamsi phalangii morsus nec extra Apuliam noceat, nec in Apulia omnes lædat, vel ob majorem cutis soliditatem, vel contrariam sanguinis temperiem, quemadmodum nec omnes a cimicibus solent affligi, cuncta nihilominus tarantulæ vulnuscula in Apulia existere innocua, nondum evinci; 6 denique virulentiam ictus phalangii ejusque per musicam medelam tam stabili & constanti exemplorum observatione haberi confirmatam, ut fides ejus inconcussa maneat, licet de simili musicæ in alia venena aliosque morbos efficacia haud constet, neque rationes, quibus tam ipsius medicina, quam recursus annuus, mox declarabitur, exacte omnibus satisfaciant. A musica siquidem, spiritum sive animam vitalem, immediatum omnis motus in corpore humano motorem, afficiente variaque animi pathemata in statu, & naturali, & præternaturali commovente, tarantatos etiam invitos eo promptius ad saltandum impelli, quo vehementiori jam motu internæ corporis partes a veneno agitentur & quo sensibili-

C. 5.

6.

C. 8.

us levamen internarum angustiarum ægri ex choreis percipi-
ant, utpote sensim veneni vim infringentibus, partim halitus
virulentos cum sudoribus per poros cutis ampliores eliminan-
do, partim & potissimum animum modulatione exhilaratum
ad naturalem harmoniam revocando. Symptomata vero per
musicam sedata pro diversa sanguinis crasi ad tres, quatuor,
decem vel plures annos eodem tempore, quo morsus tarantu-
læ primum inflictus fuit, recurrere, quia summo ita videatur
Creatori, venenique reliquiæ in sanguine superstitēs, nova hu-
jus effervescentia, ab aeris ambientis calore inducta, novas ac-
quirant exserantque vires. Ex quinque tandem exemplis
eorum, quos veneno tarantulæ affectos Autor ipse annotavit,
intermedium adduxisse sufficiat, puerulum concernens, qui a
matre spicas per agros collectura in stramenta depositus ictum
phalangii sustinuerat pauloque post ad mortem exinde ægrota-
verat. Cum vera causa lateret matrem, nec quicquam phar-
maca adhibita valerent, accidit casu, ut citharædus citharam
pulsans illac pertransiret, cujus sono ad pueruli aures delato,
statim hic ex morbi angore aliquantis per revalescens, pedes fasciis
obvolutos crebrius agitare, manus quatere, ex matris ulnis ex-
silire ac in citharam sese jaculari incepit, uno verbo, eandem
anxietatem in vultu & oculis præ se ferre, quam alii tarantula
perculsi ostendunt. Causa proin morbi cognita, biduana sal-
tatione penitus convaluit, cum Autore omnibus, qui ad tam
novum spectaculum accurrerant, stupentibus.

DESCRIPTION ANATOMIQUE DES PARTIES
de la femme, qui servent à la Generation &c.

i. e.

*DESCRIPTIO ANATOMICA PARTIUM MULIE-
brium generationi dicatarum; cum Tractatu de Mon-
stris & Descriptione Anatomica monstri A. 1703. Gandavi
nati cum Figuris æneis per JOHANNEM PALFYN,
Anatomicum & Chirurghum Gan-
davensem.*

Lugduni

Lugduni Batavorum, apud Viduam Seb. Schouten, 1708, in 4to.

Constat Alphab. 3.

Siſtitur hic libellus *Fortunii Liceti de Monſtris*, prout a Gerardo Blaſio anno 1665 eſt recensitus, figurisque illuſtratus, nunc Gallico idiomate ornatus; qui ut eo melius intelligi poſſet, Anatomicam Descriptionem partium muliebrium generationi dicatarum præmittere, hancqve tribus tabulis æneis, quas olim *Johannes Swammerdammius* *Miraculo* ſuo *Naturæ, ſive uteri muliebris Fabricæ*, adjecerat, illuſtrare haud abs re viſum fuit Clariffimo Palfyn. Tertio loco duos deſcribit gemellos, anno 1703 Gandavi editos, in inguinibus connatos, quorum capita e diametro oppoſita, pedes vero loco connexionis utrinque a latere locati fuerunt. Cujus monſtri diſſectio cum Auctori clariffimo a magiſtratu fuerit commiſſa, quæ interanea luſtrans obſervavit, fideliter hic communicat. Duo ſcilicet hi gemelli obtinuerunt pudenda muliebria e lateribus inter utrorumque pedes ſita, quorum tamen unum perfectius fuit altero, unicum anum. Alter duobus renibus naturaliter conſtitutis, totidemque ureteribus, alter unico rene, ſed majore, unoque uretere fuit præditus. Præter vaginam uterinam communem utrique ſingulis propria, duoque uteri contigerunt. Eodem anno eademque in urbe alii nati ſunt gemelli, ſed diviſi, quorum alteruter per 3 dies nec urinam nec fæces alvinas depoſuerat; anus enim, urethra & vagina uterina erat imperforata; ſiquidem nymphæ alias ſat magnæ coaluerant, relicto ſolummodo ſub clitoride exili foramine, per quod tantillum meconii prodierat. Mortui ſeptimo die infantis cadavere ſecto magna quædam moles in abdomine fuit reperta, quæ vaginam uterinam imperfectam & duobus uteris ex latere poſitis communem formabat, & quoniam inteſtinum rectum in eam deſinebat, fæcibus vel meconio erat repleta. Tandem addit Auctor clariffimus tractatum de Circulatione ſanguinis in foetu, in quo Modernorum tuetur ſententiam contra Dominum Merri, qui ſanguinem per venæ cavæ truncum aſcendentem reſluum ex foramine ovali in dextram cordis auriculam infundi exiſtimabat.

TAB. VII.
Fig. 1, 2.

Fig. 3, 4.

Explicatio

Explicatio Figurarum :

TAB.VII.

Fig. 1.

Figura 1 repræsentat formam exterio-rem uterorum cum vaginis ex corpore exemptorum, ut & duo intestina recta ad inferiora reclinata. A.A. Duo uteri infantis latus dextrum occupantis. B.B. Horum duo ligamenta rotunda. C.C. Duæ tubæ Fallopiæ. D.D. Duo ovaria. E. Vagina. F.F. Duo uteri infantis sinistrum latus occupantis. G.G. Horum duo ligamenta rotunda. H.H. Duæ tubæ Fallopiæ. I.I. Duo ovaria. K. Vagina. L. Vagina communis. M. Orificium ejus. N. Urethra e vagina communi ad pudenda minus perfecta abiens: O. Pars inferior vesicæ urinariæ cum superiore vaginæ communis parte unitæ, P.P.P. Orificia trium ureterum in parte inferiore vesicæ. Q. Orificium urethræ in parte superiore vaginæ communis. R.R. Duo intestina recta versus inferiora extra situm naturalem retracta. S. Anus ambobus infantibus communis.

Fig. 2.

Figura 2 sistit duas vaginas apertas, ut earum & uterorum structura interna conspici possit. A.A. Duo uteri infantis dextrum latus occupantis. B.B. Eorum orificia. C.C. Ovaria bina. d.d. Duæ tubæ Fallopiæ. e.e. Duo ligamenta rotunda. R. Vagina aperta. D.D. Duo uteri infantis sinistrum latus occupantis. E.E. Eorum orificia. f.f. Duo ovaria. g.g. Duæ tubæ Fallopiæ. h.h. Duo ligamenta rotunda. F. Vagina aperta per membranam in duas partes juxta longitudinem divisa. G. Vagina superior angustior. H. Vagina inferior amplior. I. Vagina communis aperta, a qua vesicæ urinariæ portio est abscissa. L. Orificium rotundum, duabus instructum valvulis, per quod vagina H. communicat cum vagina I. N. Orificium rotundum, per quod vagina R. communicat cum vagina I. O. Urethra e vagina communi ad pudenda minus perfecta abiens. P.P. Duo intestina recta versus inferiora extra situm naturalem retracta. Q. Anus ambobus infantibus communis.

Fig. 3.

Figura 3 exhibet formam magnæ illius molis in abdomine repertæ, una cum urethra, pudendis, & intestino recto meconio repletis. A.A. Magna moles p.n. B. Umbilicus,

licus, ad latus reclinatus. C. Vena umbilicalis abscissa. D.D. Duæ arteriæ umbilicales. E. Urachus. F. Forma vesicæ cum vagina uterina imperfecta continuæ. G. Urethra. I.I. Duo uteri. K. Crepatura uteri sinistri a fæcum congestione facta. L. L. Duo ligamenta rotunda. M.M. Duæ tubæ Fallopiianæ. N.N. Duo ovaria. O. Intestinum rectum a fæcibus distensum. P.P. Duo labia magna pudendi. Q. Q. Duæ nymphæ separatæ, quæ erant unitæ. R. Orificium urethræ.

TAB. VII

Fig. 4.

Figura 4 in conspectum sistit eandem molem apertam. A.A. Superficies interna partis posterioris magnæ molis, quæ maximam vaginæ imperfectæ portionem constituit. B. B. Partes inferiores partis anterioris hujus molis per crucem dissectæ, quæ, ubi conjunctæ erant, partem vesicæ constituebant; superiores partes sunt abscissæ, ut uteri eo melius conspici queant. C. Urethra. D.D. Duæ arteriæ umbilicales abscissæ & ad latera reclinatæ. E.E. Duo uteri. F.F. Eorum orificia. † Valvula magna rotunda orificio sinistro apposita. G. Crepatura uteri sinistri. H.H. Duo ligamenta rotunda. I.I. Duæ tubæ Fallopiianæ. K. K. Duo ovaria. L. Intestinum rectum apertum. M. Anus, per quem intestinum rectum fæces deposuit ad partem superiorem vaginæ imperfectæ inter utrosque uteros. N.N. Duo magna labia pudendi. O.O. Duæ nymphæ separatæ. P. Orificium urethræ.

Fig. 5.

De Monstris quoniam quædam commemorandi occasio suppetit, non possumus non, quæ superiori anno in nostra vicinia contigerunt, cum Lectore curioso hic communicare. Scilicet Anna Maria Groschuppin, 21 annorum, celebrato 2 die Januarii 1707 cum viro quodam concubitu, eoque octo septimanis post repetito, peperit die 18 Octobris monstrum, quod adjecta Figura 5 monstrat. Causam ejus rejecit in fœtum imperfectum ferinæ cujusdam, eandem figuram atque magnitudinem referentis, quem aliquoties, nec sine horrore quarta post primum coitum septimana aspexerat. Quod autem dentibus instructum fuerit hoc monstrum, exinde oriri putavit, quod martem quandam, qua fœminæ collum a frigore munire solent, dentibus ornatam frequentius fuerit contemplata.

Ggg

TRA-

TRATTATO DI LITOTOMIA &c.

I. C.

*TRACTATUS DE LITHOTOMIA SIVE CALCULI
Extractione; Autore THOMA ALGHISI, Academi-
co Florentino, atque Chirurgia Magistro, & Lectore
in Nosocomio S. Mariae novæ.*

Florentiæ, apud Josephum Manni, 1707, in 4. chart. august.
Constat plagul. 17 Figur. Tabul. æn. 16.

Equidem Chirurgoſ inter, qui Lithotomiam hodie feliciter
Exercent, maxime Gallos eminere, a nobis *Toleti* de ea-
dem tractatum in *Actis A. 1684 p. 243* recensentibus non solum fu-
it indigitatum, sed & comprobatum uberius, cum *Dn. Mery* &
judicium in Fratriſ Jacobi calculos vesicæ secandi methodum,
& novum lithotomiam administrandi modum, *A. 1700 mense
Octobri* exhiberemus. Nec inter Italos tamen nunc deesse,
qui eam e vesica calculos extrahendi rationem promovere stu-
deant, quam apparatus majoris alias dicunt, quamque ex Italis
Marianus Sanctus, Barolitanus, a præceptore suo *Johanne de Ro-
manis* haustam olim descripsit primus, præsens de tali Chirur-
gia tractatus abunde testatur, utpote omne, quod ad sufficien-
tem ejus theoriam atque circumspectam praxin requiritur, tum
viginti duobus capitibus luculenter designans, tum multis Figu-
ris majoribus, iisque nitidis, egregie illustrans. In quo nihil-
ominus in præſenti excerpto Autoris Observationibus de cal-
culorum in vesica genesi, differentia, ac felici subinde in senibus
etiam & gravidis sectione, magis nobis liceat inhærere, quam
iis, quæ in singulis capitibus contineantur. In vesica nempe
calculum vix immediate, sed ita formati, ut vel parvus calcu-
lus a renibus, vel aliud concretum extraneum, ad illam prius
delatum ibique subsistens, ab urina successive diversa incrusta-
tionum lapidearum strata recipiat, notabilibus pueſtæ alicujus
& monialis confirmatur exemplis, ceu quarum illa exiguum
fusum eburneum, hæc vero candelam parvam ceream, per u-
rethram incautius in vesicam eo effectum immiserit, ut prior ex
calculo

p. II.

calculo insigni, circa mediam fusi partem concreto, Florentiæ in Xenodochio S. Mariæ novæ perire, posterior autem a crusta calculosa, superficiem candelæ instar exiguarum crystallorum cingente, Autoris manu perita liberari, demum habuerit necesse. Inter varios autem calculos, ab Autore sub lingua monialis cujusdam vivæ, vel in hepate, liene, mesenterio, omento, umbilico, intestinorum tunicis, pulmonibus & cerebello cadaverum incisorum repertos, ille, quem aliquando in folliculo biliario alicujus Marchionis deprehendit, eo curiosior habetur, quo exactius aliquam conchylii marini fossilis speciem repræsentat; quemadmodum inter monstrosos viarum urinariarum calculos descriptos depictosque quinque potissimum digni nobis fuerunt visi, quos ex Autoris *Tab. 3 Fig. 5, 8 & 6* atque *Tab. 4 Fig. & 2* in *Tab. 7 Fig. 6, 7, 8, 9 & 10* hic exprimeremus. Primum horum, fruticem quasi corallii æmulantem, ex viro sexagenario, cui Dominici Faltera nomen, Noster exsecuit; alterum vesica cujusdam Magnatis, post obitum dissecti, præbuit tanto magis admirandum, quod ipsi vivo, alias arthritico, ne minimas creaverit molestias; tertio ureterem dextrum Illustris Maddalena Carnesecchi Galli, ex Ischuria denati, Experientiss. D. D. Neri totum observavit infartum, cum alius calculus magnus officium ureteris pariter sinistri obturaret; quartum & quintum lapidem in renibus quondam defuncti Pontificis *Innocentii XI*, doloribus nephriticis mictuque cruento sæpe vexati, Excellentiss. *Lancisus* annotavit, utrumque non solum magnitudine ac figura, sed & canaliculis insculptis stupendum, transitum urinæ a superstate corticali substantia glandulosa ad pelvim & ureteres concedentibus, a *Lanzono* autem in figuris eorum penitus neglectis, quas *Miscellaneorum Academia Naturæ Curiosorum Dec. 2, A. 8, O. 199* curavit inserendas. Sed cum in *Actis nostris Anni presentis mense Aprili p. 191* mentionem pariter fecerimus monstrosi calculi, in B. D. *Seligmanni* rene dextro detecti atque cum renis sinistri quatuor minoribus a Clarissimo nostro *Crellio* carmine prolixo descripti, occasionem nunc arripimus, anticam & posticam ejus faciem in *Fig. 11 & 12* una repræsentandi. Ex Autore denique non aliud innuendum no-

p. 16.

26.

32.

p. 91. bis superest, quam quod ab illo, nunc Sacerdos septuagesimum ætatis annum transgressus, lapide insigni cum successu liberatus fuerit ac quadraginta dierum intervallo perfecte restitutus; nunc foemina Pisana, graviditatis suæ nescia, duos ingentes vesicæ calculos Florentiæ sibi diffingi evelli que sustinuerit, quæ ad sanitatem quidem perducta duobus circiter mensibus post Pisam navicula repetierit, verum exinde male sese habens brevi puerulum quadrimestrem immaturo partu exclusit.

Explicatio Figurarum.

TAB. VII.

Fig. 6.

7.

8.

9.

10.

11, 12.

Fig. 6 calculum sistit, in Nosocomio S. Matthæi Florentiæ e Dominici Faltera vesica ab Autore extractum. Fig. 7 calculum monstrat, in Magnatis alicujus vesica extra Hetruriam re-
 pertum. Fig. 8 lapidem exprimit, in Illustris Do. Maddale-
 na Carnesecchi, Gall, uretere altero deprehensum. Fig. 9 calcu-
 lum repræsentat, in Pontificis quondam *Innocentii XI* rene dex-
 tro inventum, A A A A. substantiam renis glandulosam, B B.
 Canaliculos excretorios, C C C. Calculi figuram, & magnitu-
 dinem naturalem, qua sex unciarum pondus adæquavit, D D D.
 Hydatides, in diversis renis partibus spectatas, E E E. Canali-
 culos lapidi ipsi pro urina ad pelvim deferenda insculptos,
 F F. Pelvim, G. Ureterem, H. Arteriam emulgentem, I. venam
 emulgentem denotant. Fig. 10 Calculum exhibet renis sinistri
 ejusdem Pontificis, ita ut A A A A substantia renis glandulosa,
 B B B Figura calculi & magnitudo naturalis, uncias novem pon-
 dere æquans, C C Canaliculi excretorii, D Pelvis, E E E Hy-
 datides per renem dispersæ, F Ureter, G Arteria emulgens,
 H Vena emulgens, I I I Canaliculi calculo impressi, designentur.
 Fig. 11 faciem anticam, & Fig. 12 posticam calculi monstrosi osten-
 dit, qui, uncias tres cum tribus drachmis fere superans, B. D.
Seligmanni renem dextrum tali ratione occupasse fuit annota-
 tus, ut extremitates protuberantes dorsum renis spectaverint
 atque interstitiis caruncularum papillarum firmiter infixæ hæ-
 serint, & pars acutior in superiore, crassior in inferiore renis
 parte locum habuerit.

PHÆNOMENON CORONARUM SOLARIUM

*d. XXVI Maji in cælo observatarum, populari ratione
in Academia Julia Curiosis explicatum a*

J. A. S. D.

Helmstadii, literis Hammianis, 1708, in 4.

Constat plag. 4.

Vir summe Reverendus, Iohannes Andreas Schmidius, Ab-
bas Mariæ vallis & in Academia Julia SS. Theologiæ
Professor celeberrimus, de Ecclesia Christi & Republica littera-
ria longe meritissimus, sacris licet negotiis districtus, naturæ
tamen opera contemplari non intermittit. Phænomeni igitur mi-
nime quotidiani nuperrime observati descriptionem nobis de-
dit rerumque naturalium studiosis causas ejus ad captum eorum
exhibuit. Ista sequentibus verbis continetur. Vigésimo sex-
to, inquit, Maji die Saturni, summum mane quidem erat formo-
sissimum, sed nesciebamus, quid serus vesper vehat, immo quid
proxima meridies nobis ostendere velit. Sol circa horam de-
cimam 52 grad. supra Horizontem jam elevabatur, & subito om-
nium oculos animosque in jucundissimo, quod ipse exhibuit,
spectaculo suspensos tenebat. Corpus solare ambiebat corona
a. b. c. b. cujus diameter erat 34 gr., versus zenith albicans, ver-
sus Horizontem vero varios colores instar iridis exhibens. De-
in major circulus *a. c. d. e. f.* albicans horizonti parallelus, ma-
gnitudine quoad diametrum 76 grad. utrinque coronam seca-
bat. In majori hoc circulo semicirculus *g. h. i.* vel eo major
apparebat albicans, sed debilior; & ad latus illius occidenta-
le arcus quoque albicans *K. I.* sed lucidior, uterque tamen sa-
tis erat inconstans, nunc evanescens, nunc rediens. Evanue-
re sensim atque sensim tum major circulus, tum arcus illi,
postquam quædam circuli minoris partes ultra undecimam du-
raverant. Nullus quidem ad nudum visum apparebat pareli-
us sive pseudosol, qui plerumque his phænomenis conjungi
solet, nihilominus magnificus Juliæ nostræ Prorektor Dn. D.
Wideburgius, Collega meus hoc in studio quoque conjunctis-
simus, subinde ad veteres delicias recurrens, instrumento Schei-

TAB. VII.

Fig. 13.

neriano etiam post circulum majorem dissipatum in vicinia centri illius observavit corpus lucidum Sole triplo minus apparens. Quæ vero alii narrarunt de pareliis, alio forte sub cælo alioque tempore visis, ad nostrum phænomenon non videntur spectare. Cœlum aereum circa illud tempus diversis in locis erat sudum, & ob vaporum copiam nonnihil albescens, quemadmodum prioribus diebus varius aeris erat status, nunc frigidior, nunc ventosus, cui interdum tonitrua & fulgura miscbantur.

Prop. 1.

2.

3.

4.

5.

6.

Huic descriptioni subjungit brevem pareliorum a diversis Autoribus observatorum historiam, & phænomenon modo descriptum per 6 Propositiones explicat. Contendit nimirum phænomenon hoc extitisse in aere nostro, quoniam is, non aura cœlestis materiam ipsi congruam exhibet: materiam fuisse partim rariores, partim crassiores guttulas nubis torantis, non penitus exclusis particulis glacialibus, quod arguat aeris isto tempore status: causam efficientem fuisse Solem radios suos circum circa spargentem in aeris nostri varias superficies, cum aliud corpus stellare lucidum supra Horizontem illo tempore non visum fuerit; tum circulum minorem, tum majorem, nec non portiones circulares ex radiorum solarium in guttulas illapsu & eorum ex iisdem ad oculos relapsu, sub æqualibus fere angulis deduci debere: colores albicantes in circulis & arcibus, nec non cœruleum, flavum & rubrum ex reflexione radiorum solarium ortum habuisse: denique finem fuisse mutationem aeris proxime instantem indicare, cum proxima statim nocte venti ac pluviae fuerint subsequuti. Eleganter vero hujus phænomeni genesin per duo experimenta declarat. Sumatur, inquit, lens convexa tubi optici eaque obvertatur radiis solaribus, qui bis refracti in arcum curvabuntur, & halonem sive coronam exhibebunt. Monet loco lentis adhiberi quoque posse pilam vitream, aqua tamen non repletam. Alterum experimentum ita describit: assume recipientem, qualem in operationibus Chymicis adhibere solemus, atque ei de nocte vel in loco quodam obscuro cereum accensum in distantia debita oppone, cereo autem admove chartam crassam, cui insit foramen stilo perforatum

perforatum, & magna cum voluptate videbis duo lucida puncta halonibus circumdata. Idem phenomenon eodem temporis articulo Halæ Saxonum oculos omnium in se convertisse, ex litteris Cl. Wolfii novimus.

DECLARATIO DUBII GEOMETRICI CIRCA TETRAGONISMUM CIRCULI ALMÆ GEOMETRIÆ CULTORIBUS A FERDINANDO ERNESTO, Comite ab HERBERSTEIN, propositi.

Solutio, qua acutissimus Wolfius, Mathematicum in celeberrima Universitate Halensi Professor publicus, dubium Geometricum a me propositum in Actis mensis Junii anni currentis illustrare dignatus est, eo me adigit, ut reducto tandem velo difficultatem sub hoc ipso dubio latentem non alio equidem fine in apricum deducam, quam ut, dum inter alias occupationes ea, quæ circa hoc argumentum forte non omnino infeliciter meditatatus sum, Geometrarum censuræ subijcere paro, acutissimus eorundem sensus mihi innotescat. Si quis proinde aut ipsius Problematis solutionem, aut ingeniosam quampiam adversionem circa illud transmiserit, illius in *Morpheo* meo *Geometrico* nomen & gloriam me publicaturum promitto. Ut porro de proposito meo luculentius constet, agnosco equidem, multas easque præclaras Ellipseos proprietates ab Antecessoribus nostris detectas esse; at insimul fatendum iudico, eosdem immensum hoc mare neutiquam exhaustisse. Admiratione prorsus digna sunt, quæ Gregorius a S. Vincentio, sæculi sui Archimedes & Belgii nostri gloria, demonstravit; at si præjactis fundamentis pressius inhærendo Corollaria quæpiam annotare libuisset, forsitan relicta salebrosa, quam ingressus est, semita, planiorem elegisset, nisi summo huic Viro placuisse arbitremur, latentes vel in his scopulis veritates Orbi literario reddere manifestas. Ajo itaque sub insigni quæpiam Ellipseos proprietate methodum delitescere lunulæ *AGBEA* æquale Rectilineum exhibendi, eandemque illico quadrarii posse, ubi resolutum fuerit

Problema:

Problema :

Lunulam datæ æqualem & alteri datæ similem exhibere.

THOMÆ CRENI DE FURIBUS LIBRARIIS

Dissertatio I.

Lugduni Batav. 1705, 8.

Dissertatio II.

Lugd. Batav. 1708, 8.

Constant 13 plag.

Et si Dissertatio prior jam ante aliquot annos excusa prodierit, ob argumenti tamen, quod tractat, dignitatem aliasque curiosas adnotationes non est, quod prætereamus illam, maxime cum altera novissime Dissertatio accesserit, in qua idem argumentum doctissimus Auctor persequitur, & quæ forte in priori deesse videbantur, hinc inde supplet, ac novis etiam observationibus liberaliter exornat. Hoc unicum desiderare quis posset in priorè Dissertatione, eam tam vitiose Francofurti (neque enim, ut titulus præ se fert, Lugd. Bat. prodiit) exscriptam esse, ut ipse Auctor in epistola ad Carol. Arndium Rostochiensem perscripta ob grandes ac multos typographorum errores vix suam agnoscat. Recenset autem fures literarios, qui alienis plumis exornati in publicum prodierunt, ubi ad invidiæ famam declinandam illos tantum recenset, quos ab aliis in hunc ordinem relatos deprehendit. Horum itaque CXX numero sistit, atque justo literarum ordine exponit. Paucissima delibamus.

p. 24. Lambertus Alardus Guilielmiades notas suas in Valerii Flacci Argonautica ex variis auctoribus congeisse dicitur, nulla eorum facta mentione. De Baronio multa ac diversa virorum doctissimorum judicia collegit Auctor, quæ ostendunt, ipsum plurima ex Magdeburgensibus exscripsisse: præterea litterarum Græcarum ignarum, & Chronologicæ ac Geographicæ scientiæ rudem fuisse. De auctore Vindiciarum contra Tyrannos, sive de Principis in populum populique in Principem legitima potestate, verbosius agit Crenius, quas alii Theodoro Beza, aut Philippo Moræo, alii vero rectius Huberto Langueto adscribunt. Verus etiam

26.

35.

etiam auctor librorum de Republica Lacedæmoniorum de-
 tegitur, qui est Nicolaus Cragius, Ripensis Danus, unde
 notatur Keckermannus, qui libros illos clarissimo Jcto Cu-
 jacio vindicavit. Joannes Drusus, doctissimus in Codicem Sa-
 cram commentator, plagii insimulatur, quod multa eum Mercero
 debere ajunt, qui nunquam ab ipso allegetur. Sed habet e-
 tiam Drusus, quod conqueratur, cum Nicol. Fullerus, Anglus,
 multa in Observationes suas sacras transtulerit, nulla unquam
 facta Drusii mentione, nisi ubi ab ipso dissentit. Claverium in
 Commentario suo ad Persium nihil aliud agere dicunt, quam ut
 veterem interpretem totus transcribat: ubi in Crenii gratiam,
 qui hæc ignorare se confitetur, illud addimus, esse istum Ste-
 phanum Claverium, ipsiusque in Persium notas Parisiis 1607
 in octava forma prodiisse. Hugo Grotius in libris de Jure belli
 ac pacis e Wilhelmi Schickardi Mischpat ea, quæ de Judæo-
 rum doctrina afferuntur, deprompsit. Cornelium a Lapide
 sive Stein, quæ familia prope Ulmam consedit, exscriptorem
 Hieronymi Pradi appellant. Carolus Patinus, cum suam ad
 Rem Numismaticam Introductionem conscriberet, multa ex Sa-
 voto desumpsisse dicitur. Cornelius Tollius, qui Vossii quon-
 dam amanuensis fuit, hac occasione multa abstulit ac descrip-
 sit, quæ Vossio haud dubie debentur. Quæ subsequuntur de
 Jacobo Philippo Tomafino, hujusque plagio, notiora sunt,
 quam ut hic referantur. Ex addendis Crenii illud observa-
 mus, Matthæum von der Lage Barthii Adversaria olim surri-
 pisse, sed publice ea restituere coactum. Pergit deinde in
 altera Dissertatione Auctor sæpe nobis laudatus, centum
 & quod excurrit plagiariorum eodem literarum ordine recensens.
 Inter veteres producitur Acusilaus, qui Hesiodi carmina in so-
 lutam convertit orationem, ac pro suo foetu aliis obtrusit: A-
 pollonius Rhodius e Cleonis Curiensis ἀργοναυτικῆς omnia
 in opus suum transtulisse existimatur: & Modestus, cujus de
 Vocabulis Rei Militaris libellus prostat, plurima videtur transf-
 scripsisse ex Flavii Vegetii laboribus. Recentiorum vero pla-
 giariorum numerum longe majorem Crenius adducit. In ipsi-
 us vero Dissertationis fronte ait, Casp. Hoffmannum, Medicum

P. 47.

53.

55.

61.

70.

87.

109.

110.

8.

13.

40.

7.

non incelebrem vehementer metuisse sibi, ne Galenus tot observationibus a se illustratus in manus rapaces post fata sua perveniret. Sed quod in transcurso addendum censuimus, salvum illud opus est atque incolume, etiam post Viri Clar. excessum: quippe illud inter cimelia sua conservat humanitate ac doctrina præstans Godofredus Thomafius, Medicus apud Noribergenses celeberrimus, qui non Difficilem, ut novissime audivimus, se præbebit in excudendo elegantissimo opere, modo typographus votis respondeat. Nam opus illud ingens est atque diffusum, ac XXVI voluminibus continetur, sed propter textus emendationem variasque ac egregias observationes dignissimum est, quod publicis literis exscribatur. Qua pariter occasione notamus, eundem laudatissimum Virum doctissimas parentis sui Jacobi de plagio literario dissertationes, notis suis iisque rarioribus egregie auctas atque illustratas, prelo paratas habere. Sed e diverticulo in viam. De Anglica Regia Societate ex Morhofii Polyhistore Philosophico inedito adfert locum Crenius, ubi adseritur, Henricum Stubbium librum edidisse, in quo ostendere conatus fuerit, plurima Societatis illius inventa jam veteribus fuisse nota: qui locus dignus certe est, qui conferatur cum Polyhistoris jam editi Philosophici parte p. 29 & 141, quoniam Crenius omnia ordinatius disposuit. Hugo Grotius Junii Bruti vitulo aravit, ubi quæstionem habet: an justa sit belli causa pro subditis alienis, ut ab eis arceatur imperantis injuria? Athanasius Kircherus multa ex Joannis Stephani Rittangelii notis in librum Iezirah transumpsit, nullo auctoris indicio facto. Severinum de Monzambano, qui est Samuel Pufendorfius, e Conringiano juris publici libello multa delibasse ajunt. Reinerus Reineccius in methodo historiarum multum opera Peuceri, qui in tabula præfixa recentioribus editionibus Philippi, plane eadem serie politias totius orbis disponit, adjutus est. Jul. Cæs. Scaligerum Operis Poetici materiam volunt ex Italia trans Alpes tulisse, Cælio Rhodigino debitam. Robertus Stephanus in notis Biblicis Paulum Fagium, vernacule Buchlein, doctum Hebræum, sequitur. His subinde varia ac curiosa pro more suo adspersit Crenius. Pag. 67 ex Hadriani Junii epistolis adfert unam, quæ de Suida a se edendo ac emendando agit,

p.ii.

22.

38.

42.

58.

61.

64.

do agit, dignaque est propter contentas in ea observationes, quæ cum splendido Cl. Kufferi Suida conferatur. Denique sub finem a se expectari jubet Crenius de veteribus Scholiastis opus, quod diu desideratum summopere efflagitamus. Quamvis enim & Celeberrimus Wittebergensium Polyhistor, Conr. Samuel Schurzfleischius, similem Scholiastarum historiam molitus sit, is tamen, nondum perfecto opere, nuper decessit, de cujus vita proximo Mense dicemus uberius.

LETTRES CHOISIES DE MESSIEURS DE
l'Academie Françoise &c.

h. e.

*EPISTOLÆ SELECTÆ ACADEMIÆ GALLICÆ
adscriptorum cum versione Fabularum GABRIELIS
FAERNI, cura PERRALTI.*

Parisiis, apud J. B. Coignard, 1708, in 12.

Constat 22 plag.

Quantopere intra septuaginta fere annorum spatium celeberrima per universum terrarum Orbem Academia Gallica vernaculam suam perpoliverit, inter omnes rei litterariæ non plane ignaros constat. Insignia cum primis culturæ istius specimina offendere licet in scriptis sub tit. *Discours, Harangues, & autres Pieces d'Eloquence de Messieurs de l'Academie Françoise* publicatis. Nova hujus elegantiae specimina exhibent, quas recensum imus, selectæ, a Viris Regiæ hujus Academiae doctissimis nec non aliis nonnullis Galliæ Scriptoribus illustribus de variis argumentis conscriptæ, & ad personas illustres directæ Epistolæ, quarum editionem debemus clarissimo *Perralto*, Academiae Socio gravissimo. In Præfatione harum Epistolarum agit Editor de necessitate bene scribendi epistolas, ubi frequentiores ait nobis suppeditari occasiones loquendi quam scribendi, indeque homines reddi idoneos cogitata sua promptius ore quam calamo exprimendi, imo e centenis eleganter loquentibus vix decem apte scriptis res suas configere. Majorem vero in scribendo, quam loquendo adhibendam esse diligentiam monet, quod oculi longe sint fideliores auribus, quippe in chartam conjecta censuræ nostræ exposita maneat, ore autem prolata meditationibus nostris se subtrahant, unde & O-

ratores celeberrimos orationes a se habitas, vel elegantissimas, ægre scriptas cum aliis communicare soleant, cum multum gratiæ iis in scripto decedat, quod exemplo Demosthenis probat. Quod si vero imprimis Epistolæ componendæ sint, eas maxime perspicuas cupit, ne interprete habeant opus. Ipsæ Epistolæ tribus absolvuntur tomis, & sunt varii argumenti, familiares nempe, eucharisticæ, gratulatoriæ, consolatoriæ, exhortatoriæ, morales, doctrinales & aliæ. In hisce plurima interspersa videas lectu sane jucundissima. Pag. 117 & seqq. commendatur quam maxime lectio historiarum ob amœnitatem pariter atque utilitatem, vocaturque historia Principum consiliator. Ex Historicis vero antiquis præfertur *Plutarchus* reliquis omnibus, de quo dixerit non nemo : *si cogeretur libros omnes antiquos in mare projicere, se submersurum esse Plutarchum omnium ultimum.* P. 173 laudatur celeberrimus ille Galliæ Mareschallus *Turennius*, quod Regi & Patriæ addictissimus fuerit, magnaque in rebus adversis constantia, in prosperis modestia, in difficilibus prudentia, in periculis fortitudine, & singulari præterea pietate. P. 248 *Ximinius* laudatur Cardinalis, qui, cum adamas ipsi monstraretur, quinquies mille ducatis veniens, *banc ego pecuniam, inquit, totidem potius militibus, qui manibus suis patriam tuentur, concederem.* P. 249 & seqq. Abbatis *Deslandes* triginta octo regulæ in dignitate constitutis observandæ exhibentur. Nec lectu indigna sunt, quæ *Bellegardius* de eo, quod Galli *le Gout* vocant, a p. 299 ad 334 eleganter differit, tum quæ de historia antiqua & historicis idem p. 340 sq. in medium profert. P. 364 seq. refertur de Principe *Condæo*, quod cum ferocientis equi assultu crus ei comminutum esset, eoque proximi, ut ad curandum vulnus extra aciem se reciperet, admonerent, intrepidus responderit : *absit ; non ad pugnandum cruribus, sed brachiis nobis opus est.* Epistolis his subjunxit Cl. Editor *Gabrielis Faëri*, quem ob elegantiam styli alterum *Phædrum* vocant, *Fabulas*, e lingua Latina in Gallicam pulcre a se versas, & quinque Libris comprehensas, de quibus esto penes Lectores iudicium.

HADRIANI JUNII, HORNANI, MEDICI, ANIMADVERSA, ejusdemque de Coma Commentarius, ab auctore innumeris

innumeris in locis emendata, & insignibus supplementis locupletata. Accedit Appendix HADRIANI JUNII ad Animadversa sua, nunc primum ex Clariss. Viri autographo in lucem edita ex bibliotheca CORN.

VAN ARCKEL.

Roterodami, apud Jo. Hoffhout, 1708, 8.

Const. Alph. 1 plag. 20.

Emanibus eruditorum excussa jam pene erant recondita literatura referta *Hadriani Junii Animadversa*; & ecce publico bono factum est, ut in *Cornelii ab Arckel* manus devenirent auctiora. A doctissimo enim Viro, Cornelio ab Alkemade, Batavarum antiquitatum investigatore diligentissimo, dono acceperat Basileensem editionem anni 1556 una cum elegantissimo ejusdem Auctoris Commentario de Coma, cui ipse Junius, inserta in hunc finem charta pura, multa adscripserat, aliqua tamen & refecuit, multa in diversis locis mutavit, plurima emendavit; unde liceat conjicere in lucem ea ipsum editurum iterum fuisse Junium. Præter hæc nova in hac editione Appendix observationum comparet, quam ipse Junius propria manu scriptam preloque paratam post se reliquerat, quæque barbaris Hispanis, ut vocat Arckelius, expugnata Harlema, ubi tunc Junius degebat, cum aliis egregiis scriptis Junianis & bibliotheca instructissima in prædam cesserat, tandem in bibliothecam Viri reverendi D. Flud van Giffen, ad ecclesiam Dordracenam Dei præconis, delata, ex qua publica auctione divendita sibi hunc thesaurum redemit Arckelius. Hunc itaque publici juris fecit eo ordine, ut, additionibus ipsi codici adscriptis suis locis insertis, appendicem integram in fine collocaverit. Quod ad Commentarium de Coma attinet, composuerat eum olim Junius, ut se tueretur a censura civium suorum, quos male habebat, quod ipse ex Italia redux raso vertice comam adscivisset, quod a viro gravi alienum ferebant Belgæ; quo ansam deinde aliis præbuit, ut idem argumentum pluribus excuterent. Nec huic labori illustrando defuit Junius, quippe adnotatis variis commentarium auxit, quæ nunc cura Arckelii, ut reli-

qua, primum prodeunt. Denique accuratum hic Indicem rerum & auctorum, qui allegantur, emendantur & refelluntur, addidit, quod non minimum gratiæ operi conciliare potest.

VOYAGE ET AVANTURES DE FRANÇOIS LEGUAT.

h. e.

FRANCISCI LEGUATI ITER, ET CASUS VARI, quos in incultis duabus Indiæ Orientalis Insulis maxime expertus est.

Tomi duo.

Londini, apud Davidem Mortier, 1708, 8.

Plagul. 16 Fig. Tab. æn. 20.

FRANCISCUS iste Leguatus, qui ob purioris fidei studium e patria sua Gallia cum innumeris aliis ejusdem sectatoribus excedere necesse habuit, nomen ei dederat coloniæ, quæ e Foederato Belgio in quandam Orientalis Indiæ Insulam, *Mascarenas* seu *Mascaregne* dictam, mittebatur atque Amstelodamo solvens A. 1690 cum sociis ipsam quidem illam Insulam, propter imposturas & nequitiam navarchi singularem, non tetigit, sed per biennium tamen integrum in alia quadam, quæ Insula de Diego Rodrigo nuncupatur, & a Lusitanis, Joanne IV imperante, detecta fuit, commoratus est. Quamvis ergo oculis suis Insulam illam non usurpaverit, ejus tamen descriptionem, quam Dominus du Quesne eo proficiscentibus dederat, inferre non omisit, ex qua patet, sitam eam inter 21 & 22 latitudinis meridionalis gradum, fuisse a Lusitanis Mascarennas primo, deinde a Gallis sub moderno Rege illuc delatis Borboniam Insulam, ab aliis deinde Eden dictam, sive terram deliciarum, commendandam vel maxime ob aeris temperiem, & odorum, quos flores innumeri suavissimos progignunt, fragrantiam, tum & aquarum saluberrimarum copiam, & quod nullum plane venenatum animal ibi conspiciatur. Rodericianam autem Insulam ipse *αὐτῶπτης* Leguatus, & aliquandiu ejus etiam incola, paulo curatius describit, figurasque sistit non paucas tum animalium, tum plantarum, arborumque, quæ ibidem succrescunt, palmarum maxime feracem esse memorans, e qua-

e quarum stipitibus succus quidam, quem Vinum palmarum dicunt & in delitiis habent, colligatur. Ita p. II. S. Mauritii Infula & Batavia insuper, dicta jam aliis aliquoties, delineantur, quæque indoles atque mores eorum, qui ad Bonæ Spei Caput incolunt, quosque Hottentoten nuncupant, exponitur. Hi nimirum in casis degunt, quas clibanos, quam domos, males appellare, & non nisi ovinis pellibus teguntur; sic & fœminæ inter ipsos ex intestinis animalium, quibus crura brachiaque vinciunt, ornamenta petunt. Carne vescuntur cruda, piscibusque crudis similiter, cumque adipe cutem ament ungere, male olent plerique omnes. Paris cuncti conditionis unum habent ducem, quem colunt, sed super hunc Deum tamen etiam, summus dux qui ipsis dicitur. Ut nudi caputque laminis æreis ornatum gestantes incedant, ipsæ figuræ docent, quas ære expressas Auctor apponi curavit, qui nec suarum calamitatum malorumque gravissimorum, quæ cum sociis in hoc itinere subiit, meminisse neglexit.

JO. SCHEFFERI, ARGENTORATENSIS, DE ANTIQUORUM TORQUIBUS SYNTAGMA, cum notis JO. NICOLAI, cujus fama in Prefatione contra JO. BRAUNNIUM, Theologum Batavum, defenditur.

Hamburgi, sumtibus Heylio-Liebezeitianis, 1707, 8.

Const. plag. 10.

Nulli non notum est in Republica literaria vel parum versato Joannis Nicolai nomen, quod plurimi per aliquot annorum decursum vel proprio Marte elaborati libri, vel edita iterum aliorum præstantiora opera & notis illustrata reddiderunt clarius. Et si laudanda in aliis pia est industria, qua pene memoria excussa doctissimorum virorum aeternitate digna scripta subinde in lucem protrahunt & suis commentariis augent, quoniam posterior ætas facile invenit, quod addatur priori, quo defectus suppleantur & errores admissi emendentur, hac in re non frustra operam suam posuisse videtur Nicolaus noster, qui & inde publica doctorum encomia meruit. Invenit interim, quod reprehenderet Vir doctissimus & Hebræarum antiquitatum peritissimus, Jo. Braunius, imprimis in adnotationibus

nibus ad Cunæum de Republica Hebræorum, quibus hunc auctorem Noster illustravit; sed quoniam nec juste satis, nec decente Virum Theologum lenitate id actum esse creditum est a non nemine, qui præsentis opusculo Præfationem addidit, contra accusationes Braunii breves vindicias Nicolai scribere sustinuit. Et in principio Præfationis auctor, quisquis sit, admonet, concitatum Braunium in Nicolaum fuisse, quod hic non esset veritus eum modeste notare & errores ejus corrigere in notis, quas ad Cunæum scripserat, ubi dissensus fundamentum præcipuum constituit quæstio: an summus Pontifex apud Hebræos plus una vice per annum ingressus fuerit in sanctum sanctorum? quod Braunius negaverat, cui quidem non contradixit Nicolaus, quasi id ordinarie plus semel factum esset, interim autem extra ordinem id licuisse fieri asseruit. Quando vero plagii etiam adversarium facere reum conatur Braunius, vel ejus vindex aliquis doctus juvenis, ita crimen diluitur in Præfatione, ut, ubi Nicolaus ex Braunio de Vestitu Hebræorum sacerdotum non pauca repetiverit, id non tecto auctoris nomine factum esse ostendatur, unde a plagio absolvendus sit. Postremum Nicolao imputatur, quod Braunio sententiam de literis in pectorali summi Pontificis protuberantibus, quarum ope facta fuerit revelatio per Vrim & Tummim, attribuerit; quod tamen a Præfationis auctore negatur, qui neque e notis ejus ad Cuncum locum produci posse, qui id demonstret, pronuntiare nullus dubitat. Quod tandem institutum editi Tractatus Schefferi de Torquibus, olim Holmiæ impressi, concernit, adduxit Auctorem Cl. elegantis operis præstantia, ut recudi eum curaret, omni diligentia in corrigendo eo adhibita, & notis explicaret, quæ Schefferus de argumento hoc collegerat, præcipue locis ex profanis scriptoribus, ex sacris partius, excerptis, ut ipsius libri exiguæ molis lectio testabitur. Ceterum expectare nos Nicolaus prope diem jubet *Collationem Juris Civilis cum decalogo & imprimis Annotationes ad Fleurium*, ubi contra Braunium luculentius acturus est.

* * *

ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Octobris, Anno M D C C VIII.

משנה תורה הנה תור החוקר

h. e.

*LEX ITERATA, QUÆ ET MANUS FORTIS
appellatur ; Auctore Eximio R. MOSE BAR
MAIMON, cum variis Com-
mentariis.*

Partes IV.

Amstelodami, typis & cura R. Immanuel, Filii R. Josephi

Athiæ Anno supp. min. 462. h. e.

A. C. 1702, fol. ch. aug.

Constat Alph. 26 plag. 15 & quibusdam
Figuris æneis.

Quatuor ordinibus R. Jacobi Ascheris, quos nuper
mense Aug. huj. anni p. 366 adduximus, Legem Ite-
ratam R. Mosis Maimonidis hic subjungere placuit.
Ambo idem argumentum occuparunt, & antiquita-
tes juraque Hebræorum explanare annisi sunt, eo tamen di-
scrimine, quod R. Ascher recentior semper fere ex antiquorum
sententia loquatur, & ea tantum præcepta explicet, quorum
hodie inter Judæos usus esse potest; Maimon vero quæstiones
pro autoritate, omissa antiquorum allegatione, resolvat, & o-
mnia 613 præcepta persequatur, nec ea prætermittat, quæ de
primitiis, immunditiis, vasorum purificatione &c. agunt, ho-
dieque Judæis templo destitutis nulli usui esse possunt. Quas
laudes Christiani & Judæi in nostrum Maimon congesserunt,

alii plures collegerunt; nobis Cunæi iudicium adduxisse sufficiat, qui, *eum fato quodam & sorte nascendi primum solumque in illa gente recte intellexisse, quid sit non ineptire*, scripsit, de Republ. Hebr. L. I. c. II. Nec ut argumentis, de quibus differit, recensendis inhæreamus, necesse est, quod Buxtorfium, Bartoloccium, R. Schabbathai, aliosque plures hoc labore perfunctos esse sciamus. Indicabimus tantum, quid ad ornandum juvandumque hujus libri usum editores novæ hujus impressionis curam gerentes præstiterint. Complectuntur hæc quatuor volumina 1 **הַשְׁנוּרָה הַרְאֵבֶר** h. e. Animadversiones R. Abrahami Ben David, qui frequenter Maimonidis sententiam corrigit; quæ cum sint breviores, ipsis statim Maimonidis verbis subjiciuntur. 2 **פִּירוּשׁ הַרְבֵּי מִגִּיד מִשְׁנָה** h. e. Commentarius R. Anonymi, Interpretis Mischnæ appellati, qui Maimonidis sententiam fusius explicat. 3 **כֶּסֶף מִשְׁנָה** h. e. Aurum Mischnæ, in quo R. Joseph Karo loca Gemaræ, quibus Maimon in quæstionum decisione nititur, indicat. 4 **מִנְרֵל עֵוָה** h. e. Turris robusta, cujus Auctor R. Jom Tob Ben Abraham Maimonidem nostrum contra R. Abrahamum Ben David acerrime defendit. 5 **הַגְּהוּרָה מֵיִמוֹנֵי** h. e. Annotationes Maimonianæ, quas Auctor incertus ex R. Meir Rotenburghi quæstionibus & responsionibus ut plurimum collegit. 6 **פִּירוּשׁ רַבֵּינוּ עֲבֵרִיָּה וּמַהֲרַר לֵוִי בֶן חַבִּיב** h. e. Commentarii R. Obadiæ & R. Levi Ben Chabibi, super constitutiones de sanctificatione Novilunii. Clariss. Bartoloccius Biblioth. M. Rab. P. IV p. 9 hunc R. Levi Ben Chabibi commentarium a se nunquam visum esse fatetur, & Buxtorfio, quod Bibl. Rab. p. 65 eum allegando non indicaverit, in quos libros commentatus sit, male vertit. Addita sunt præterea figuræ æneæ, quibus constitutiones de sanctificatione Novilunii, de Sabbatho & Tabernaculo illustrantur. Præstat itaque multum hæc editio illa, quæ Anno supp. min. 310 h. e. A. C. 1550 Venetiis jussu Domini Aloyfii Filii Petri Pragadini prodiit, quod hæc commentario primo, tertio, aliisque duobus num. 6 allegatis caret. Antecellit etiam alteram ibidem Anno supp. min. 334 h. e. A. C. 1574 editam, quod in hac Commentarii numero 4 & 5 allegati,

cum illo R. Obadiæ num. 6 adducto non compareant. Alter vero R. Chabibi commentarius, quem Bartoloccius non viderat, in hac editione utique prostat. Porro utrique harum nostra vel ideo præferenda est impressio, quod præter chartam majorem & mundam, cui nitide impressa est, in margine quoque loca in Maggid & Keseph Mischna ex Talm. Babylonico, item ex Arba Turim & Sepher Mizvoth gadol adducta accurate allegentur. Nec inutiles denique sunt Indices duplices, quorum alter ordinem librorum & capitum, alter vero ordinem Alphabeti observat, unde hæc editio antiquitatum Judaicarum cultoribus multo accommodatior redditur.

*HADRIANI RELANDI DISSERTATIONUM
Miscellanearum Pars tertia & ultima.*

Trajecti ad Rhenum, apud Guilielmum Broedelet, 1707, 8.

Plagul. 19 & Fig. Tab. æn. 7.

IN tertia eademque ultima Dissertationum Miscellanearum parte, cujus epitomen mense Junio promisimus, Auctor Cl. prioribus novem Dissertationes quatuor superaddit. In prima Auctor, exposita instituti ratione, quomodo describant, quibusve rationibus commendent Muhammedani bellum contra Christianos, ac de personis, quibus, & contra quos bellum gerere fas sit, de quinque porro generibus rerum ad hoc bellum spectantibus, de legibus nonnullis militaribus, de securitate, quam Muhammedanus Christiano in bello concedere potest, de captivorum, prædæque ac spolii ratione fusius disceptat. De prædæ divisione, quam in quinque æquales partes fieri docet, illud in primis commemoratione dignum existimat, quod pro numero partium quinque ex charta schedulas conficiant Muhammedeni, quarum uni inscribant. *Deo in usum publicum*, reliquis vero quatuor *Victoribus* easque globulis quibusdam, ex luto hunc in finem paratis includant, quorum singuli postquam arefacti & inter se commixti fuerint, pro singulis portionibus tollantur. Inge- sue autem profitetur Cl. Autor, se præcipuas has Muham-

medanorum constitutiones de Jure belli contra Christianos aliasque gentes ex Codice quodam MSpto haussisse, servato, quantum fieri potuit, eodem ordine, quibus tamen pauca ipse inseruit. In secunda Dissertatione de linguis Insularum quarundam Orientalium, Malaica nimirum, Singalæa, Malabarica, Javana, Japonica, Insularum Salomonis, Cocos, Novæ Guineæ & Mosis differit, quantumque Malaicæ cognitio ad ceterarum fere omnium intelligentiam conferat, variis in locis adprime demonstrat. De unaquaque autem illarum ita sibi agendum putavit, ut formas literarum, ænea tabella expressas, vocumque Indices succinctæ tractationi subjungeret, ac fontes Lectori candide aperiret. Sic Indicem vocum communiorum linguæ Malaicæ excerptisse se fatetur ex Lexico MSto Malaico-Belgico, quod M. Leidekkerus, Verbi Divini Minister in urbe Insulæ Javæ Batavia, composuerat; quemadmodum & a Joanne Cronenburg, in Insula Silan seu Ceylon educato, Alphabetum se & Syllabarium Singalæum accepisse ultro prodit. Hinc cum Singalæa Malabaricam, propterea quod magnam insulæ Silan partem Malabares incolunt, conjungit linguam; de qua hoc brevius sibi dicendum existimat, quod Caspar d' Aquilar de Lingua Malabarica, Baldæus in Descriptione oræ Malabaricæ, ubi rudimenta hujus linguæ exhibet, & Henricus Hadrianus Reede in Horto Malabarico, in quo arborum & herbarum nomina literis non tantum Arabicis & Brachmanicis, seu Hanscreticis, sed & Malabaricis continentur, jam prolixius de illa sint commentati. Distinctam vero Malabaricam hanc linguam multumque diversam esse a Malaica, secus atque Herbeloto in Bibliotheca Orientali visum fuit, multis gravibusque argumentis Autor Cl. evincit. Nec minus clare ex scriptura Javanis propria, brevi vocum Indice, & libro Belgico, cui titulus: *Begin en Voortgang der Ostind: Comp.* in Itinere II. p. 43—52 Javanam linguam, quamvis multum Malaicæ debeat, ab ea tamen plurimum differre demonstrat. De Japonica illud asserit, quod præter characteres cum Sinica lingua multa habeat communia, adeoque non minus ac illa lectu cognituque omnino difficillima sit, ut proinde Andreas Müllerus

Müllerus in Comment. ad Monumentum Sinicum Kircheri in China Illustrata p. 12 & P. Magelhens in Nova Chinae Descriptione linguæ Sinicæ difficultatem nimium elevent, quos Noster, ducem secutus Martinum Martinum, cui præter Atlantem Sinicum Historiam quoque Sinicam debemus, invictis, si quid conjicimus, rationibus refellit. De ipso tandem, quod subnectit, vocabulario, in quo voces aliquæ Latinæ Sinice, Japonice & Ananimitice scriptæ continentur, monet Vir Cl. illud inter schedas MStas Jacobi Golii, haud secus atque Orationem Dominicam Sinicis notis expressam, Symbolum item Apostolicum, Decalogum, brevem Catechismum & programma quoddam Sinicum, a se repertum esse. Post hæc, ubi de duplici hujus Insulæ nomine, Japon & Chryse, (quod ex errore quorundam recentiorum, qui hanc Insulam $\chi\rho\upsilon\sigma\eta\nu$ veterum, de qua Noster T. I. Dissert. Misc. egerat, fuisse existimarint, natum esse arbitratur,) breviter disputaverat, ad linguam in Insulis Salomonis usitatam progreditur, eamque a Malaica parum differre, ex Indice vocum, qui Itinerario Jacobi le Maire p. 80 subjunctus est, & Nieuhovii Itinerario Indico p. 36 comprobare satagit. Tum vero ad Insulæ Cocos linguam delatus, vocabula quædam, quæ laudatus le Maire ab incolis ejus Insulæ audiverat, adnotat. Nec fere aliud, ubi de Novæ Guineæ & incolarum Insulæ Mosis lingua disputat, agit, quam ut hæc idiomatica Malaiico quam maxime affinia esse exemplis confirmet. Postremo concludit, linguam Malaicam per reliquas fere omnes Insularum Orientalium linguas diffusam, earumque velut parentem esse, idque maximum ad linguæ hujus nobilitatem & amplitudinem momentum afferre putat, quod ejus quoque quam plurima vocabula in Insulis Madagascar & Cocos reperiantur. De linguis Americanis, quarum notitia ad Europæos pervenit, in tertia hujus tomi Dissertatione ita dicere instituit Autor Cl. ut universam quasi Americam ab Austro ad Septentrionem percurrat, ac qua lingua incolæ in Brasilia, Chili, Peruvia, Guatimala, Insulis Antillis, Mexico, Virginia, aliisque locis Americæ Septentrionalis utantur, exponat. Et generatim quidem de cognatione plerarumque Europæ, Asiæ

& Africæ linguarum agens, voces Americanas ab Ebræa origine derivandas esse negat, licet quædam cum Ebræis vocibus convenire videantur, id quod casui vel sono naturali, qui pluribus vocibus est, tribuendum existimat. Ex Asia tamen per oras Australes primos incolas ad Americam appulisse, confutatis omnibus, quæ obverti poterant, rationibus, vero simillimum esse adstruit. Artem porro scribendi per literarum formas cuiquam Americanorum cognitam hæcenus fuisse, Josephi d' Acosta, Hieronymi Benzoni & multorum aliorum testimoniis fultus negat, simulque de picturis ac characteribus, quibus singuli fere, qui innotuerunt hucusque, Americæ populi ad memoriam rerum conservandam utuntur, e D. Ledereri, Acostæ, B. de la Hontan, D. Jo. de Laet & aliorum de America Commentariis lectu jucundissima proponit. His ita generatim prælibatis, postquam de origine characterum Sincorum, *ὡς ἐν παρῳδῳ* acute & erudite disputasset, ad Americanas linguas sigillatim recensendas progreditur, primumque Brasiliicarum vocum Indicem, seu Vocabularium aliquod Linguae Brasiliicæ ab Emanuele de Moraes conscriptum, & Georgii Marcgravii L. VIII Hist. Nat. Brasiliæ, 1648 Lugd. Bat. & Amst. editæ, p. 276 a G. Pifone, Medico Comitum Jo. Mauritii, insertum, exhibet, eidemque vocabula nonnulla ex Jo. Lerii, Burgundi, Colloquio lingua Brasiliica instituto, quod est in ejus Historia navigationis in Brasiliam, a Theodoro de Bry Latine A. 1590 edita, excerpta, & Grammaticam quandam Brasileensem, quam Josephus de Anchieta, S. J. Conimbricæ 1595 evulgavit, in *σύνοψιν* redactam subjungit. Linguae Chilicæ, quæ annotat, vocabula e Barlæi Historia rerum gestarum sub Comite Mauritio in Brasilia, 1647 typis excusa, Guilielmi Pifonis Medicinæ Brasileensis L. IV, & Georgii Marcgravii de Liebstad Historiæ Rerum Naturalium L. VIII se hausisse fatetur, monetque, Marcgravianum vocabularium cum Barlæano tam accurate in omnibus convenire, ut vel alter illud ex altero, vel uterque ex iisdem schedis descripsisse videatur. De Peruviana lingua auctoritate Justi Fontanini, Eloquentiæ in Romano Archi-gymnasio P. P. Amici nostri venerandi, permotus asserit, quod
fere

fere in defuetudinem hodie abiverit, sic ut a paucis excolatur, Europæis certe, qui vel diutissime ibi vixerint, ignota. Vocabula Peruviana, & specimen Poeseos Peruvianæ ex Incæ Garcillassi de la Vega L. II c. 27 Hist. Incarum Peruvianorum petiisse se profitetur. Pocomanicæ Linguæ, quæ in regione Guatimala & parte Handurarum obtinet, rudimenta, a Thoma Gage, Britanno, publicata, Historiæ Itineris in illas Americæ partes instituti subjuncta esse commemorat, ex iisdemque voces quasdam Pocomanicas excerptas exhibet. De Caraibicæ gente & lingua lectu quoque digna profert, vocesque complures ex Rupefortii Historia Naturali & Morali Insularum Antillarum Roterod. 1658, 4 edita, Raimondi Breton Dictionario Caraibico-Gallico, Antissiodori 1665, & ejusdem Dictionario Gallico-Caraibico, A. 1666 impresso, item Catechismo brevi, sive epitome doctrinæ Christianæ, lingua Caraibica conscripta, ibidemq; 1664 vulgata, excerptas tradit. Postquam deinde Mexicanam linguam καὶ ἐξοχὴν ita dictam, (plura enim quam tredecim in solo Guaxacæ tractu idiomata diversa inveniri monet) nulli Mexicanorum ignotam, de qua Hieronymum Benzoni in Hist. Novi Orbis L. II c. 16 & Jo. de Laet consuli jubet, explicuit, specimen linguæ Virginicæ subjungit, quippe & voces singulas, ex Joannis Elioti, Britanni, Grammatica, Cantabrigiæ 1666 sermone Anglico edita, cui titulus: *The Indian Grammar begun: or An Essay to bring the Indian Language into Rules*, decerptas, & integram orationem exhibet, quam ex Gen. I Bibliorum Virginicorum, 1685 in Nova Anglia editorum, & a Crescentio Mathoro V. D. M. & Collegii Harfordini apud Cantabrigienses in America Præfide ad V. Cl. Jo. Leusdenum transmissorum, deprompsit. Linguam Algonkinam, quæ per Canadam sive Novam Galliam floret, vocibus ex Lexico parvo Algonkino, quod libello Baronis de la Hontan: *Memoires de l'Amérique Septentrionale, ou la Suite de Voyage de Mr. le Baron de la Hontan*, edito Hagæ C. 1703, subjunctum est, petitis illustrat, tandemque ubi de Huro-num lingua, quam literis labialibus B. F. M. P. prorsus carere affirmat, paucis egisset, & quæ sit convenientia inter Islandi-

cam & Americanas linguas, ex Vocabulario Islandico Joannis Steenbuch, LL. O. O. in Acad. Hafn. P. P. item ex Grammatica Islandica Runolphi Jonæ, Islandi, demonstraverat, colophonem Dissertationi huic imponit. Quarta denique hujus Partis Dissertatio de Gemmis Arabicis agit. Postquam enim de usu gemmarum Arabicarum Auctor Cl. differuerat, ad ipsam statim commentationem de gemmis se accingit, earumque quinque potissimum recenset, quarum primam & secundam a Jacobo de Bary, tertiam a Jacobo de Wilde, quartam ab Hadriano van der Marck secum communicatam esse grata mente profitetur. Atque de his singulis judicium suum in literis, quas ad hos ipsos Cl. Viros olim datas Dissertationi huic inseruit, exponit. Præcipue autem in quartæ gemmæ contemplatione prolixior fuit, quod ad exactam ejus epigraphes cognitionem haud parum facere putaret, si præter viri, qui ea usus est, antistitumque sive Imamorum XII nomina propria, quæ in gemma extant, ex MSto, quod possidet, *Taarich*, characteres quoque ac titulos, quibus illi antistites usi sint, uberius declararet, effigiemque laminæ argenteæ quadratæ, quæ Mahadi, ultimi antistitis, memoriam sigillatim conservat, ex Cimeliario Bariano repræsentaret. Quintam, quam exhibet, gemmam sigillum Narschou Pandit, filii Kisnou Pandit, quippe cujus nomen fert & reddit, esse, eodemque modo omnia fere Persarum Arabumque sigilla fingi ac formari, ait; id quod Imperatoris Turcarum Morad, sive Amurathis, sigillum ex Epistola, quam 1632 ad Ordines Belgii Fœd. dedit, expressum dextre confirmat.

HISTOIRE D' ANGLETERRE, D' ECOSSE ET
d' Irlande &c.

i. e.

HISTORIA ANGLIÆ, SCOTIÆ ET HIBERNIÆ;

Autore DELARREY, Potent. Boruss.

Regis Consiliario.

Tomi IV.

Roderodami, apud Reinerum Leers, 1697, 1698 & 1707, fol.

Constat Alphab. 31½ & Fig. Tab. æn. 50.

Quod

Quod *Polydorus Virgilius* aliique Latino & *Gregorius Leti* sermone Italico præstitere, ut historiam rerum Britannicarum ab ipsis Monarchiæ incunabulis ad sua uterque tempora filo non abrupto pertexerent: id Gallico idiomate aggressus est Illūstris De LARREY, natione Gallus, confessione reformatus, fortuna exul, Potentissimi Borussia Regis, in negotiis ad aulam & legationes spectantibus, Consiliarius & hodie, ut fama accepimus, Statuum Fœderati Belgii Historiographus. Is decennio abhinc, & quod excurrit, posteriores duos Historiæ Anglicæ Tomos, elegantissimis figuris, quibus viri maxime illustres repræsentantur, exornatos evulgavit, quibus superiori demum anno adjunxit duos alios Tomos, reliqua, quæ in superiori historia desiderabantur, complexos, qui adeo primos universi operis, si seriem rerum spectes, constituunt. Quatuor itaque Tomis hoc opus absolvitur. Primus ab ultima gentis origine progreditur ad annum 1272, qui Henrico III fatalis fuit. Secundus in Richardo III deficit, qui anno 1485 morte non sicca, ut tyrannum decebat, interiit. Tertius ad annum 1558, i. e. ad obitum Mariæ pertingit. Quartus denique res sub Elisabetha & Jacobo I ad annum usque 1625 gestas complectitur. Dum vero Insularum Britannicarum historiam justa methodo, allegatis in margine autoribus, & servata ubique annorum serie, pertractat Autor, id simul agit, ut singulis Periodis rerum memorabilium, tum quæ ad historiam universalem pertinent, tum imprimis, quæ apud vicinos Gallos, Hispanos, Batavos atque Germanos gestæ sunt, compendium subnecteret, stylo ubique usus tam perspicuo, tam terso, tam florido, ut cum quovis recentiorum autorum, qui Gallico quidem idiomate scripserunt, de principatu contendere possit. Quintum Tomum, qui historiam ab excessu Jacobi I ad nostra usque tempora continuatam comprehendet, in Præfatione quidem promisit Autor; ob causas vero, quas unusquisque facile divinando assequi potest, prelo, quod nos sciamus, nondum subjacet. Interim ex tomis hæcenus editis pauca quædam cum rerum historicarum curiosis communicare non dubitabimus.

Tomo I Autor tres Monarchiæ Britannicæ conditores, longo

Kkk

temporum

p. I.

2.

temporum intervallo a se invicem disjunctos statuit, quos inter primum locum *Samothes*, alterum *Albion*, postremum *Brutus* tenet. SAMOTHESES; ex mente Autoris nostri, fuit primogenitus Japheti filius, *Mesech* sacris, *Dis* autem profanis scriptoribus dictus. Is circa annum Mundi 1950 Britanniam, cui cum primis incolis etiam primos Philosophos, Druidum nomine notos, dederat, suo de nomine *Samotheam* appellavit. ALBION, Chami maledicti pronepos, cum per fretum Gaditanum in Oceanum provectus esset, jam dictam Samotheam Japheti posteris, qui eam per annos trecentos tenuerant, circa annum M. 1220 eripuit. Quanquam autem non multo post, cum ad ostium Rhodani cum Hercule congregari ausus esset, praelio navali victus interiisset Albion, posteris tamen ejus, quos statura gigantea terribiles fuisse ferunt, hanc Insulam, quæ jam *Albionis* nomen sortita fuerat, per sexcentos & amplius annos sub imperio suo tenuerunt. BRUTUS tandem, sanguine Trojano satus, Æneæ II Italiae Regis frater, facta circa A. 2850 exscensione, novam in hac Insula Monarchiam condidit. Is extructam a se urbem, quæ nunc Londinum dicitur, *Trojam novam* appellasse; Insulæ autem *Britannia*, quasi dicas *Bruttania*, nomen imposuisse fertur. Et in hac apud plerosque historicos recepta opinione acquiescit Autor: quanquam non improbat aliorum sententiam, qui Britannos non tam a Bruto, quam potius a *Brith* denominatos fuisse contendunt; qua voce vel homo *pictus* denotatur, quales Britones olim fuisse constat; vel etiam *stannum*, ejus hæc Insula in hunc usque diem est feracissima. Per vestigata gentis origine, Reges, qui a Bruto ad Cassivellanum usque per mille & quod excurrit annos Britannia gubernacula tractarunt, eo, quo fieri potuit, ordine recenset: quibus Romanorum, Saxonum, atque Danorum res in Britannia gestas, ex omnibus antiquitatum latibulis conquisitas, subjungit. In vita *Arthusi* vel *Arthuri*, quem Britannorum *Amadisium* appellare posses, fabulas a rebus vere gestis accurate distinguit. Inter alia hunc Arthurum, ad evitandas de prerogativa controversias, *Mense rotundæ* inventorem fuisse affirmat; ejusque rei testem allegat *Leslæum*, qui ipsam Arthuri mensam

mensam, multis heroum coætaneorum nominibus insignem, Vintoniæ suis se oculis vidisse, gloriatus est. *Heptarchiam* a Saxonibus institutam operose in primis describit. Mirabilem autem illam Angliæ conversionem nec hominum consilio, nec fortunæ ludibrio, sed justo Dei judicio adscribendam esse, graviter monet. Ex Gilda enim testimoniis satis indoneis confirmat, quod ante Saxonum invasionem tyrannis in throno, injustitia in foro, impudicitia in toro ita versata sit, ut Deus tot exactioibus, tot parricidiis, tot adulteriis ad iram accensus, facere non potuerit, quin tandem se ad vindictam accingeret. Alibi observat, Anglos bis a sexus sequioris personis adductos fuisse, ut nova sacra susciperent. *Ronicem* enim, Hengisti filiam, tantum apud Vortigerum Regem potuisse, ut a Christiana religione, quam a majoribus suis acceperat, ad idololatriam Saxonibus usitatam transfret. Vice autem versa *Bertham*, Chereberti Francorum Regis filiam, suis blanditiis effecisse, ut Angliæ Rex Ethelbertus, cujus in torum venerat, abjurata paganismi superstitione, ad Christi ovile rediret. Qua occasione, quid foeminæ forma pulchriori præditæ, tam in bonam quam in malam partem efficere queant, argute miratur. Divum *Patritium* Hibernorum Apostolum fuisse, satis notum est. Inter miracula vero, quibus doctrinæ suæ fidem fecit, hoc etiam vulgo referunt, quod Deo monstrante viam, in Ultonia locum invenerit, ubi animarum in purgatorio gemiscentium ululatus distincte audiri possent. Additur & hoc, quod peccatores ad speluncam illam propius accedentes, pro sua quisque pœnitentia, vel seria, vel hypocritica, alii coelum, alii vero infernum apertum conspicerent potuerint. Quæ quam vera sint, uti Autor in dubio relinquit, ita ad hanc Patritii speluncam pertinere arbitratur, quæ Claudianus libro I in Rufinum cecinit:

*Est locus, extremum quo pandit Gallia lictus,
Oceani prætentus aquis, ubi fertur Ulysses
Sanguine litato populum movisse silentem:
Illic umbrarum tenui stridore volantum*

p. III.

II2.

II8.

82.

Flebilis auditur questus: simulacra coloni

Pallida, defunctasque vident migrare figuras. &c.

P.133.

220.

Hæremus, an referre hic liceat ritum prorsus abominabilem, quo Reges suos olim consecrare consueverant Hiberni. Nempe indictis comitiis, ubi Regni proceres in Ultonia convenerant, in medio eorum constituebatur novus Regni candidatus. Adducebatur deinde Equa alba, quam, postquam Rex inaugurandus in conspectu totius populi bestialitate flammis expianda cum ea congressus fuerat, in particulas minutas concidebant. Quo facto futurus Rex, tanquam re bene gesta, postquam frustum abominandi cadaveris ipse prægustasset, Regni Status, ut inter maledictas has epulas genio suo liberaliter indulgerent, hortari solebat. Sed missis, quæ castis lectoribus nauseam creare possent, lepidam potius de Godofredo, Cestriæ & Merciæ Comite, circa annum 1057 defuncto, historiolum referre lubet. Cives Conventrienses Comitis, cui subjecti erant, imperium detrectare ausi fuerant. In hos rebelles ne gravius quid decerneret Comes, omnibus modis impedire conabatur uxor ejus amantissima: sed alia conditione placari se non patiebatur Comes, vindictæ studio accensus, quam si uxor toto corpore nuda, equo superimposita, sub Sole meridiano per singulas proscriptæ urbis plateas circumveheretur. Accipiebat hanc conditionem mulier, eamque pro calliditate sua sic adimplebat, ut & miseris subditis veniam impetraret, & simul pudori suo consulere. Nam primo capitali poena sanciverat, ne quis eo die oculos per plateam circumferret, suspenso etiam de fenestra pistore, qui contra edictum facere ausus fuerat. Deinde capillos, quos solito & longiores & spissiores habebat, ita per velandas corporis partes distribuerat, ut eundem fere, quem folia ficulnea protoplastis, usum ipsi præberent. Quæ uxoris suæ astutia sic commovebatur Comes, ut civibus refractariis non impunitatem modo, quam uxor stipulata fuerat, sed immunitatem etiam ab oneribus ad certum tempus concederet.

In Tomo II continentur res gestæ EDUARDI I, II, III, RICHARDI II, HENRICI IV, V, VI, EDUARDI IV, V & RICHARDI III, qui A. 1485 fato functus est. Omnia in compendium redigere, quæ intra ducentos & quod excedit, annos sub decem Regibus acta sunt, cum nimis ab instituto nostro alienum foret, unum saltem & alterum, quod notari mereatur, delibabimus. In vita *Eduardi I* prolixè describitur casus *Leolini*, ultimi ex priscis illis Walliæ Ducibus, qui genus suum ad Brutum referre poterant. Cristas ille hætenus ita erexerat, ut passim Anglorum flagellum audiret: redactus autem est in ordinem ab Eduardo III A. 1283, quo vitam etiam in prælio amisit. Ab eo tempore, postquam Walliæ Ducatus sive victoriæ, sive caducitatis, jure in formulam provinciæ Regni Anglicani redactus esset, primogenitus Regis filius, tanquam hæres Regni præsumtivus, *Walliæ Princeps* appellari consuevit. *Eduardus II* eo mortis genere periit, quo nihil fingi potest indignius. Antequam vero inauditum illud supplicium subiret, durius in carcere, quam hominem, nedum Regem, decebat, habebatur. Aliquando ad se vocari jusserat chirurgum, qui corpus ejus curare consueverat. Is cum a licitoribus tantum aquæ tepidæ, quantum ad barbam radendam sufficit, impetrare non posset, frigidam adhibebat, magno Regis incommodo: qua indignitate commotus Eduardus, cum temperare sibi non posset a lacrymis, quæ guttatim in pelvim subjectam destillabant: *Tamen, inquit, barbaris etiam illis invitis, tepidam habebimus aquam.* Non multo feliciorum vitæ exitum habuit filius ejus *Eduardus III*. In morbum enim incidere, cum animi causa feras infectaretur. Erat autem in comitatu Regis *Aloysia Perezia*, quam hætenus tenerrimo, sed illicito amore complexus fuerat Eduardus. Mulier hæc, in qua cum impudentia certabat avaritia, ubi Regem in agone constitutum cerneret, hoc unum in votis habebat, ut anulum, quem pretiosissimo adamante distinctum in digito gestabat, furtim surriperet: quem in finem Regem lecto jam affixum ita per suæ factionis homines quasi obsidebat, ut ne sacerdotibus quidem pateret aditus. Præda tandem, cui tam avide inhæverat, potita, liberum quidem u-

P. 574.

655.

727.

p. 798.

841.

879.

nicuique accessum permittebat : sed nemo reperiebatur , qui Regis in ultimo vitæ suæ articulo jam constituti vel corpus, vel animam curaret ; omnibus id unum agentibus , ut ex regia supellectile tantum quisque domum suam portaret, quantum unguibus rapacibus capere poterat. Quod alii scriptores Richardo I de Gallis triumphanti adscribunt, id Noster, nescimus cujus auctoritate subnixus, ad *Henrici IV* tempora refert : quod scilicet, cum Archiepiscopum Eboracensem in prælio captum securi percussisset, armaturam, qua indutus fuerat Præsul, ad Pontificem Romanum Innocentiam VII miserit, adjectis literis, cum allusione ad crucentam Josephi tunicam, Jacobo patriarchæ his verbis oblatam : *Hanc invenimus , agnosce nunc, utrum hæc tunica Filii tui sit , nec ne?* Ad quæ tamen Pontifex satis apposite respondisset : *Utrum hæc tunica sit Filii mei, nec ne, ignorare forsitan licebit : Filium autem meum a mala bestia devoratum esse, tam certum est, quam quod certissimum. Catharinam, Henrici VI viduam, secundas cum equestris dignitatis viro, cui *Owenus Tudor* nomen erat, nuptias, regio sanguini parum decoras, contraxisse, in vulgus notum est. Inter singulares tamen circumstantias referendum est, quod ea dissimulatione uti potuerit Catharina, ut cum quatuor amoris pignora ex Oweno suo suscepisset, ante obitum tamen ejus nemo in aula Anglicana repertus esset, qui Reginam ad vota secunda transiisse, saltem suspicaretur. Quod factum adeo detestabantur Angli, ut bonus ille Owenus, quanquam sanguinem suum ad ultimum Britonum Regem Codowallarum referre poterat, A 1461 non alia de causa, quam quod amari se a Regina passus esset, securi subjiceretur. *Eduardus IV*, cum Ducem Warwicensensem in Sabaudiam ablegasset, ut Bonam, Ludovici Ducis filiam, sibi uxorem expeteret, inter venandum forte invisebat Jacobæam Luceburgicam, antea Ducis de Bedford, nunc autem Comitis de Rivers viduam, quæ ut ægritudinem animi quodammodo levaret, ruri aliquandiu habitaverat. Quippe & novam sollicitudinem ei attulerat filia *Elisabetha*, Johanni Grajo elocata, quam & marito & dote orbatam non ita pridem domum receperat. Verum quæ paulo ante non a fortuna modo, sed etiam a spe erelecta fuerat, non multo post supremum humanæ felicitatis gradum*

gradum in regio toto consequebatur. Vix enim hanc Elisabetham corporis & animi dotibus admirabilem conspexerat Eduardus, cum

flamma medullas

corripit, atque sedet corde receptus amor.

Equidem sub initium repulsam patiebatur Rex, & qui uno die universum Angliæ Regnum in suam potestatem redegerat, foeminam imbellem, ut victas sibi manus daret, expugnare non poterat. In angustias enim redacta, cum scire tandem vellet Rex, an voti compos fieri posset, nec ne, parrhisia plus quam virili *Quid queris?* inquit, *Reginam, an concubinam?* Sane non Reginam: obstat enim natalium meorum obscuritas. Multo minus concubinam: hoc enim non patitur animi mei generositas. Sed his verbis inter suspiria prolatis, cum tantum abesset, ut Regis ardorem extingueret, ut cupiditatem ejus adhuc magis accenderet, tandem Eduardus, qui moram longiorem ferre non poterat, *Quandoquidem,* ait, *sine auro coronario expugnari non potest constantia tua, en offero tibi coronam, & cum ea simul cor meum.* Quibus dictis consensum, in quo eliciendo omnes suas blanditias frustra consumpserat, facile impetrabat. Inter malas artes, quibus *Richardus III* ad coronam adspirabat, etiam concionatorum opera utebatur. Inter alios Pastorem ad ædem D. Pauli, quæ Londini est, in suas quoque partes pertraxerat. Convenerat autem inter eos, ut proxima die Dominica, eo præcise momento, quo *Richardus* templum ingrederetur, per Apostrophem patheticam eo populum commoveret, ut *Richardum* legitimum Regni hæredem proclamaret. Sed erat miser iste mercenarius ex eorum numero, qui nihil verborum facere possunt, præterquam quod memoriæ mandarunt. Ubi igitur ad eam orationis suæ partem pervenisset, quam verbis figuratissimis conceperat, voce plus quam stentorea, lymphatico haud absimilis, exclamabat: *Veni Richarde, vere & unice domus Eboracensis hæres. En faciem! en vultum! en ora! en majestatem! en sanguinem regium! en successo-*

successorem Regni legitimum! Quem effectum habitura fuisset emphatica hæc oratio, si eodem tempore templum ingressus fuisset Tyrannus, equidem divinare non possumus: sed cum nusquam compareret Richardus, nescio quo casu impeditus, a risu sibi vix temperare poterant auditores. Progresso deinde ad aliam materiam concionatore, ecce, subito magno cum strepitu aderat Richardus. Quid faceret noster Chrysostronus, qui jam omnes elegantias Rhetoricas inutiliter consumpserat? Nempe satius ducebat, alienissimo tempore Apostrophen suam repetere, quam suo plane deesse officio. Cum autem nihil potuisset dici frigidius, ea indignatione accendebatur populus, ut, cum, uti Richardus sperabat, exclamare deberet: *Vivat Rex Richardus*; potius hujuscemodi oratorem minime ferendum esse vociferaretur. Quo pudore sic confundebatur servilis iste nugator, ut paucos post dies mœrore animi contabesceret. Atque hæc e prioribus Partibus observata suffecerint; e posterioribus, quæ editionis, ut diximus, ordine priores sunt, proximo Mense excerpta dabimus.

NAAUKEURIGE VERSAMELING &c.

i. e.

COLLECTIO CURIOSA ITINERUM IN *Utramque Indiam &c.*

Tomi XI, XII, XIII, XIV & XV.

Lugd. Bat. apud Petrum van der Aa, 1707, 8.

Const. Alph. 6 pl. 16 & Fig. Tab. æn. 131.

BIs Collectionis hujus Itinerum in utramque Indiam in Actis nostris hoc anno mentionem fecimus, nimirum & *M. Mart. p. 102* & *M. Aprili p. 179*. Nunc quinque alios ejusdem Collectionis Tomos breviter addimus, post decem priores in lucem editos; de reliquis vero (hactenus enim Tomi XXVIII prostant, & multo plures expectantur,) deinceps dicemus.

Et

Et *Tomus* quidem *undecimus* itinerum aliquot historias ab A. 1524 usque ad A. 1526 Indiam versus factorum continet. Prima est historia itineris maritimi per Gil Gonzales Davilam ex Insula Dominica ad oras Honduræ anno 1524 suscepti; cui addita est Ferdinandi Cortesii excursio terrestris anno eodem ad Ybueras ex Regno Mexicano facta; nec non descriptio succincta provinciæ Tabascæ, intra sinum Mexicanum & Oceanum Australem sitæ. Altero loco hocæronavigationis non incelebris a Don Vasco da Gamma, Gubernatore supremo per universam Indiam, cum quatuordecim navibus ex Lusitania A. 1524 in Indiam Orientalem factæ comparet; una cum navigationibus & expeditionibus Don Henrici de Menezes, successoris Gammæ, usque ad A. 1526 per eandem Indiam continuatis. Tertio fata duarum navigationum, quarum una Garfias Jofre de Loyasa A. 1525 ex Lusitania in Insulas Moluccas, altera Rodericus de Bastidas & P. Alvares Palomino ex portu urbis Dominicæ in Insulam S. Marthæ trajecerunt, commemorantur. Postea navigatio memorabilis Sebastiani Gaboti per fretum Magellanicum A. 1526 in Insulas Moluccas tentata, ac Ferdinandi Cortesii in urbem Mexicanam reditus sistitur; cui commemorationi momenta demum Edicti Regis Castellæ præcipua pro administrando rite Novæ Hispaniæ Regno & pro mappis maritimis conficiendis sunt annexa. Et itinera quidem in Indiam Occid. iterum ex Antonii de Herrera Hispanica; at in Indiam Orient. facta itinera ex Jo. de Barros Lusitanica itinerum Collectione Belgicæ sunt translata.

Tomus duodecimus itinera maritima ab A. 1526 usque in A. 1529 hac serie exhibet, ut initio navigationes Francisci Pizarri & Didaci Almagri A. 1526 ex Panama in Regnum ditissimum Peruvianum, tum primum detectum, cum rebus variis per universam Americam ætate illa gestis, ex Anonymi autographo Hispanico enarrentur; dein navigationes a Don Lopo Vaz de Sampayo A. 1526 ex Lusitania in Indiam Orientalem factæ, hujusque, ut & aliorum Lusitanorum, expeditiones variæ bellicæ illic suscepta addantur; hisque descriptio Regni Zunda

& Insulæ Java, una cum navigatione Simonis de Souza Galvaon ex Goa urbe in insulas Moluccas interferatur; quæ postrema omnia ex Jo. de Barros antea laudata collectione Lusitanica sunt deprompta.

At *Tomus decimus tertius*, paullo amplior & in duo Volumina divisus, Navigationes varias & percelebres per Don Nuno da Cunhas, Lusitanorum in India Administratorem & Ducem supremum, ab A. 1528 usque ad A. 1538 in Indiam Orientalem, ejusque ut & aliorum quorundam Lusitanorum contra Indos, Turcas & Persas intra decennium istud susceptas expeditiones bellicas, figuris plurimis exornatas ex Joannis itidem de Barros collectione Lusitanica sistit.

Tomo decimo quarto præmittitur Nicolai Cienardi, Professoris Lovaniensis, iter curiosum in Africam, quod uti A. 1535 per Galliam & Lusitaniam illuc, linguæ Arabicæ addiscendæ gratia, fuerat ingressus, ita ipse Litteris aliquot, ad Jacobum Latomum datis, non illepide descripsit. Dehinc navigationum variarum sub præfecto maris Hispanico, Petro de Mendoza, A. 1535 & proximis ex Hispania in Americam Meridionalem & cum primis ad loca contermina fluvii de la Plata, historia ab Ulrico Schmidt, Straubingensi, Germanice primum conscripta & in itinere collecta, traditur. Hanc excipit navigatio Don Ferdinandi de Soto, qua A. 1539 ex Havana Insula Floridam versus, tum recens detectam, trajecit, in tres Partes divisa, & ex Anonymi descriptione Hispanica in linguam Belgicam translata. Proximum ab hac locum sibi narratio profectionis a Lusitanis variis A. 1540 & sequenti ex India Orientali in Regnum Soez & ad Maris rubri loca utrinque confinia vindicat, per Jo. de Castro, socium itineris, lingua primum Lusitanica congesta; cui item historia brevis Regni Æthiopiæ & Sacerdotis Joannis est admixta. Demum navigationis ab Hieronymo Benzone, Mediolanensi, A. 1541 in Indiam Occid. institutæ commemoratio historica tomum hunc præsentem finit.

Tomus decimus quintus duo Hodæporica non contemnenda complectitur. Unum iter non ignotum Joannis Staden,

den,

den, Homburga ex Hassia oriundi, in Brasiliam, quod ab A. 1547 usque ad A. 1549 perfecit, ex ipsius Auctoris codicillis itinerariis exhibet. Alterum vero Joannis Lerici, Ministri Reformati, A. 1556 cum aliis quibusdam verbi divini sociis, Geneva in eandem Brasiliam per Galliam, opitulante cum primis Casparo Colinio, Galliae tum Architalasso, missi profectionem apprime memorabilem sistit. In utroque hocæporico, quorum hoc primum Gallica, illud autem Germanica lingua primum & postmodum etiam Gallica prodiit, nihil omittitur, quod ad plenam Brasiliae & aliarum in America regionum confinium historiam, tum speciatim ad mores Anthropophagorum cruentos delineandos spectat.

PRESERVATIF CONTRE L'IRRELIGION.

i. e.

*PROPHYLACTICUM CONTRA RELIGIONIS
fugam, vel demonstrationes veritatum fundamen-
taliū religionis Christianae; Autore De la
TOUCHE BOESNIER.*

Hagæ Comitum, apud Carolum Delo, 1707, 12.

Plag. 15.

Fatetur Autor, exstare plurimos, qui contra Atheos & pro veræ religionis defensione scripti sint, libros, neque tamen post Grotium, Mornæum, Huetium, Abbadium, Clericum & tot alios se frustra laboraturum confidit, cum perpetuo urgendum sit hoc institutum, in quo & profici possit, & ipse credat, se perspicuitate unum alterumque ex dictis scriptoribus esse superaturum. In Præfatione, quæ singulari studio conscripta est, primum causas protritæ religionis exponit, videlicet ignorantiam fundamentorum veræ religionis, corruptionem morum in contemtoribus ipsis, eorum superbiam, qua supra recepta omnia eminere velint, multitudinem sectarum inter Christianos, ut & difficultates, quæ in doctrina Christiana occurrunt; quæ quidem omnia expendit Auctor, atque ad ea distincte respon-

det. Ex. gr. ad ultimum momentum monet, difficultatibus plena esse omnia: in Physicis atomum animatam a Leuwenhoekio observatam, materiæ divisionem in infinitum, immensam universi hujus extensionem & similia incredibiliter nos vexare, neque tamen propterea Physicam rejici posse. Poscit inde ab Atheis, ut, si Christianorum de Deo hypothesein rejicere velint, aliam nobis exhibeant, ostenditque, illos, sive ad hypothesein mundi æterni, sive a se ipso formati, confugerint, absurdissime acturos. Hinc contra D. Bælium probat, Atheismum & singulis, & Reipublicæ valde noxium esse, interque alia ejus instantiam, quod honoris studium in locum religionis succedere & vitia omnia refrenare possit, confutat. Tandem remedia contra Atheismum grassantem suppeditat, ut videlicet Principes bonis exemplis præeant, legum transgressores exacte puniant, officiis publicis, ecclesiasticis, civilibus & militaribus probos viros admoveant, deinceps ut infantes rectius educentur, moresque adultorum emendentur.

Ipsam opusculum tribus Libris constat, quorum primo probatur, Deum dari, eundemque sua providentia nihil non gubernare, ac animam nostram immortalem esse. Et Deum quidem dari ex consideratione materiæ, quæ æterna nequaquam esse aut se movere possit ipsa, ex mira omnium compositorum efformatione, animæ immateriali natura, idea Dei, consensu gentium & veritate S. literarum, non minus fortiter quam perspicue evincit, istaque argumenta contra plurimas, præsertim Bælianas, exceptiones vindicat. Democritum, Epicurum aliosque materiarios Philosophos Atheos dici debere negat, etsi ex hypotheseibus ipsorum Atheismus pronascatur, cum & doctissimi homines non semper justis consecutionibus obsecudent. Cafros negat Dei notitia omni carere, quem Dapperi testimonio *Humma* illis dici, refert, similiterque de reliquis Atheismi accusatis gentibus judicat. Præ ceteris vero p. 64 sq. luculenter evincit, doctrinam de Dei existentia fraude hominum, aut consilio magistratus introduci non potuisse, cum primis quia contra illam independentiam fortissime pugnet, quam homines post lapsum affectant. Similibus argumentis demonstrat, & non

veretur

veretur p. 66 docere, Deum immediate movere corpora speciatim humanum, juxta leges unionis a se constitutas, adeo ut volente anima corpus ipse propellat. Animam vero immortalem esse, inde probat, quia immaterialis sit, & qualitates excellentissimas habeat, imo quia Dei justitia poenas post mortem exposcat, & Sacrae literae ita doceant. Et immaterialem quidem animam esse inde demonstrat, quia essentiales ejus proprietates ab attributis materiae toto caelo differant, & quia, si ex particulis cogitantibus constaret, particulae illae, etiam antequam in nutrimentum hominis converterentur, videlicet in cibus, vino &c. nec non post egressum ex corpore nostro, cogitare deberent, quin quaelibet illarum separate cogitaret, & se ipsam moveret, quae perabsurda forent.

Libro II ad necessitatem revelatae religionis se convertit, ostendens, humano generi religionem necessariam esse, eamque rationi non contrariam atque ad salutem sufficientem esse debere, omnes vero ab hominibus inventas religiones contrarias rationi esse, v. gr. Paganam & Mahumetanam, quas fusa examinat, naturalem vero religionem non sufficere ad salutem docet, partim quia concupiscentiae pravae ortum & nexum explicare, partim quia methodum solidam se expiandi & Deum placandi ostendere nequeat.

Libro III ad religionem Mosaicam se confert, praemissisq; characteribus religionis revelatae verae (quod videlicet digna auctore Deo & homine esse, rectam rationem confirmare & ejus dissipare tenebras, quod applicari ad nostram imbecillitatem, & tamen majestatis non oblivisci, quod denique nullibi secum ipsa pugnare debeat) illos ad religionem Veteris Testamenti studiose applicat; inde veritatem Librorum Mosaicorum ostendit, partim ex indole scriptoris, qui ambitione & commodi studio careat, defectus & suos & Abrahami, unde gentis suae origines & gloria petendae, candidè detegat, de rebus suis ante vocationem divinam praecclare gestis nihil dicat, liberisque suis nihil in Republica Judaica commodi procurarit; partim ex natura legum a Mose latarum, quae valde incommodae & artibus politicis aptatae non sint, quod vel pateat ex imperata feriatione agrorum quolibet anno se-

partim ex terro accessu omnium masculorum ad templum Hierosolymitanum, nudatis præsiidiis limitum omnibus, partim ex miraculorum Mosaicorum excellentia probat. Veritatem Christianæ religionis, demonstrata fide librorum Novi Testamenti historica, evincit primum ex veritate doctrinæ Christi, quæ cum Mosaica convenit, sed longe illustrior est: deinde ex testimonio Apostolorum, quos ostendit miseros quidem & timidos, sinceros tamen, probos & constantes fuisse, adeoque nulla fraudis suspicione gravandos, cum proprios defectus sint fassi, & a vitiis efficacissime avocarint: tertio ex successu prædicationis Evangelicæ admirabili contra tot impedimenta, quæ Judaismus & Paganismus objiciebat, reclamantibus omnibus carnis nostræ commodis. Hic comparationem instituit inter successum Christianismi & Mahumetismi, & causas hujus politicas declarat, prorsusque adeo boni scriptoris officio satisfacit.

*FIDES ET RATIO COLLATÆ, AC SUO
utraque loco reddite, adversus principia JOHANNIS
LOCKII &c. Cum accessione triplici, 1 de fide implici-
ta, 2 de SS. Scripturarum certitudine ac sensu, 3 de per-
fectione & felicitate in hac vita. Edidit & præ-
fatus est PETRUS POIRET.*

Amstelodami, ex officina Wetsteniana, 1707, in 8.

Constat 1 Alph. 18 plag.

IN prolixa, quam operi præmittit, Præfatione fatetur Cl. Poi-
ret, sibi nihil quam Præfationem & unam atque alteram no-
tulam deberi, atque in primis stabilire nititur lumen fidei rece-
ptivum, a ratione diversum, per Pelagianismum præsertim & So-
cinianismum prorsus abolitum. Conqueritur, nostro tempore
omnes propemodum Christianos, maxime eruditos, lumen hoc
impugnare, atque miratur, inter Pontificios novam Philosopho-
rum sectam foveri, qui cum *Malebranchio* in Tractatu de Sci-
entia Morali cap. 2 tantum non omnia rationi tribuant, ipsam
etiam fidem rationi postponant, ac ipsam fidem medium ad
rationem

rationem statuunt. Magis, quam in *Malebranchium*, in *Lockium* invehitur, quod Part. 4, C. 16, 18 & 19 de Intellectu humano fidem rationis humanæ actum fingat, atque in *Clericum*, qui quod istum secutus fuerit, ex ejus scriptis probat. Vocat opus *Lockianum* effectum irati Numinis in eos, qui divina, cœlesti, vitali, solida intimaque luce ac veritate a Deo in fundo cordis humilis non postulata, non admissa, & plane contempta, unius vanissime rationis imaginibus evanidis sese toti occuparunt. Omnium vero maxime Bælio indignatur, qui fidei prædicationem simulans eandem prorsus eliminare studuerit, atque notat, neminem eorum, qui hactenus contra ipsum scripserunt, veras rationis ac fidei notiones vel habuisse, vel ipsi opposuisse. Ceterum non potest non multum commendare Anonymi, quod publicavit, opus, cum iisdem hypothesibus indulgeat, quas ipse hactenus in operibus propriis defendit, atque uterque ex scriptis *Antonia Burignonæ* se sapere profiteatur. Conflatum est illud ex animadversionibus in theses quasdam a Philosopho quodam Scoto juxta *Lockii* principia de rationis præ fide excellentia, veluti demonstrationis ea de re specimen idiomate Anglico editas, atque ex tribus accessionibus in titulo memoratis. Animadversionibus ipsæ theses Anglicæ cum versione Latina præmittuntur, in quibus eorum Auctor rationem definit per assensum ob autoritatem Dei proferentis præbitum. Ad hanc igitur requiri infert revelationem, hoc est, veritatis a Deo modo extraordinario vel mediate per signa perceptibilia, vel immediate intellectui factam manifestationem. Jam cum experientia loquatur, & multos pro revelatione divina habuisse, sæpiusque pro divina scienter venditasse, quæ talis non est, rationem de sinceritate ac prudentia auctoris statuere debere, quod scilicet nec alios decipere voluerit, nec ipse deceptus fuerit, antequam fides revelationi haberi queat. Nostrum in præsentia non est singula adducere, quæ ab Antagonista responsionis loco afferuntur: sufficet igitur palmaria delibasse fundamenta, quæ systema ipsius systemati Philosophi laudati e diametro adversum stabiliunt. Id potissimum carpitur, quod in thesibus memoratis

memoratis una hominis facultas ad omnium rerum cognitionem extendatur, cum potius pro objectorum percipiendorum varietate diversæ quoque ad ea cognoscenda facultates requirantur. Ipse igitur tres in homine admittit sensus, 1 *externos*, pro rebus hujus mundi corporeis, 2 *internos*, pro rebus mundi invisibilis, & 3 *intimos*, pro rebus mere divinis. Unumquemque sensum adjunctum sibi habere putat peculiarem intellectum, per quem suarum perceptionum sibi conscius existat, easdemque considerare ac inter se conferre valeat. Similiter triplicem statuit imaginationem, quæ rerum tam spiritualium, quam corporearum absentium imagines promit. Ideas ait a triplici sensu pendentes passivas esse, sed dari alias activas, quas vel in totum, vel pro parte passivis aliquid superaddentes fingamus. Unde tribus memoratis intellectus speciebus addit quartum, *intellectum* nempe *actionum*. Intellectionem ipsam dividit in *intellectionem cordis*, quæ voluntatem efficaciter inclinatur, & *intellectionem cerebri*, quæ in mera speculatione subsistit. Quod si quis tot intellectuum genera ferre nequit, eum tamen tot operationum intellectus genera admittere debere existimat. Porro quemadmodum sensus externi lumine aliquo indigent ad res corporeas præsentis percipiendas; ita quoque pergit requiri *lumen* aliquod *internum* ad res mundorum invisibilium, & *intimum* ad res divinas clare percipiendum. Quod vero etiam res spirituales & divinæ sensu realiter percipiantur, testimonio Christi Joh. III, 23, 33, V, 19, 20, 30, VIII, 26 inter alia probat. A priori etiam deducere conatur, quod Deus homini primo concreare debuerit facultatem ipsum realiter percipiendi. Hominem nimirum a Deo creatum esse ob certum finem, adeoque facultatibus ad eundem consequendum instructum. Cum itaque in se summi boni desiderium reperiat, sitque ipse Deus bonum illud summum; necesse esse, ut ipsi concreata sit facultas Deo realiter perfruendi, hoc est, eum percipiendi, libere amandi, deque eo gaudendi. Centrale illud summi boni desiderium tribus facultatibus, sensu nimirum, intellectu ac amore divino instructum *Spiritus* nomine indigitari, atque Triados sacrosanctæ imaginem exhibere. Dari enim quoque in Deo æternam

volendi

volendi vim una cum essentialibus sibi inhærentibus sensu & sapientia, quæ *Pater* in Scripturis dicatur: actualem vero, perfectissimam & plenissimam suimet ipsius perceptionem experimentalem & realem *Filium* appellari; inde propullantem sanctum amorem *Spiritum Sanctum* nuncupari. Quoniam Deus sentiri nequeat, nisi quatenus in intellectum intimum influat; eundem passivum statuit atque errare nescium. Errores vero omnes ab activo intellectu derivat. Contendit præterea, sensum, intellectum atque imaginationem divinam per lapsum esse amissa; per gratiam in conversione restitui: ea restitutione facta oriri fidem. Eam duplici ratione considerat, vel ut donum Dei, vel ut officium hominis. In priore significato fides ipsi est vivum substantialeque Dei lumen in nobis, Filium nempe Dei, unde a Paulo Hebr. XI, 1 rerum sperandarum substantia, argumentum non apparentium dicatur, cum substantialiter in se contineat, quicquid speramus, & verum documentum sit, quæ speramus, jam vere & realiter nobis data esse. In sensu posteriore per fidem intelligit liberam tanti favoris acceptationem, sui que totius in manus amantissimi Dei fiducialem traditionem. Recenset luminis hujus effectus passim obvios, clamores nempe conscientie irrefragabiles, inopinatam in mediis angoribus consolationem, spem validam & animum inconcussam inter dubia inexplicabilia & timores exortum, &c. Reddit quoque rationes sequentes, cur fidem a ratione non distinguere valeamus, quod sc. 1 lumini fidei non nisi distinctas notiones particularium veritatum adscribamus, ex. gr. Deum esse justum, sapientem, omnipotentem, &c. 2 quod profectum in divina cognitione per claros atque distinctos mentis nostræ de divinis attributis conceptus metiamur: 3 quod in primo statim conversionis momento tam vividam & distinctam rerum divinarum perceptionem requiramus, qualis est rerum externarum: 4 quod in discrimine, de quo loquimur, dijudicando non ad modum percipiendi, sed ad ipsas objectivas veritates respiciamus. Cognitionem autem, lumine rationis, & alteram, lumine fidei acquisitam, utut verbis conveniant, efficacia tamen differre statuit. Viros enim ingenii acutissimi con-

tra propriæ Philosophiæ regulas in quævis scelera ipsumque Atheismum prolabi: at homines indoctos, immo etiam fœminas, quid ratio, ratiocinatio, meditatio, idea vel conceptus sit, ignorantes, fide viva, charitate non ficta, fiducia & spe immobili, tantaque excellere sapientia, quæ naturæ vires superet. Ideas nimirum rationis nullam substantiam communicare, sed animam jejunam ac vacuum relinquere: fidem vero non solum illuminare, sed etiam nutrire. Fidei ergo lumen non ex notionibus in se, sed ex sensu cordis judicandum. Divinam in cor nostrum irradiationem ab omnibus mentis nostræ conceptibus adeo esse independentem, ut falsa sæpe opinio fidei lumini magis opituletur, quam obsit, & contra obstet vera. Esse ex. gr. qui universalis redemptionis persuasione in divino amore realiter se promoveri sentiant; in aliis spem liberationis ex inferno olim futuræ contrarium efficere. Rationem omnis generis ideis quam bellissime instrui posse; intellectum autem divinum interioris hominis omni divino lumine destitui, quod diabolorum testentur exempla: & contra interiorem hominem divina claritate vere illustrari posse, rationem ignorantia summa vel etiam erroribus laborare, siquidem homo interior iis non adhæreat. Quicquid enim in exteriori homine vel fiat, vel non fiat, id interiori per se nec prodesse, nec obesse; sed tantum prout ipse interior homo suam voluntate eo bene vel male utatur. Notat præterea, fidei lumen plerumque veritates populares ad vitæ sanctitatem ducentes, at modo vivido, simplicissimis etiam ingeniis accommodato, & qualibet fere vel levissima occasione eorum, quæ in vita communi nobis obtingunt, manifestare; nequaquam vero ad fidei, quos vocant, articulos ducere, ut unam alteramve sententiam eligamus eique soli veluti veræ adhæreamus. Hominem sic illuminatum testimonio Dei non posse non assentiri, ut adeo hic assensus sit effectus fidei & proprietas minus principalis, exigui ut plurimum momenti, si cetera bene se habeant. Ex his tandem infert, ad veritatem salutarem cognoscendam nulla opus esse arte, nulla Logica, Metaphysica nulla, Critica nulla; sed sinceritate, humilitate, docilitate, Deique amore.

Quam-

Quamlibet divino lumine factam manifestationem, sive ordinario modo fiat, dum in mente bene purificata lumen fide plenum afferat diem; sive extraordinario, quando transeunte quodam irradiandi actu hanc illamve veritatem detegat, esse in numerum revelationum referendam. Nullam vero revelationem immediate intellectui fieri, sed vel sensui, vel imaginationi, cum, quicquid revelatur, vel realiter, vel idealiter percipiatur. Varias hinc revelationum species constituit, atque in causam deceptionis in revelationibus inquirat.

Animadversionibus in theses Philosophi Scoti subjunguntur aliquot Accessiones. Earum prima de fide nuda, jam ante Germanice edita, fidei quinque actus essentialia recenset, nempe 1 Deum apprehendere, qualis in se est; 2 veritates omnes theologicas ex profectu in amore æstimare; 3 Deo voluntatem suam prorsus resignare; 4 omnibus propriis opinionibus abjectis, Christo se unire, tum in Christo ipso, & quidem in precibus, in adversis tolerandis, in peccatis propriis detestandis & purgandis, in hostibus spiritualibus oppugnandis, in operibus singulis peragendis, in virtutibus omnibus induendis; tum in sanctis ejus omnibus; 5 credere & sperare in Deum; 6 gratiam divinam virtute quasi magnetica attrahere. Actibus annectit fidei attributa, necessitatem, sufficientiam, securitatem, perpetuitatem, efficaciam, excellentiam super omnes delicias, possibilitatem in hac vita &c. Accessio altera de Scripturæ Sacræ certitudine disquirat. Affert primo Autor amici cujusdam sui demonstrationem methodo Mathematica conceptam. Tota vis istius demonstrationis huc redit. Supponit, Jesum Nazarenum vixisse, discipulos suos ea docuisse, quæ in scriptis Evangelistarum atque Apostolorum continentur, crucifixum esse; ejus vero discipulos propter ipsius doctrinam mortem obiisse. Supponit ulterius, neminem sanæ mentis mendacium gratis fingere in præsentissimam sui perniciem, imo mortem ipsam. Hinc infert, Christum revera resurrexisse, cum id Apostoli testati fuerint & propter hoc testimonium omnes calamitates mortemque ipsam læti subierint. Inde porro concludit, Deum a mortuis resuscitasse Christum, atque adeo veritatem doctrinæ ejus miraculo confirmasse. Esse

itaque religionem in Scripturis contentam veram. Autori tamen non opus esse videtur argumentis externis veritatem Scripturæ demonstrari: sed sufficere, si attendamus, num autor pietatem minime fucatam spiret, num ad Deum adducat, supremum ejus & proximi secundarium amorem, mundi ac sui ipsius contemptum, odiumque perpetuum & implacabile omnis generis peccatorum constanter urgeat, siq; autoris vitam doctrinæ conformem & constantiam inter medias persecutiones ob eandem passas consideremus. Accessio tertia de vera perfectione ac felicitate hac in vita attingenda jam ante idiomate Germanico prodiit. Agit in ea Autor de perfectione vitæ probativæ, quam nunc degimus, & ad eam requirit, *ut totius supremæ voluntatis studium omne, omnem amorem delectationemque in solo Deo puro, qualis in se ipso est, supra omnem creaturæ conceptum sensumque ac gustum, adeoque in pura fide nuda positum habeat homo; in hoc etiam amore puro ac pleno sine ulla intermissione in animo cogitationeque cum eodem directo & immediate conversetur; tum semper prospera inter & adversa, sive intus obveniant, sive foris, de sola Dei ac Servatoris nostri felicitate perfectioneque, quam in se ipso immutabiliter possidet, deque solo ejus beneplacito in hac pura nudaque fide constanter gaudeat, ejusque solius voluntati in omnibus letus vivat.* Hæc ulterius declaraturus differit 1 de peccato, 2 de imaginibus intermediis, 3 de natura amoris, 4 de fide nuda, 5 de interna cum Deo conversatione, 6 de justificatione, 7 de felicitate, 8 de cognitione Christi historica. Quemadmodum vero amorem Dei in eo consistere arbitratur, quod voluntatis supremæ studium omne in Deo puro ponamus; ita peccatum ipsi est aversio hujus amoris a Deo ad creaturas. Monet tamen, sensum creaturæ gratum in se, quatenus voluntas nostra in eo non acquiescit, non esse peccatum: nec cupiditatem carnis in se & per se, utpote quæ detur in nobis ante peccatum Jac. I, 14, 15. Affert argumenta alia, quæ apud ipsum videas. Vis eorum ab hypothesebus ejus supra expositis pendet. Conversationem cum Deo per imagines intermedias opponit conversationi directæ ac immediatæ. Quid sit directo & immediate cum Deo conversari, difficulter ait explicari ei, qui rei experientiam

entiam non habet : aliquo tamen modo per similitudinem mentem suam explicat. *Medium* vero *sibi objicere* dicitur homo, si creaturam, seu creaturalem conceptum, sensumque Dei, sive presentem, sive absentem, directo cogitat, ita ut cogitationem Dei vel plane perdat, vel certe per indirectum tantum retineat. *Speciatim imaginibus affecta* dicitur *anima*, si objecti absentis ideam seu imaginem directo & immediate cogitat. Hanc medii adhibitionem peccaminosam pronuntiat, quotiescunque consulto fiat. Amoris veri naturam in eo collocat, quod tantum quærat amans, quæ sunt amati, deque iis gaudeat. Unde infert, de nostra felicitate gaudendum, non in quantum nostra est, nosque eadem fruimur, sed quatenus est felicitatis Dei quædam adumbratio & gratiæ ipsius erga nos declaratio. De fide nuda jam superius dictum est. Justificationem cum sanctificatione eandem pronuntiat. Non quidem negat, per imputationem justitiæ Christi hominem coram Deo justificari; sed hanc imputationem fieri non posse putat, dum peccator adhuc extra Christum est, Christusque extra ipsum, seu antequam sanctificetur. Justitiam nobis imputari, dum ejus cum substantia nostra constans unio in intimo animæ fundo verissime perficiatur, Christo justitiæ suæ, divini luminis & amoris radios in nos mittente, nobisque incorporationis eorum in intima nostra admittendæ capacibus. Peccatum non esse actum transeuntem, sed inquinamentum, corruptelam & distortionem totius substantiæ nostræ omniumque facultatum ejus, per generationem naturalem vere communicatam & per regenerationem gratiæ a Christo realiter ablata. Omnem obscuritatem in articulo de justificatione ex confusione fori humani atque divini emanasse. In locis Scripturæ, quæ ad confirmandam doctrinam vulgarem adduci solent, per vocem justificationis intelligi non declarationem peccatoris pro justo, sed justitiæ in homine effectum. Meritum Christi ejusque vim & efficaciam cognitioni Christi historici non esse adstricta, neque hanc ad essentiam veræ fidei salvificæ in se & per se ita pertinere, ut quotquot historiam de Jesu Nazareno in hac vita non norint crediderintque, ad Deum venire non possint.

DISCORSO FISICO-MATEMATICO SOPRA
il Turbine &c.

i. e.

*DISCURSUS PHYSICO-MATHEMATICUS
de Turbine die 25 Januarii Anni 1708⁷/₈ Venetiis observa-
to; in quo simul de Aëre & Vaporibus, itemque de gene-
ratione Ventorum ac Turbinum in genere tractatur;
Auctore BERNHARDINO ZENDRINO,
Medico.*

Venetiis, apud Hier. Albrizzi, 1708, 8.

Plag. 4.

Postquam per duos fere menses integros hyemales, Decem-
brem præteriti, & Januarium præsentis anni Venetorum me-
tropolis aerem experta esset nebulosum ac pluviae prægnantem,
sine omni fere frigore, tandem die 25 Januarii anni currentis
exoriebatur hora 21 vespertina ventus Zephyro-Notus refu-
xum maris aliquantisper sufflamigans, qui tamen hora
24 videbatur fere in totum cessare. Postmodum vero hora se-
cunda nocturna exsurgebat derepente turbo spatium illud urbis
Venetæ, quod inter telonium (la Dogana) & pontem lapideum
magnum (Rialto) est, occupans. Sibilus tunc horrendus feriebat
aerem, qui igne accensus quasi apparebat intuentibus: naviculæ in
vicinia locatæ multum patiebantur a motu hoc aeris rapidissimo,
utpote quarum nonnullæ statim sub initium undis submergeban-
tur, aliæ, licet a spatio indicato longius remotæ, eo rapiiebantur ve-
locissime, aliæ a turbine tollebantur in altum, & cadentes iterum
non parum hauriebant aquæ: vicinarum ædium tegulæ evelleban-
tur & una cum aliis rebus non adeo firmiter platearum pavimen-
to affixis rapiiebantur in aerem ac transferebantur in loca dissita:
patulæ ædium fenestræ claudebantur, ita ut ventus omni exre-
gione verberare aerem videretur: Barometra durante hoc sta-
tu aeris turbido ascendebant ad quinque linearum altitudinem.
Ex allegatis horrendis his effectibus colligit Clariss. Autor,
tempestatem,

tempestatem hanc fuisse speciem turbinis, quales alias in mari a navigantibus etiam observantur, nihilque nisi ædes & palatia urbis in causa fuisse, quod plures numero, durante hac tempestate, sed minores, observati fuerint vortices. Hæc compendiosa tempestatum illius historia. Videamus jam summatim, quid in genere de aere, ventis ac turbinibus singula tractatus hujus capita, quorum quinque sunt, habeant. De aere docet, illum nihil esse aliud, quam collectionem effluviarum aquæ, terræ, reliquorumque corporum globi terraquei. Aeris particulas per molem æque ac figuram suam, quam spiralem facit, compressionis ac dilatationis esse capaces. Proportionem dilatationis assumit illam, quam observavit Ill. Boyle, ad cujus mentem unica aeris particula, ab excessivo frigore compressa, accedente iterum dilatatione ejus summa, 520000 vicibus se ipsam superare potest. Atmosphæræ altitudinem cum *de la Hire* statuit 127221 pedum. Aeris gravitatem satis probari a Barometris, mercurium suspendentibus, existimat, quæ tamen, quia æqualiter illa circumdat, nullum potest pressionis sensum in animalium corporibus causari, æque ac urinatores ab ambiente aqua sub undis non premi, experientia testetur. Vapores, ab effluviis supra memoratis, aerem componentibus, diversi, atque a globo terraqueo non minus ac illa ascendentes, examinantur Capite secundo. Hos differre secundum climatum globi differentiam, indeque fieri existimat Cl. Autor, quod unius ejusdemque paralleli incolæ, una eademque radiorum Solarium positione gaudentes, nihilominus maximam inter se diversitatem naturæ juxta & morum monstrent, exemplo Nigritarum, qui sub arcu Tropici Cancræ degunt, & nigerrimo colore distinguuntur ab aliis gentibus, cum tamen illi, qui sub eodem Tropico in Regno Peruviano vel India Orientali habitant, eandemque elevationem poli habent, ejusmodi colore minus sint picti. Vaporum origo adscribitur motui partis aeris subtilissimæ, quæ omnia penetrat, i. e. ætheris, quippe qui vehementia motus sui a durissimis etiam corporibus aliqua secum rapere ramenta valeat. Vapores hos vel nitrosos, vel sulphureos, vel aqueos, vel ex his compositos statuit. Nitrosi maximam partem

Cap. III.

partem constant ex igneis particulis, atque ideo in aerem elevati facile difrumpuntur, ac velocius agitati aeris spiras, ita premunt, ut inde dilatentur ac majus occupent spatium. Sulphurei nonnisi ratione admixtæ pinguedinis differunt a nitrosis. Multa alia salia in aere hinc inde dispersa, uti & præ ceteris radii Solares aliorumque corporum cœlestium, eandem fere cum nitrosis habent efficaciam. Ventum nihil aliud esse perhibet, quam commotionem aeris, pro diversa directione sua etiam diversam. Hinc quodvis globi terraquei punctum uti centrum venti potest considerari, sed, quod notandum, ut centrum physicum, quale e. g. urbis cujusdam tota sere capacitas esse possit. Origo ventorum deducitur ab elevatis in aerem vaporibus. Hi enim, dum ascendunt, non possunt non spiras aeris varios imprimere motus, prout navem videmus movere aquam ante quietam; sublato igitur per motum talem aeris æquilibrio, eo tendunt particule æthereæ, ubi minorem inveniunt resistentiam, i. e. ubi vapores in aerem elevati primam causabantur rarefactionem. Prout autem vapores illi successive ascendunt ita, ut per aliquot dies exhalationes ejusmodi aliquando durent, ita non minus ventus, harum effectus, per aliquot continuari potest dies; secundum differentem vaporum prodeuntium quantitatem. Certa & constans venti directio sequitur etiam vaporum motum, utpote qui per longam distantiam eundem in elevatione servare possunt tractum. Subtiliores vapores, qui altiora petunt, ventum producant in sublimiori aeris regione grassantem, prout e contrario graviores ventum terræ viciniorem causantur. Majora incendia sequitur ordinario ventus; rarefacto enim in loco, ubi incendia flagrant, aere, cum impetu eo tendit, sublato æquilibrio, gravior minusque rarefactus vicinus, ut supra demonstratum. Venti pro diversitate locorum, unde spirant, diversas producant tempestates: ita Venetiis venti ex Septentrionali plaga spirantes frigidi sunt & sicci, salutare ac serenitatem aeris afferentes, utpote qui in tractu illo, unde veniunt, nullas offendunt paludes aut maria: ex adverso illi, qui ex Meridionali plaga veniunt, atque in specie Euro-Notus, secundum tractum Sinus Veneti directionem

rectionem suam servans, semper colligunt nubes & pluviam generant, sanitati maxime adversi. Eurus e locis montanis oriundus frigus adfert, tandemque serenitatem producit. Zephyro-Notus etiam serenitatem promittit, ast minus durabilem, spirans e locis maritimis Fori Julii & Marchiæ Tarvisinæ. In aliis regionibus effectus dictorum ventorum observatur plane contrarius: exempli loco a Cl. Auctore allegatur Africa Septentrionalis tractus maritimus, ubi venti meridionales frigidi sunt & serenitatem aeris post se relinquunt: septentrionales e contrario a mari mediterraneo oriundi, humidi, pluviosissimi ac insalubres deprehenduntur. De Turbinis generatione atque effectibus sequentia habet Cl. Autor. Turbo ad mentem ejus est motus aeris vorticosus in medio sui spatio vacuum relinquens, ortus a violentia duplicis aeris tractus, cujus directiones ex amussi sibi sunt contrariæ. Sequitur autem turbo, quando vapores ex parvo quidem atq; angusto telluris spatio copiosi ac denso quasi agmine ascendunt. Dum postea duo quasi aeris flumina in opposita directione tendunt ad spatium illud ab exhalationibus occupatum, ibique æthereæ aeris particulae cum rarefactis vaporum atomis se uniunt, accidit hoc cum insigni violentia atque extrusione reliquarum particularum aeris ad latera, quæ natura sua non aliam directionem quam curvilineam habentes, in circularem tandem omnes desinunt motum, quo turbo perficitur. Figuram turbinis similem statuit siphoni vel tubæ conicæ, cujus altera extremitas horizontem tangit, altera se perdit in nubibus. Gyri enim illi, qui horizonti sunt viciniore, in motu suo majorem inveniunt resistantiam, unde circulus eorum angustior; quo magis remoti autem illi ab horizonte, eo debiliorem experiuntur pressionem incumbentis atmosphæræ, unde dilatatur necessario successive eorundem circulus. Et cum in violento illo spirarum aerearum motu nulla maneat immota, quæ non in gyrum circumagatur, evidens hinc esse putatur, in medio turbinis spatio nil nisi ætherem relinqui. De tempore existimat, tam diu durare posse turbinem, quam diu concursus aeris violento modo se feriens continuatur, i. e. quamdiu durat

Cap. IV

N n n

actio

Cap. V.

actio & reactio vaporum aerem rarefacientium, qua cessante, atque aere ad condensationem iterum declinante, vehementia illa motus sensim desinit, ac tandem penitus quiescit. Ultimum Caput de turbine illo in specie agit, qui Venetias ante hos octo menses tam strenue vexavit, & cujus descriptionem jam sub initio hujus recensiois dedimus. Restat, ut Lectorem paucis moneamus, Clarissimum Auctorem meditari jam Commentarios in Hyppocratis libros de Aere, Aquis & Locis, quos si eadem, qua praesentem libellum, ornabit doctrina atque eruditione, Orbem litterarium mirum in modum sibi obstringet.

*JO. MARIAE LANCISII, INTIMI CUBICULARII
& Archiatri Pontificii, de Subitaneis Mortibus
Libri duo.*

Juxta exemplar excusum

Romæ, sumptibus Jo. Frid. Gleditsch, Bibl. Lips. 1709, 8.
Alph. I.

NOva prodit editio libri eruditissimi cujus recensum superiori M. Aprili dedimus, ad prototypum accurate, quamvis minori forma, expressa, quo magnopere consultum imprimis Germanis nostris fuit, ad quos vel raro, vel immenso pretio advehuntur Italorum libri. Ceterum cum aliud nihil super sit, quod de hac editione dicamus, non erit forte ab hoc loco alienum, ut de Excell. Autore quaedam addamus, quæ ex Amici litteris Roma ad nos missis nuper accepimus. Nimirum Lancisius noster, gente Romanus, cum plures annos Anatomem publice Romæ summo cum plausu professus esset, ab Innocentio XI Pontifice in aulam vocatus est, ut ei ab intimo Cubiculo esset, & Archiatri munere fungeretur. Crescente hinc illius apud summum Pontificem opinione atque gratia, in Basilica S. Laurentii & Damasi Sacerdotium, quod Canonicatum vocant, honorificentissime impetravit, a quo ille post Pontificis mortem abstinuit, publica necessitate ac plurium Procerum amicitia privato ex otio ad suæ scientiæ pristinum exercitium communi Reip. commodo retractus. Interea dum in Romana Academia doceret, digniores scholas accepit Innocentii XII bene-

XII beneficentia, cui extremos vitæ dies agenti selectiores inter Medicos adfuit. At modernus Pontifex Clemens XI statim a creatione eum inter intimos cubicularios ad Archiatri munus benigne revocavit. Annum nunc agit Celeberrimus Lancisius quartum & quinquagesimum.

JOH. HENRICI BERGERI, JCTI, DE MATRIMONIO
Comprivignorum Disquisitio.

Lipsiæ, apud Joh. Frideric. Gleditsch, 1708, in 4to.

Plag. 16.

Historica est hæc Disquisitio ; quid enim circa celebrem, illam de matrimonio comprivignorum controversiam diversis placuerit Scriptoribus, nervose recenset Excellentissimus Autor. Quatuor igitur sententias in hoc articulo occurrere docet. Prima matrimonium comprivignorum jure divino simpliciter prohiberi contendit. Secunda e contrario nullo casu illud interdici censet, eaque Christianæ antiquitatis consensione stabilita omnium fere eruditorum animos occupavit. Tertia, quam Samuel Bohlius asseruit, ejusmodi matrimonium tum demum a Deo interdictum esse existimat, cum infans natus sit ex novo parentum conjugio, qui comprivignos utrosque sanguinis cognatione jungat : at quoad ejusmodi partus editus in lucem non sit, nihil obstare contendit, quo minus comprivigni matrimonium inire queant. Quarta eandem quidem prohibitionem adstruit, eam tamen conceptis verbis non esse factam, sed generali lege, qua Deus sanxerit, ne quis ad proximam carnem accedere conetur, comprehendit. Ex his sententiis primam, utpote ratione & applausu fere destitutam, sine ulteriori recensu Excellentissimus Autor dimittit, sed trium posteriorum rationes, quibus earum Autores vel propria asserta stabilire, vel opposita diluere conantur, succincte enarrat, ac litis hujus arbitrium Lectori relinquit, ita tamen, ut peracta relatione in hanc pronuntiet sententiam : comprivignorum conjugia permittenda non esse, si quidem ex parentum matrimonio proles prognata sit ; idem dicendum, si mater

prægnans sit, hac enim in parte foetum pro nato haberi; com-
privignorum conjugia, si quidem ante contracta & consumma-
ta sint, quam foetus quidam in parentum conjugio conceptus
sit, post conceptam natamque prolem non esse rescindenda.
Eodem modo rem comparatam esse, si duo comprivigni nu-
ptias celebrarint, ac foetum ex suo matrimonio susceperint:
tum enim ob easdem causas parentum, vitrici nimirum & no-
vercæ, nuptias non concedendas videri, quamvis alioqui pro-
prie atque civili sensu sese affinitate minus contingant; *arg. l.*
ult. 8, 14 de grad. Hinc tandem etiam Autor consultissimus ad-
monet majoremque in modum judices rogatos vult, qui de
causis matrimonialibus cognoscunt, uti deinceps ejusmodi com-
privignorum conjugia ne permittant. His subjecta sunt, si
quidem Cothmanni, Bohlii Fabritiique spissa volumina excipi-
as, cum Theologorum, tum Criticorum atque Jctorum, de
controversia hac judicia, & e Theologis quidem nominatim
Danielis Crameri, Wolffgangi Franzii, Johannis Gerhardi, Casp.
Erasm. Brochmandi, Hieronymi Kromayeri, Henrici Mulleri,
Augusti Varenii, Abrahami Calovii, Joan. Contr. Danhaueri, Joan-
nis Adami Scherzeri, Michaelis Havemannii, Theodorici Hack-
spanii, Augusti Pfeifferi, Jo. Bartholdi Niemeieri. E Criticis
P. Fagii, Ludovici de Dieu, Joannis Cocceji, Joannis Seldeni, Jo.
Henrici Hottingeri, Joannis Clerici. Denique e Jctis Anto-
nii Matthæi, Reinhardi Bachovii, Benedicti Carpzovii, Henrici
Brouveri, Samuelis Strykii, Christiani Thomasi & Hieronymi
Bruckneri, quibus omnibus tandem bina Consistorii Fridenstei-
nensis Rescripta accesserunt.

*JANI VINCENTII GRAVINÆ, JCTI ET ANTE-
cessoris Romani, Origines Juris Civiles, quibus ortus &
progressus Juris Civilis, Jus Naturale, Gentium & XII
Tabb. Legesque ac Scta explicantur. Libri tres;
ad CLEMENTEM XI, Pont.
Max.*

Lipsiæ, apud Jo. Fridericum Gleditsch, 1708, 4.

Alphab. 5.

Prodierunt denique pulcherrimo habitu ac typis nitidissimis, qui multum hæctenus ab Eruditis desiderati sunt, Originum Juris Civilis Libri III, a *Jano Vincentio Gravina*, Jcto celeberrimo, & omnis doctrinæ elegantioris promo condo, magna cura conscripti. Etsi vero primum Originum Librum jam tum A. 1701 Neapoli & biennio post Lipsiæ in octava forma prodiisse, vel ex Actis nostris A. 1703 p. 383 & 1704 p. 145 abunde constet, eundem tamen reliquis, quos nitide descriptos Consultissimus Autor Bibliopolæ Lipsiensi solertissimo Gleditschio excudendos transmisit, adjungere visum est, ut ita operi elegantissimo sua constaret integritas. Quoque magis de utilitate Originum harum pateret Lectori, Jo. Burchardus Menckenius noster, Consil. & Historiographus Regius & Electoralis Saxonicus, justam ad Auctorem Epistolam præmisit. Nos cum de primo Libro l. c. dictum sit, de posterioribus, quantum instituti ratio patitur, hoc loco quædam addere non gravabimur.

Quemadmodum ergo in primo Libro Juris Civilis originem & progressum inde a prima temporum memoria, genuinis ubique historiæ monumentis in consilium adhibitis, ostendit, ita Libro secundo in fontes magis reconditos inquirat, & non Regii modo & imprimis duodecim Tabularum, verum & universi Juris Naturalis atque Gentium ortum ex interioribus causis arcessit, ac tertio denique Libro civilis regiminis principia atque indolem variasque Rerumpubl. rationes considerat, & vetustas Romanorum Leges & SCta accurate examinat. Ac primum quidem in naturalibus juris principiis inveniendis occupatus, hominem docet, duplici natura, corporis scilicet ac mentis, præditum, duplici pariter lege divinciri, altera promiscua, quæ corpori imperet & menti, quatenus cum corpore conjungitur, altera solius mentis, quæ promiscuæ sæpius repugnet. Promiscuam vocat motionem illam ubique pervadentem, omniaque cientem & agitantem, resque varias assiduo produ-

p. 234.

235.

P. 237.

239.

241.

245.

246.

247.

254.

270.

centem simul & interimentem, ex interituque unius alteram suscitantem; quæque adeo communis homini sit cum aliis, etiam ratione carentibus. Legem autem, quam vocat, mentis soli homini ratione prædito attribuit, eamque ait in divinæ legis lineamentis in homine adumbratis, & ab ipsomet animorum exordio, si non perfecta, inchoata tamen affectaque religione consistere. Hominem ergo, qua corpore constat, lege naturæ promiscua, qua mente, sola rationis lege duci, quæ multo illa sit præstantior. Pulchre deinceps actiones ab utraque lege proficiscentes expendit, ac ubi de origine virtutum ac vitiorum, quæ naturæ morbos vocat, accurate disseruisset, de domestica societate agit, & imperium domesticum naturale Patrifamilias jure occupationis naturalis ob præstantiam corporis & mentis acquiri censet. Virum enim corpore ac ratione potentiolem jure utriusque naturæ & foeminam occupare, & foetum ab illa progenitum, ceu portionem sui & viscerum maternorum a se occupatorum. Præterea cum vir foeminam consilio præstet, ætas autem infima consilio egeat alieno, consequi, prolis educandæ regendæque curam patri relinquendam esse. Jus Gentium deinde persequitur, quod non uni familiæ, sed pluribus regendis est institutum, cumque pluribus gentibus communicatum. Hic in originem commerciorum inquirit, deque permutatione rerum ac belli pacisque jure agit, tum imperium civile expendit, & ad muniendam propagandamque societatem sapientioribus haud dubie imperium in eos competere statuit, qui mente sint imbecilliori, & ad parendum a natura facti, atque adeo illos ferinos horum mores pœnis coercere, finitimorumque feritatem justa ex causa persequi posse. Investigatis porro jurisdictionis legumque variis regionibus propriarum fontibus & ratione diversa, Jus Papyrianum imprimis considerat, seu legum Regiarum reliquias & fragmenta, multaque Romanæ disciplinæ capita inter Regias leges collocari observat, quæ potius ad mores pertineant e Regum exemplo ductos, eorumque autoritate constitutos; & Sigonium carpit, qui eas tantum leges Regias sublatas censuit, quæ ad Regiam dominationem firmandam pertinerent. Certiora dehinc legum Regiarum,

Regiarum, quas superesse colligit, vestigia secutus sigillatim nonnullas recenset & erudite explicat. Nos legem unam e reliquis producemus: SEI PARENTEM PUER VERBERIT, AST OLOE PLORASSIT, PUER DIVEIS PARENTUM SACER ESTO. Hic veteres *sei* pro si Græca diphthongo scripsisse innuit: *verberit* pro verberet, ut *edim, edis, edit* pro edam, edas, edat, antique: *oloe* pro illi: *plorassit* pro convitia dixerit. Summam ergo hanc esse: puerum, qui parentem verberasset, sacrum esse, sive Diis parentum devoveri, quibus ceu hostia mactari queat. Inde ad Leges XII Tab. conversus docet, eas partim ex sanctionibus, quæ de Regio jure superfuerint, partim ex institutis, quæ P. Posthumius, Sex. Sulpitius & A. Manlius ex Atheniensium, Lacedæmonum & Magnæ Græciæ urbibus, civili Pythagoreorum Philosophia imbutis retulerint, collectas esse. Easdem æneis tabulis incisas in foro jussu populi fuisse collocatas, ne quem laterent; a quibus multum differre docet eboreas, seu potius roborreas tabulas, Pomponio memoratas, quæ non tam ut observarentur in perpetuum, quam ut emendarentur, a Populo publice fuerint propositæ. Hinc Hotomannum imprimis secutus leges singulas breviter & eleganter explicat, cumque aliæ ad privatum jus, aliæ ad publicum, sub quo & sacrum contineri cupit, referantur, primum juris privati, deinde publici seriem deducit. Germana autem & vera harum legum fragmenta producere conatur, neglectis iis, quæ ex interpretum potius ingenio, quam veterum monumentorum fide prolatae sint. Itaque male inter leges XII Tab. referri existimat, quas Cicero in libris de Legibus, exemplo legum Platoniarum, confinxit. Sed exemplum legis pulchre a Nostro explicatae producemus. Sit ista: CUI TESTIMONIUM DEFUERIT, IS TERTIIS DIEBUS OBPORTUM OBVAGULATUM ITO. Cujus sensum hunc esse censet: *ei, qui testimoniis destituitur, liceat tertiis nundinis reum ante ades convitiis obruere.* Nimirum legem hanc contra Turnebum, Salmasium aliosque, qui pro *defuerit* defugerit legentes eam ad testem testimonium defugientem pertinere arbitrati sunt, ad actorem potius testimoniis destitutum refert. Docet vero, cum evenerit, ut, qui rem suam ab aliquo in judicio repetebat,

careret

p. 271.

276.

278.

279.

391. sq.

careret testibus, Decemviros facultatem dedisse actori, ut ante domum rei clamoribus, imo & convitiis, rem suam flagitaret ternis diebus ac ternis nundinis, sive nono quoque die, quo Romani ex agris in urbem ad nundinas convenire consueverant; unde natum simul observat Noster, ut adhuc tribus edictis reus citetur. Quod si vero reus rem tradere detrectaret, licebat actori, accitis sui clamoris testibus, rei domum intrare, rem suam, sicubi inveniret, ablaturus. Atque eum clamorem obvagationem ad portum, hoc est, ante domum vocabant; eoque refert Plauti locum:

Ita me bene amet Laverna, te,
Jam nisi reddi mihi vasa jubes,
Pipulo hic differam ante ædes.

Ubi *pipulum* prisca lingua convitium notare observat. Sic & ceteras leges & earum fragmenta peregre exposit, additis in fine hujus Libri XII Tabulis, accurate una cum luculenta paraphrasi descriptis, quarum I de in jus vocando, II de judiciis & furtis, III de rebus creditis, IV de jure patrio & jure connubii, V de hæreditate & tutelis, VI de dominio & de possessione, VII de delictis, VIII de juribus prædiorum, IX de jure publico, X de jure sacro inscripta est, undecima vero V priorum Tabb. & duodecima totidem posteriorum Supplementum dicitur.

p. 631.

Libro III doctissimus Auctor, præmissa sollicita Imperii Civilis investigatione ad Leges & Sæta progreditur, quorum uti condendorum, publicandorum, approbandorum vel improbandorum atque abrogandorum rationem Libro primo exposuit, ita hic singulorum summam sigillatim considerat. E Legibus speciminis loco producimus Cinciam; a tribuno plebis M. Cincio A. U. C. 549 latam, quæ cum oratorum fraude contemneretur, revixit sub Augusto per S. C. sub Claudio tamen novus muneribus Oratorum modus constitutus. Eandem legem *muneralem* vocare Plautum, ut ipse testetur Festus, eoque patere Noster censet, quod præter Oratorum donationes etiam aliæ omnes fuerint hac lege imminutæ, maxime cum

Justinia-

Justinianus & Jcti in plurimis Juris locis *legitimi modi donationum* meminerint, ad Cinciam haud dubie legem respicientes. Ceterum solennitatem quoque traditionis per mancipationem & nexum ex hac lege injunctam fuisse, exceptis donationibus inter parentes & liberos, docet, & perperam eam cum lege Titia, ad sponsiones potius spectante, quas non nisi virtutis causa fieri licebat, conjungi Cujacium secutus affirmat. De nique ex Sctis Julianum hic afferamus, a Q. Julio Balbo Consule ita dictam, quod Græci Adrianum, utpote factum Adriani jussu, appellant. Causam ei præbuisse ait hereditatem fisco delatam ex legibus caducariis; quod, bonis hereditatis ab iis, qui se heredes putabant, jam distractis, ea revocari damnunumque fisci sarciri conveniret; commune tamen & privatis heredibus hoc S. C. esse ait adversus eos, qui sive bona, sive mala fide res hereditarias aut possideant aut distraxerint. Quæ alia in hoc S. C. contineantur, brevitatis memores omittimus; plura enim ex præstantissimo hoc opere referre non patitur instituti nostri ratio. Interim Lectorem ignorare nolumus, doctissimum Gravinam Orationes etiam nitidissimas varii argumenti, & Institutiones Juris, quas jam descriptas brevi emendabit, ad Gleditschium nostrum, ut Lipsiæ excudantur, transmissurum. Idem & *de ratione Poetica* librum vernacule scriptum Romæ prelo subjecit, quem mox expectamus.

p. 651.

JOHANNIS HUBNERI, RECT. GYMN.
Martisburg.

KURZE FRAGEN AUS DEN NEUEN
und alten Geographie.

i. e.

COMPENDIUM GEOGRAPHIÆ NOVÆ
& Veteris, methodo Erotemica concin-
natum.

Lipsiæ, apud Jo. Frider. Gleditsch, 1708, 12.

Alphab. 2.

KURZE FRAGEN AUS DEN
Politischen Historie.

O o o

i. e.

i. e.

COMPENDIUM HISTORIÆ CIVILIS, METHODO
Erotematica concinnatum.

Tomi X.

Ibid. apud eundem; inchoatum 1697, absolutum 1707, 12.
Alphab. 22½.

KURZE FRAGEN AUS DER
Genealogie.

i. e.

COMPENDIUM GENEALOGICUM, METHODO
Erotematica conscriptum.

Ibid. apud eundem, 1708, 12.
Alphab. 1½.

CCCXXXIII GENEALOGISCHE
Tabellen.

i. e.

TABULÆ GENEALOGICÆ TRECENTÆ
triginta tres.

Ibid. apud eundem, 1708, fol.
Alph. 4.

HAud malam apud Lectores nostras gratiam nos inituros
speramus, dum uno conspectu exhibemus Opera Geogra-
phico-Historico-Genealogica, quæ sparsim hactenus Vir cele-
berrimus deque studiosa juventute immortaliter meritis, Jo-
annes Hübnerus, Collega noster honoratissimus, intra aliquot
annorum spatium magno lectorum fructu vulgavit. Primum
in his locum obtinet Compendium Geographicum, quod ut
libri memorialis vice esset Auditoribus, cum Lipsiæ privatas
scholas institueret, anno 1693 primum cum Præfatione Chri-
stiani Weisii, Rectoris Gymnasii Zittaviensis, quem præcepto-
rem quondam habuit, publicavit doctissimus Autor.

Hinc

Hinc plures subinde observationes Geographicas nactus, quas ex omni ferme plaga curiosiores submittebant, iterum iterumque accuratiorem atque emendatiorem vulgavit librum, adeo ut decima octava, quæ hoc anno prædiit, editio longe perfectissimum Geographiæ compendium præbeat. Nectantum probatus Germanis nostris est hic liber, verum & Belgis ita placuit, ut in vernaculam a Nicolao ten Hoorn translatum Amstelodami anno superiore vulgaverint hoc titulo: *Kort Begrip van de Oude en Nieuwe Geographie*; qui libellus cum Hübneriano plane convenit, nisi quod quæstiunculas, quas Auctor nostræ ætatis genio admodum accommodatas censuit, omittere Belgæ interpreti visum est. Ceterum quas immenso labore hætenus molitus est Cl. Hübnerus, novas Tabulas Geographicas, pace demum facta, qua turbatos Europæ fines rursus in ordinem redactum iri speramus, in publicum editurus est.

Sed pergimus ad Historiæ Civilis Compendium, intra decem annos totidem Tomis incredibili labore absolutum, in quo concinnando pariter methodo usus est erotemica, quam in Compendio Geographico multis probatam cognoverat. Ita vero materiam totius operis disposuit, ut Tomus I quatuor Monarchias, Tomus II, III & IV præcipua Europæ Regna, Tom. V, VI, VII & VIII Historiam Germaniæ, Tomus IX Asiæ, Africæ & Americæ memorabilia, & tandem Tomus X totius operis anacephalæosin complecteretur. Ex hac Historiæ Civilis epitome novum compendium facere, ineptum foret: at circa singulos tamen Tomos unum & alterum observare, non alienum erit. Tomus I, A. 1697 editus, eam Historiæ Civilis partem absolvit, quam Universalem appellare consuevimus. Hic cavendum sibi duxit doctissimus Autor, ne in defectu peccaret, quod illis accidit, qui de quatuor Monarchiis, præter nuda imperantium nomina, nihil fere afferunt. Multa igitur de Populo Dei; de priscis Græcorum Rebus publicis; de gestis Romanorum sub Regibus atque Consulibus; de Saracenorum Caliphis & Turcarum Sultanis adjecta sunt, quæ apud alios Epitomatores frustra quæras. Ceterum Historiam hanc tam arctis limitibus circumscripsit, ut nihil ad eam retulerit, quod

potiori jure in particulari aliqua historia locum habere mere-
retur. Tomus II, A. 1698 vulgatus, continet Europæ Regna,
quæ ad Occidentem spectant, Hispaniam puta, Portugalliam,
Galliam, Angliam, Scotiam & Hiberniam, quibus rerum Bel-
gicarum & Helveticarum compendium subnectitur. Præcipu-
um hic usum præbebit Liber IV, quo Regnum Lotharii ejusque
historiam ita enodavit, ut quisque rerum ad Austrasiam, Burgun-
diam, Belgium, Lotharingiam, Alsatiam, Helvetiam, Sabaudi-
am, Delphinatum & Provinciam pertinentium origines nullo
fere negotio perinvestigare possit. Tomo III, qui A. 1699 prodi-
it, primo ad plagam Australem conversus Autor, totius Ita-
liæ Historiam ita pertexuit, ut 1 de Pontifice Romano; 2 de
Regnis utriusque Siciliæ, Sardiniz atque Corsicæ; 3 de Duca-
tibus Sabaudiz, Pedemontii, Montis Ferrati, Mediolani, Mantuæ,
Parmæ, Mutinæ, Florentiæ, Mirandulæ, Monœci & de Insula Ma-
lita; 4 de Rebus publicis Venetorum, Genuensium, Lucensium &
S. Marini; & 5 de Regno Cypri, velut coronidis loco, ageret. Dein-
de oculis in plagam Septentrionalem retortis, Danorum, Norva-
gorum, & Suecorum res gestas ea, qua par erat, fide, Suaningi
chronologiam ubique secutus, explicuit. In Tomo IV, A. 1700 in
lucem edito, describuntur regiones, quæ Orientem versus ad A-
siæ usque fines pertingunt. Continet igitur Liber 1 Bohemi-
am, cum Moravia, Silesia & Lusatia; Liber 2 agit de Polo-
nia, Borussia, Livonia & Curlandia; Liber 3 describit Hun-
gariam, Transylvaniam, Moldaviam & Wallachiam; Liber
denique 4 Russorum, Cosaccorum atque Tartarorum res ge-
stas exponit. In Tomo V, A. 1702 publici juris facto, post bre-
vem in res Germanicas introductionem, agitur Libro 1 de Au-
stria, Stiria, Carinthia, Carniola & Comitatu Tyrolensi; Li-
bro 2 de Bavaria & Palatinatu; Lib. 3, post generalem Sueviæ
historiam, de Ducatu Würtembergico & de Marchionatu Ba-
densi; Libro 4 de Franconia, Thuringia & Hassia, & Lib. 5 de
universa Domo Saxonica. Tomus VI prodiit 1703. Liber 1 recen-
set Principes Anhaltinos & Duces Saxo-Lauenburgicos; Liber
2 Duces Brunsvicenses & Luneburgenses; Lib. 3 Duces Sles-
vici & Holstatiz; Liber IV Duces Megalopolitanos & Pome-
ranos,

ranos ; Lib. 5 universam Domum Brandeburgicam ; Lib. 6 reliquos Imperii Principes seculares, Arembergios, Hohenzolleranos, Eggenbergios, Lobkovizios, Salmenses, Dietrichsteinos, Nassovienses, Auersbergenses, Orientales - Frisios, Fürstenbergicos, Oetingenses, Lichtensteinios, Crojenses, Piccolomineos, Portianos atque Schwartzburgicos. In Tomo VII, qui A. 1705 prelo subjectus est, describuntur tres Germaniæ Metropoles, Electorali dignitate conspicuæ, cum earum Episcopis suffraganeis. Liber itaque 1 exhibet Archiepiscopos Moguntinos, Episcopos Bambergenses, Herbipolitanos, Wormatienses, Eichstettenses, Spirenses, Argentoratenses, Augustanos, Constantienses, Curienses, Hildesienses, Paderbornenses, Halberstadienses atque Verdenses ; Liber 2 continet Archiepiscopos Trevirenses, cum Episcopis Metensibus, Tullensibus, & Virodunensibus ; Lib. 3 recenset Archiepiscopos Coloniaenses, & post eos Episcopos Leodienses, Ultrajectinos, Monasterienses, Osnabrugenses atque Mindenses. Tomus VIII A. 1706 evulgatus est. Habes hic Libro 1 Metropolin Salisburgensem, ad quam referuntur Episcopatus Frisingensis, Ratisbonensis, Passaviensis, Brixienensis, Gurcensis, Chiemensis, Secoviensis, Lavantinus & Tridentinus ; Liber 2 agit de Metropoli Vefontina, cui subjiuntur Episcopatus Basileensis & Lausoniensis ; Liber 3 complectitur Metropolin Magdeburgicam, cui olim suffragati sunt Episcopi Martisburgenses, Numburgenses, Misenenses, Brandeburgenses atque Havelbergenses ; Liber 4 tandem ab oculos ponit Metropolin Bremensem, & ejus quondam suffraganeos Episcopos, Lubecenses, Slesvicenses, Raceburgenses, Suerienses, Lebusienses & Caminenses. Tomus IX, A. 1707 publici juris factus, continet, quicquid in singulis Asiæ, Africæ ac Americæ Regnis atque provinciis antiquo, medio & hoc nostro ævo notatu dignum accidit. Habes itaque hic in compendio res Argonautarum, Trojanorum, Amazonum, Arabum, Persarum, Indorum, Sinensium, Abessinorum, Americanorum, ut reliquos taceamus, de quibus alii spissis voluminibus commentati sunt. Accessit demum Tomus X, eodem anno impressus, in quo comprehenduntur Introductiones omnes, quas

singulis

singulis Tomis seorsim præmiserat Autor Cl. quo consilio id consecutus est, ut & repetitio sit facilior, & ut pauperiores, si vel maxime novem Tomis careant, ex decimo tamen rudimenta studii historici ponere possint. Ceterum per totum opus, quoad ejus fieri potuit, accuratam temporis rationem habuit, atque in eo magnum operæ pretium consecutus est: gravibus autem causis adductus Calvisii potius, quam aliorum Chronologorum computandi rationem secutus est. Gratum præterea non paucis accidit, quod singulas historias particulares non tantum ad nostra usque tempora continuare, sed etiam ab ultima gentis origine repetere conatus est. Ita enim fit, ut nihil facile accidat, quod non statim suo loco annotare possint Lectores. Omnem quoque dedit operam, ut singulas historias, magno memoriæ adminiculo, in accuratas Periodos describeret: qua in re nullius autoritatem secutus, sed proprio potius ingenio usus, partitionis fundamentum in ipsa re quærendum esse duxit. Denique etsi Compendio huic multa autorum probatissimorum, e quibus illud collegit, nomina infarcire supervacaneum duxerit, attamen ne alii, qui vel ultra compendium sapere volunt, vel fidem ipsius in dubium vocant, justam de non allegatis autoribus conquerendi causam habeant, in Præfatione Tomi X rationem ostendit, qua eorum desiderio a se satisfieri posse arbitratur. Neque dubium est, quin datam fidem, ubi primum per alia negotia licuerit, sit liberaturus.

His scriptis etsi ita sibi hæcenus devinxit Germanos nostros celeberrimus Hübnerus, ut ea nunc omnium manibus terantur, attamen, si quid judicamus, se ipsum superavit, editis nuperrime Genealogiæ Tabulis synopticis CXXXIII, quas utilissimo Compendio Genealogico, per erotemata composito, ita illustravit, ut nihil jam supersit in hoc studio, quod non planum omnibus videri queat & obvium. Præcipue autem id spectabat Cl. Autor, uti ex Præfatione patet, ut Historiam Civilem, decem Tomis absolutam, iis in locis, ubi res ad Genealogiam recidit, hisce Tabulis illustraret. Pertinent igitur ad historiam Populi Dei Tabulæ novem; ad Monarchiam Assyriorum 2; Persarum 1; Græcorum 5; Romanorum 17; ad Regna Hispaniæ 6; Portugalliæ 3; Galliæ 12; Angliæ 11; Scotiæ 3; Daniæ 4; Norvagiæ 1; Sueciæ 4; Poloniæ

Ioniæ 5 ; Bohemiæ 3 ; Hungariæ 2 ; Russiæ 2 ; ad res Burgundicas 5 ; Belgicas 5 ; Helveticas 2 ; ad historiam Lotharingiæ 7 ; Silesiæ 6 ; ad familias , Austriacam 8 ; Bavaricam 5 ; Palatinam 10 ; Saxoniam 26 ; Brandenburgicam 11 ; Brunsvico-Luneburgensem 9 ; Megalopolitanam 5 ; Pomeranam 3 ; Würtembergicam 7 ; Hassiacam 6 ; Slesvico-Holsatam 15 ; Badensem 5 ; Anhaltinam 7 ; ad Principes Imperii , quos recentiores vocant, 39 ; ad Archiepiscopos & Episcopos Germaniæ 4 ; ad historiam Pontificum 4 ; Regum Siciliae 6 ; reliquorum Italiae Ducum 34 ; ad Asiam, Africam & Americam 10. Ita vero in concinnandis hisce Tabulis se gessit Cl. Autor, ut non modo præsentem omnium Familiarum statum ob oculos poneret, sed etiam ultimas earum origines indagaret. Deinde omnes ingenii nervos ad id intendit, ut difficultates, quibus hoc studium hæctenus laborare visum est, quantum fieri potuit, tollerentur. Itaque multas Tabulas adjecit, quæ hæctenus desideratæ sunt, v. g. de Pontificibus Romanis ; de Principibus Ecclesiasticis in Germania ; de Regibus Asiaticis, Africanis & Americanis, etc. Sæpe plures Tabulas in unam contraxit, ut multas personas ad eandem historiam concurrentes uno obtutu cernere posses : testatur hoc Tabula 79 de successione in Regnum Britanniae ; Tabula 130 de connubiis fatalibus Archiducum Austriae ; Tabula 69 de unione Provinciarum Belgicarum. Ubi vero unica pagina tot personas capere non potuit, ita Tabulas disposuit, ut, quarum una illustraret alteram, eæ sibi invicem e regione opponerentur : videatur Tab. 58 & 59 de successione in Principatu Novo-Castrensi ; item Tab. 8 & 9 de Genealogia Christi secundum Matthæum & Lucam. Sæpe quoque contrario consilio Tabulas multiplicavit, ut, quæ ex nimia brevitate oriri solet, confusio evitaretur. Ita gentem Palatinam per 10 ; Saxoniam per 26 ; & Holsaticam per 15 tabulas distribuit. Imprimis autem, ubi in plures Lineas abeunt Familiae, per Tabulas mnemonicas memoriae succurrendum esse duxit. Huc pertinet Tab. 36 de variis Hispaniae Regibus ; Tab. 48 de quintuplici stirpe Regum Galliae ; Tab. 137 de septem lineis Domus Palatinae ; Tab. 148 de antiquis Ducibus Saxoniae ;

xoniæ; Tab. 158 de linea Ernestina; Tab. 167 de linea Albertina; ut alias quam plurimas taceamus. Tandem labore haud vano & miro artificio materiam in manuscripto sic disposuit, ut typhotheta nulla litterarum inversione, nullis asteriscis, nullis obeliscis, nullis aliis signis aut characteribus opus haberet. Ceterum in eo nunc occupatur imprimis Autor doctissimus, ut Historiæ Civili, quæ ultimam manum jam experta est, propediem subjungat Historiam Ecclesiasticam, eodem methodo in Compendium redactam. Quod opus ut cum pluribus, quæ molitur, elegantissimis scriptis feliciter absolvat, vires optimo Viro, vix quadragesimum ætatis annum supergresso, integras atque inconcussas publico nomine aprecamur.

A FAITHFUL ABRIDGMENT OF THE WORKS
of that leanerd and judicious Divine, Mr. Ri-
chard Hooker &c.

h. e.

*EPITOME ACCURATA OPERUM THEOLOGI ERU-
diti insignique judicio præditi, RICHARDI
HOOKER; cum ejusdem Vita.*

Londini, apud Benjaminum Bragg, 1705, in 8.

Constat 1 Alph. 3 plag.

Celebre inter Anglos nomen adeptus est *Richardus Hooker*, dum in suis de Politia Ecclesiastica libris statum Ecclesiæ Anglicanæ contra Puritanos erudite defendit, optaruntque complures Viri eruditi, ut libri isti in Latinam linguam transferrentur, quo in exterorum etiam notitiam venirent. Id tamen hæctenus factum non est; præsentemque Epitomen in gratiam civium suorum patrio idiomate conscripsit Autor, cum multa nunc dissidia inter Presbyterianos & Episcopales in Angliâ flagrent.

flagrent. Agit autem Libro primo de lege in genere, ac fuse in primis explicat, quomodo ad notitiam legis rationis perveniatur. Lib. 2 disquirat, num Scriptura Sacra sola sit omnium actionum regula, ita ut peccatum sit, quæ juxta eam non dirigitur. Concedit, Scripturam perficere ministrum Ecclesiæ ad docendum viam salutis; sed non facere Juris peritos, Medicos, Mathematicos, quorum tamen actiones sint quoque bonæ. Non omnes leges per Scripturam; verum multas etiam per rationem manifestari. Neque enim, quod in Scriptura non legitur, sed quod ipsi contrariatur, falsum esse atque injustum. Lib. 3 defendit, non opus esse, ut disciplina Ecclesiastica in omnibus Ecclesiis eadem existat, licet aliqua ubique requiratur. Hinc nec necessarium fuisse, ut in Scripturis a Deo definireretur, utpote per se ad vitam æternam consequendam non faciens: sed a Deo regentium arbitrio relinqui potuisse. Lib. 4 refutat asserentes, quod politia Ecclesiastica Anglicana ceremonias ac ritus Papales sapiat, ceremoniarum necessitatem ad attentionem præsertim conciliandam luculenter commonstrans, & singulas, quæ culpantur, speciatim examinans. Lib. 5 aciem in eos stringit, qui multum superstitionis in religione Christiana hodie superesse contendunt: ubi omnium ceremoniarum in cultu etiam nostro publico usitatarum rationalem explicationem legas utilitatemque monstratam reperias. Lib. 6 de jurisdictione Ecclesiastica & Lib. 7 de divina Episcoporum origine, potestate atque auctoritate agit, ipsorumque a Presbyteris differentiam ex historia Ecclesiastica primorum Seculorum probat. Tandem Lib. 8 jura Principum in sacra sub incudem revocat. Octo hi de disciplina Ecclesiastica libri maximam eamque præcipuam operis partem absolvunt: reliquæ scriptiunculæ pleræque homileticæ sunt, e. gr. discursus de justificatione, sermo de natura ambitionis, alius de certitudine & constantia fidei in electis, & duo sermones in partem Epistolæ Judæ.

ELOGIUM CONRADI SAMUELIS
SCHURZFLEISCHII.

Ppp

Haud

HAud levem jacturam nuper fecit Respublica literaria, **H**mortuo **CONRADO SAMUELE SCHURZFLEICHIO**, Polyhistoro summo, Consiliario Saxonico Vinariensi, & in inclyta ad Albim Academia Doctore humanitatis longe celeberrimo. Qui quo clarius doctrina meritisque maximis in orbe erudito eminuit; hoc magis ad exemplum interesse putamus, ut, qua is ratione ad tantum eruditionis famæque gradum ascenderit, luculentius appareat. Natus ille est Corbaci in Valdecensi Comitatu, A. M DC XLI Mense Decembri. Pater ei fuit M. Joannes Schurzfleischius, quem ipse Filius Philosophum & Theologum doctum appellavit, quique primum in aula Wildungensi Comitis Volradi a sacris concionibus fuit, deinde autem, Comite e finibus excedere coacto, Scholæ Corbacensi præfectus est. Matrem habuit foeminam ornatissimam, Annam Gudam Benignam, ex veteri Fuldarum Hassiæ stirpe oriundam. Majores Schurzfleischii ultra annos quadringentos in agro Wildungensi consedisse & in bellis Belgicis sub Austriis aliquando meruisse dicuntur. Fuit jam in puero singularis docilitas ingenii, magnusque in optimarum literarum studia impetus. Hinc igitur non Parentis solum institutione, sed Nifanii etiam & Scipionis, aliorumque, qui in patrio Gymnasio docendæ juventutis partes sustinuerunt, disciplina adeo profecit, ut jam tum gravissimi Viri præclara quæque de tanta adolescentis indole ominarentur, ac nominatim Joannes Viotor, in aula Valdecensi Cancellarius, (quem Conradus materna necessitudine attingebat) in publico adolescentum examine Parenti de tali Filio gratulatus spe maxima verissimaque prædiceret, Valdecum huic ingenio non suffecturum, in eoque Salmasium alterum ac Boxhornium erudito Orbi certo promitti. Tam pulchris ominibus Giessam dimissus est Conradus, ut penitus excoleretur, cum vix annos sexdecim natus esset. Florebant ibi tum temporis Feuerbornius Menzerusque, Theologi præstantissimi, item & Tabor, Jureconsultus celeberrimus; quorum scholas ille non negligebat. Inprimis vero Jo. Conrado Diterichio, cum quo Patri singularis semper amicitia intercesserat, doctore atque hospite per triennium utebatur. In-

de an-

de anno M DC LXI, suafu Vietoris, Vitebergam commigra-
 vit; ubi Ægidii Strauchii ſcholæ eum per tres annos detinue-
 runt; quippe quo duce abſtruſam temporum rationem maxi-
 me excoluit, rerumque omni ætate domi forisque geſtarum co-
 gnitionem accuratori diligentia ſibi comparavit. Imo & ab
 initio diviniſſimorum literarum ſtudio ſe dare viſus eſt; unde Ca-
 lovium, Meiſnerum, Quenſtedium, Deutſchmannum, præcla-
 ra illa eccleſiæ noſtræ ornamenta, magna veneratione ſuſpexit,
 ingentique diſcendi cupiditate audivit. Quin & Deutſchman-
 no Præſide publice diſputare, & ſuam harum etiam rerum ſci-
 entiam, datis ſpeciminibus, aliis approbare tunc non dubita-
 vit. Quo vero & alios, quæ didicerat, docere, beneficiis-
 que Academicis frui poſſet; anno M DC LXIV, Decano
 Chriſtiano Trentſchio, honores Philoſophicos petiit atque im-
 petravit. Hinc in patriam iuſſus reverti inſtituendæ iuventu-
 ti deſtinabatur, iſtasque vices in patrio Lyceo extra ordinem
 vicariiſſimè nomine brevi tempore ſuſtinuit. Cum vero ſchola
 iſta tantum ingenium minus capere videretur, ſponte ex hac
 provincia deceſſit, & de Patronorum conſilio Academiſſimas repe-
 tiit; ſalutatis prius in Patria & præcipue Caſſellæ Viris rerum
 civilium peritiſſimis, ſuſceptoque verſus ſuperiorem & inferio-
 rem Germaniam itinere. Idoneum igitur tempus ratus ſtudiis
 obſequendi ſuis, totum ſe dedit elegantioribus literis, publicæ
 cum primis utilitati famæque diligentiffime ſerviens. Primo qui-
 dem A. M DC LXVII in Academiſſimam Lipſienſem ſe recepit, quo-
 rundam juvenum mores & ſtudia moderaturus. Hic ex doctrina
 & conſuetudine Rappolti, Thomafii, Franckenſteinii, Felleri-
 que fructus cepit uberrimos; neque minus, auctore Schwen-
 dendorffero, juri civili operam dedit. Biennio poſt repetiit
 Vitebergam, Widemanno, Lipſienſi juveni, regendo dux
 datus, ibique Zieglerum diligentiffime audivit. Cum itaque
 illi nihil deeſſet ad exquisitiſſimæ eruditionis laudem, A.
 M DC LXXI Hiftoriarum Profeſſor Publicus extra ordinem
 conſtitutus eſt. A. MDCLXXV Profeſſionem Poefeos a Sam.
 Benedicto Carpzovio relictam obtinuit. A. M DC LXXVIII
 miſſa ſtatione priori, ordinariam Hiftoriarum Profeſſionem ſu-

scepit, cumque hac deinde, mortuo Balthasare Stolbergio, ex singulari Electoris gratia Græcæ linguæ institutionem conjunxit. Ceterum Schurzfleischius non ignarus, quanti sua interesset, exteras etiam nationes adire, atque aliorum hominum mores atque instituta cognoscere; A. M DC LXXX peregrinandi consilium cepit, adeoque Belgium Britanniasque maximo cum fructu perlustravit. His enim itineribus viros ubique celeberrimos convenit, sibi que favorem eorum conciliavit, & præstantissimarum Bibliothecarum scrinia codicesque rarissimos inspexit, ingentique doctrinæ thesauro & pulcherrima re libraria instructus Vitebergam remigravit. Nec dum autem vir inexplebilis scientiæ acquiescebat, sed adhuc incredibili videndæ Italiæ desiderio flagrabat. Cui ut satisfaceret, A. M DC XCI cum Jo. Samuele Stryckio, illustris Hospitis sui Filio, hodie Antecessore Halensi excellentissimo, itemque Jo. Christophoro Wichmanshausen, hoc tempore in Academia Vitebergensi Orientalium Literarum Professore celeberrimo, denuo iter ingressus est. Venetias primum adiit; hinc contendit Florentiam, ubi, interprete & conciliatore Antonio Magliabechio, Mediceam, ac Laurentianam, aliasque Bibliothecas intravit, in iisque innumeros libros, ac nominatim antiquissimum Florentinarum Pandectarum Codicem evolvit. Pisas dehinc digressus ad ipsius Magni Ducis, Cosmi III, ejusque Filii, Joannis Gastonis, alloquium clementissime admissus est. Demum Romam festinavit, ibique quatuor menses commoratus, non solum Vaticanam invisit, sed & quascunque antiquorum monumentorum reliquias diligentissime sectatus est. Cum vero muneris publici rationes diutius eum abesse minus paterentur, Vindobonam Austriæ revertit. Qua hic comitate atque humanitate exceptus fuerit a Daniele Nesselio, qui tum temporis Augustissimæ Bibliothecæ præerat, verbis exprimi vix potest. Hoc certe commendatore facultatem Imperatoris Leopoldi coram venerandi haud ægre impetravit. Domum spectans & ad suos edire cupiens per Vindelicos Noricosque ivit, & vetusta communis Patriæ monumenta sedulo investigavit. Quam valde denique tanti viri reversione lætata fuerit Viteberga, non obscure intelligitur.

gitur. Accidit ibi, ut A. M DCC Georgius Caspar Kirchmaierus, Eloquentiæ Professor optime meritus, e vita discederet; hujus igitur provinciam, relicto Græcæ disciplinæ munere, suscepit Schurzfleischius, eamque tanto majore gloria usque ad supremum diem tuitus est, quanto magis in hoc scientiæ genere excelluit, adeo, ut summa ejus in dicendo vis atque in scribendo gravitas omnium admirationem excitaret. Haud ita multo post Historicam Professionem, quam hucusque una sustinuerat, Fratri Germano, V. Cl. Henrico Leonardo, cessit, ita quidem, ut ipse Conradus Honorarii Historiarum Professoris titulum nomenque retineret. In his muneribus publicis Magistratum Academicum bis summa cum laude gessit, & Decani partes sexies in ordine suo obiit. Ceterum, uti hic demum amplissimum exercendæ doctrinæ campum nactus erat; ita & in formandis instituendisque ingenii maximam semper fidem indefessumque studium adhibuit, ut ejus temporibus nemo facile studiorum gratia Vitebergæ vixerit, quem non ille, pro ea, qua ubivis pollebat, existimatione atque auctoritate, ad elegantiorum literarum amorem exemplo pariter atque præceptis concitaverit. Etenim, quemadmodum ipse ætatem suam in excolendis potissimum bonis literis, reconditisque Græcarum Latinarumque antiquitatibus erudendis transegerat: ita nihil fere erat tam singulare & abstrusum, quod ille non complecteretur animo, ideoque non immerito politioris doctrinæ oraculum quoddam habebatur. Ad sermonis vero Latini incorruptam integritatem, quam plane ad exempla veterum Oratorum principum formaverat, & ad dictionis gravitatem numerorumque pondera quod speciatim attinet; in his fere unice sua ætate regnavit, & cum ipsa vetustate quasi certavit. Quam Latinæ elegantiae laudem nec ipse Jacobus Gronovius, cum a Fratre, Henrico Leonhardo, inviseretur, pro ea, qua est, modestia, Conrado denegavit, sibi ipsi Criticæ artis peritiam cum primis vindicans. Sed & scripta quædam edidit Schurzfleischius, quæ procul dubio ætatem ferent, & de præstantia ac solida auctoris sui eruditione omni tempore satis testari poterunt. Sic singulari judicio & accommodata dicendi ratione Sleidani Commentarios de IV Summis Imperiis continuavit. Sic ex omni

doctrinæ genere, & præcipue ex Historia & Politica, selecta quædam capita pertractavit, & ad publice disquirendum proposuit; quæ deinceps magnam partem uno volumine comprehensa prodierunt. Sic Dissertationes Academicas varii generis, publico nomine conscriptas, neque minus Orationes panegyricas & Allocutiones diversi argumenti, adhuc superstes insigni rei literariæ emolumento evulgavit. Ut jam taceam Epistolas, ad summos & florentissimos seculi nostri Viros exaratas, item Poemata, & libellum de Orthographia Romana, aliaque, quæ erudito Orbi exposuit. Quin & plura superesse dicuntur, in scriniis adhuc latitantia, quæ literis ille commendavit. Id vero plerumque facere consuevit, (quod nec nos hoc loco prætermittere possumus,) ut, si qua componenda essent, in seras horas rejiceret, exiguisque tum schedulis res illineret: quas deinceps, alias post alias, Typographo typis exscribendas tradidit; neque tamen facile ordinem contextumque orationis, qua erat memoriæ judicii-que felicitate, interturbavit. Ad tam multiplicem autem doctrinæ apparatus haud parum contulit locupletissima & plane egregia Bibliotheca; cui ut omnis generis libros, præstantiores maxime, itemque codices manu scriptos, ac veteres recentioresque numos undequaque conquisitos inferret, nulli operæ nullique sumptui unquam pepercit. Cui quidem insigni thesauro furaces homines aliquoties insidiati sunt, & hinc superiori anno haud exiguam rariorum numerorum partem abstulerunt. Non adeo mirum accidit, virum tam excellenti eruditione tamque præclaris doctrinæ præsiidiis instructum, innumerorum hinc favorem atque gratiam, hinc amorem & admirationem, sibi conciliasse. Inter Patronos, quos coluit, illustrissimis Frisiis & Gersdorffio plurimum se debere, gratisimo semper animo professus est. Cum vero acerrimi Viri singularis rerum civilium prudentia minime obscura esset, is aliquando etiam in aulas Principum invitatus est, sigillatim a Waldecio Principe, Georgio Friderico, qui eum in Belgium ad se venire jusserat. Imo & Augustis Imperatoribus, Leopoldo & Josepho, majorem in modum commendatus fuit, ut & Bibliothecæ Vindobonensis curæ destinatus fuisse diceretur. Eloquentiam Viri suspexit Magnus Etruriæ Dux, ejusque

ejusque operam maximopere desideravit. Hunc Julia, hunc Eberardina, hunc Fridericiana, Academia, requisiverunt; ipse vero ob fidem Saxoniae devotam oblatos honores stipendiaque auctiora modeste deprecatus est. Illud vero recusare merito sibi religioni duxit, cum a Sereniss. Principe Saxo-Vinariensi, Wilhelmo Ernesto, Consilarii summique Bibliothecae Praefecti dignitate ornaretur. Ceterum, etsi ille per omnem fere vitam valetudine satis commoda usus esset, laboribusque & lucubrationibus confirmari magis, quam defatigari videretur: postremis tamen annis, vel ipsa senectute, superiores vires atteri & aliquantum deficere sensit. Huc accessit, quod curru, quo Vinariam abierat, in itinere excussus, itemque de altiori scalarum gradu delapsus, eoq; haud parum detrimenti sanitati ejus allatum fuisset. Tandem paucis ante obitum diebus femora inferiorque venter valde intumuerunt, ut ipse mortis certae indicibus admonitus se ad voluntatis divinae venerationem religiose componeret. Atque ita Nonis Quintilibus, hora V vespertina, pio placidoque animo decessit, cum annos haberet septem & sexaginta. Bibliothecae fortunarumq; heredem reliquit Fratrem, Virum nobilissimum, Henricum Leonardum Schurzfleischium, I. V. D. & P. P. celeberrimum. In memoriam defuncti Conradi in aede Mariana funebrem concionem habuit venerandus Theologus, Caspar Loescherus. In templo omnium Sanctorum, in quod & exuviae Schurzfleischii delatae sunt, manibus ejus parentavit summe Reverendus Wernsdorffius. Academia exquisitissimo elogio has exequias ornavit, meritaque Schurzfleischii iis, quibus par est, laudibus praedicavit. Ipse Schurzfleischius jam olim partem vitae suae in Epistola voluminis editi 487, A. 1684 scripta, exposuit.

NOVA LITTERARIA.

IN eo est Vir illustris, Godefridus Gvilielmus Leibnitius, ut Scriptorum Brunsvicensia illustrantium Tomum II una cum tertio mox in lucem edat. Exhibet hic tum scripta plura alia rariora, tum imprimis Roswitaecarmen de Fundatione Ecclesiae Gandeshemensis haecenus ineditum, de quo hac occasione non nihil referre placet. Celeberrima est Roswita, Poetria Saxo,

Saxo, Sanctimonialis Gandeshemensis, seculi decimi autor. Ejus opera quæ haberi potuerunt, uno volumine collecta, primus anno 1501 edidit Conradus Celtes, Poeticæ artis in Germania restaurator: ante biennium recudi curavit celeberrimus Schurzfleischius Junior. Ex operibus desumptum Carmen Panegyricum de gestis Ottonis Magni, quod Gerbergæ Abbatisse suæ hortatu ad Ottonem II, Magni filium, versu Heroico scripsit; separatim recensuit & notis illustravit Henricus Meibomius avus, & Witikindi Corbejensis Annalibus adjecit. Gerberga Abbatisa erat filia Henrici Ducis Bavariae, qui frater fuit Ottonis M. Sed carmen Roswitæ de Fundatione Gandeshemensis Ecclesiæ nec a Trithemio nec ab aliis memoratum est; excepto *Henrico Bodone*, Monacho Benedictino Monasterii Clusini prope Gandeshemiam siti, qui in Syntagmate suo, quod Henricus Meibomius Junior imperfectum edidit, nunc autem totum prodit, refert: *opusculum Illustrissimæ fœminæ Hrosvitæ, in quo Ecclesiæ fundationem Heroico canit carmine, pulveris ex situ a se levatum, plurimum sibi profuisse.* Sed cum idem opusculum rursus disparuisset, frustra que ab eruditis quæreretur; tandem feliciter evenit, ut apographum ejus aliquod non recentissimum *Serenissimæ Principi Henricæ Christianæ, Ducissæ Brunsvicensi & Lunenburgensi, Abbatisse* summa cum laude regenti, redimendum offerretur, cujus gratiosissimo beneficio ad Editorem pervenit: qui tamen multa apographi vitia emendavit, atque comparavit non tantum cum Bodone, sed & cum antiquo carmine de rebus Gandeshemensibus, Saxonica dialecto ante trecentos & amplius annos conscripto, quod etiam publico impertiendum judicavit.

Amstelodami Jo. Lud. de Lorme Opera selecta Joannis Harduini prelo subjecit, proximo mense Novembri proditura in folio. At ipse Autor edita scheda protestatus est, se ea Opera pro suis haud agnoscere, quod nunc eandem, quam olim, sententiam haud amplectatur. Ad quæ respondit Editor, se injuriam Auctori haud facere, cum ita imprimat Scripta, uti ipsius manu emendata vel aucta nactus sit; ceterum se recantationes illius vel in Præfationem vel in Additiones, si ita videatur, redacturum pollicetur.

* * *

ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Novembris, Anno M DCC VIII.

*COMMENTARII HISTORICO-DOG MATICI
in librum S. Augustini de Hæresibus ad Quodvultdeum,
digesti atque illustrati labore & studio P. LAUREN-
TII COZZA a S. Laurentio Ord. Min. Regularis Obser-
vantie Lectoris Jubilati, ejusdem Ordinis Scriptoris, in
Romana Provincia Ministri Provincialis, Diecæsis Viter-
biensis Examinatoris Synodalis, Sacre congregationis In-
dicis Consultoris. PARS PRIMA: continens Hæ-
reses XXII a Simone Magousque ad
Marcionem.*

Romæ, sumptibus D. Valerii Fregianti Civis Portus Herculis,
1707, fol.

Constat 5 Alph. 13 plag.

INter veteres ecclesiæ Doctores, qui ex instituto hæresium
historiam contexuerunt, præter Irenæum, Philastrium, Epi-
phanium, Theodoretum & alios non incelebre est nomen
Aurelii Augustini Hipponensis Episcopi, cujus libellus de
hæresibus a Simonianis ad Pelagianos usque progressus 88 in
universum hæreses enarrat, & inter ejus Opera tomo VI vel in
nova Benedictinorum editione tomo VIII legitur. Extorsit hunc
libellum Augustino Quodvultdeus Diaconus Carthaginensis,
qui per literas Augustinum rogavit, ut hæresium catalogum e-
deret. Etsi autem Augustinus ad primas hujus Diaconi literas
rei difficultatem causaretur, & hunc laborem a se declinare ni-
teretur, attamen cum Quodvultdeus novis literis instaret, &

vehementer contenderet, ne petitioni suæ imo universali totius ecclesiæ desiderio officium hoc denegaret, victus ejus precibus libellum hunc de hæresibus conscripsit, ut ex utriusque epistolis in hoc negotio reciprocatis constat, quæ tomo II Operum Augustini inter ejus Epistolas leguntur. Prolixo hunc Augustini librum illustravit commentario Lambertus Danæus, quem & ipse Danæus Genevæ tam seorsim A. 1576 quam cum aliis opusculis suis Theologicis conjunctim A. 1583, & Gerhardus Theodorus Meierus in Academia Julia A. 1673, typis imprimi curavit. Sed alii in Augustini libellum de hæresibus commentarii jam nobis recensendi sunt, nempe Laurentii Cozzæ, cujus Vindicias Areopagiticæ in Actis nostris A. 1703 M. Sept. p. 401 memoravimus, labore & studio digesti & illustrati, quod opus Cardinalibus Sacræ Congregationis Indicis oblatum ipse Autor statim in ipsa libri fronte tanquam opus omnigena eruditione refertum, & Theologis, Philosophis, Scripturalibus, quos vocat, Historicis, Concionatoribus, Confessariis, curam animarum habentibus, nec non humanarum divinarumque literarum atque rerum ecclesiasticarum studiosis utile commendat. Et hac quidem vice primam tantum Partem in lucem publicam hætenus emisit, quæ hæreses XXII a Simone Mago usque ad Marcionem complectitur. Methodus autem, qua in istis hæresibus pertractandis utitur, hæc est, ut primum historia hæreticorum, de quibus agendum, referatur; deinde commentarium hunc historicum excipiat dogmaticus, quo singulorum Hæresiarcharum errores partim ex Augustino, partim ex aliis Scriptoribus recenset; postremo denique collatio inter veteres & recentiores hæreticos, a quibus hæreses pridem sepultas ex orco revocari queritur, instituatur. Et hos recentiores hæreticos in ipso statim titulo Evangelicos appellat, hoc ipso abunde prodens, quod vel exiguam vel nullam Evangelicorum notitiam habeat, & cæca tantum fide Cochlæum aliosque Evangelicorum adversarios sequatur.

Primi, quos Augustinus in libello suo refert, hæretici sunt Simoniani. De his ergo eorumque autore Simone Mago Cozza noster in Commentario suo historico varia profert. Inter

ter alia observat, Simonem Magum primum post ascensionem Domini hæresiarcham, omniumque hæreticorum caput & principem fuisse, unde Max. Rev. Ittigio nostro dicam scribit, quod in dissertatione sua de Hæresiarchis ævi Apostolici & Apostolico proximi, ut & in appendice illius dissertationis, hæreses apostolici ævi non a Simone, sed a Dositheo auspiciatus fuerit. Eundem Simonem Græco idiomati adeo addictum fuisse scribit, ut apud Samaritanos conquereretur, quod Græca Biblia non amplius usurparentur. Verum ejus rei Cozza nullum testem allegat, quam Bolducium Capucinum Monachum, ejusque tractatum de Ecclesia post legem variis nugis & deliriis refertum. Ex Clementinis homiliis de Simone refert, quod ante Johannis B. decollationem in Ægyptum profectus fuerit, ut Magicam exerceret. Ad Augustini verba scribentis, quod Simon Magus suas & meretricis suæ imagines discipulis suis adorandas exhibuerit, & Romæ tanquam Deorum simulacra publica autoritate constituerit, animadvertit Cozza, verosimile esse, ab initio Simonem discipulis tradidisse illas imagines in metallo sculptas, vel in tabella pictas, ut secum deferrent, postea vero factum esse, ut publicæ statuæ ipsi erigerentur. Censet præterea Augustinum allusisse ad statuam, quam Justinus Martyr Simoni Mago Romæ positam retulit. Quam Justini narrationem veram esse Cozza noster minime dubitat, ea quæ a Petavio, Valesio, Heraldio, Salmasio, Vossio, & aliis eruditis statuæ illi objiciuntur, ex Baronii Annalibus non difficulter diffilari posse censens. Occasione verborum Augustini scribentis, quod in urbe Romana Petrus Simonem Magum vera omnipotentis Dei virtute extinxerit, prolixè contra eos disputat, qui Petrum unquam Romam venisse negant, quos inter Wiclefum, & Wiclefi magistrum Gulielmum quendam, nec non Ulricum Velenum, Matthiam Flacium, Philippum Mornæum, Lambertum Danæum, Erycium Rhonæum, Sebastianum Franckium, Funcium & Spanhemium nominat. Cum autem Romanæ ecclesiæ plurimum intersit, ne successio Romanorum Pontificum a Petro turbetur, Cozza illorum sententiam, qui Petrum Romæ fuisse negant, multorum Patrum testimoniis impugnat, & tam

clarum esse pronunciat, quod Petrus Romæ fuerit, ut etiam Calvinus Libr. 4 Institut. C. 6 huic veritati contradicere ausus non fuerit. Ubi tamen monemus, Calvinum alibi, nempe in Comment. ad 1 Pet. V sententiam hanc, quod Petrus Romæ fuerit, errorem & vetus commentum appellare. Calvino addit autor celeberrimum Cave, cujus verba & argumenta ex parte repetit. Difficilior quæstio est, quo anno Petrus Romam venerit? In hac vero quæstione Cozza non solum cum Calvino, Scaligero, Centuriatoribus, Caveo aliisque A catholicis, quos vocat, sed etiam cum Baluzio, Pagio, Papebrochio, Valesio aliisque Romanæ ecclesiæ addictis sibi controversiam esse animadvertit, ideoque multa movet, ut Petrum secundo Claudii anno Romam venisse, & cathedram ibi erexisse, eamque per 25 annos tenuisse probet. Num vero prolixa illa disputatione multum promoveat, non permittit instituti nostri ratio ut disquiramus, quamobrem aliorum iudicio potius id omne permittimus.

Commentarium historicum de Simone Mago sequitur Commentarius dogmaticus, in quo Autor partim ex Augustino, partim ex aliis Scriptoribus XV hæreses Simoni Mago tribuit, cum statuerit: I Magiam, etsi dæmoniacam, esse rem bonam, ejusque usum esse licitum, II Spiritus S. dona posse pecunia possideri, III Deum causam esse omnium malorum, IV in Deo non esse tres personas re ipsa distinctas, & subsistentes, V Mundum non esse a Deo conditum, sed ab Angelis, VI Christum vere non venisse, nec realiter passum, sed putative & imaginarie, VII Resurrectionem carnis non esse futuram, VIII animas hominum transire de corpore in corpus, IX Mosis legem editam esse a malo Deo, & sinistra quadam Virtute, X Prophetas a malis Angelis inspiratos esse locutos, XI credentem Veteri Testamento mortem subire, XII omnia sub fato esse, ac fatali quadam necessitate evenire, XIII licitum esse urgente persecutione Christum ore negare, atque ad idola flectere, XIV homines non salvari per opera justa, sed per fidem in eum, & gratiam sui ac Helenæ suæ, XV licitum esse impure foeminis indifferenter uti. (pag. 19) Singulas istas hæreses

ses suo commentariolo illustrat, in quo primas istarum hæresium origines inquit, argumentis ex Scriptura, Patribus, Conciliis & aliunde depromptis istas hæreses impugnat, rationes, quæ pro excusandis vel defendendis illis hæresibus proferri solent, discutit, aliaque, quibus hæreses illæ illustrari possunt, ex sacris & profanis Autoribus adducit.

Duplicem hunc de Simone Mago commentarium excipit collatio Simonis & Simonianarum hæresium cum erroribus recentiorum hæreticorum. Et in prima quidem hæresi confert Autor cum Simone Mago Lutherum nostrum, de quo scribit, quod etsi Magiam dæmonicam licitam esse cum Simone Mago non docuerit, familiaritatem tamen cum Diabolo sibi licitam statuerit. Idque imprimis ex eo probat, quod in libello de privata Missa suam cum Diabolo de Missa disputationem commemoret. Totam illam disputationem Diaboli cum Luthero Cozza non ex ipso Luthero, sed ex infenso Lutheri hoste Nicolao Serario describit. Utinam autem Cozza legisset, quæ contra hanc inculpationem Nostrates vel millies regesserunt, tum certe aliter sensurus ea de re fuisset. Quod pace Viri doctissimi fiat, referemus tantum, quid Ulmæ contigerit, cum Serenissima Bavariæ Ducissa Serenissimi Delphini Sponsa urbem hanc transiret. Nimirum tunc nonnulli ex ejus comitatu cum Ministris Ulmensibus in summo templo colloqui inter alia Ministris Ulmensibus objiciebant, quod Lutherus ipse narraverit, se Diaboli instinctu Missam abrogasse. Verum regegestum est, Lutherum in illo tractatu nequaquam id dicere, quod ipsi ab adversariis odiose objectari solet, verum hæc omnia recenseri, ut in tentatione & conscientiæ angustiis a Diabolo objecta, & in eum prope modum hæc se habere, quo somnium Hieronymi de sui castigatione. Quo audito Politicus quidam ex illo comitatu ad Theologum senem pulla veste indutum dixit: si hæc ita se habent, contendere amplius non possumus, siquidem illud scriptum Lutheri ipsimet non legimus. Præter Lutherum cum Simonianis in prima hæresi convenire dicit Autor Sortianos in Gallia, quos ex Stanislai Rescii libris de atheismis describit, & Wierum Medicum a Bo-

dino refutatum. Quibus etiam ex Lindano sectam Dæmoniaco-
rum, & Davidem Georgium, & Anabaptistas quosdam addit.

In secunda hæresi cum Simonianis confert Græcos, in
tertia Melanchthonem & Calvinum, in quarta Servetianos a-
liosque Anti-Trinitarios, in quinta Flacium ejusque asseclas,
in sexta Anabaptistas & Libertinos, in septima itidem Liberti-
nos, Davidem Georgium & alios, in octava Albanenses & Al-
bigenses, in nona, decima & undecima Anabaptistas & Servetia-
nos, item Lutherum & Calvinum, in duodecima iterum Lu-
therum & Calvinum, ut & Melanchthonem, in decima tertia
Davidem Georgium, & Machiavellistas, & Nicomedicos, (pro
quibus forte Nicodemicos scribere voluit,) in decima quarta
iterum Lutherum, in decima quinta Beguardos & Beguinos,
Adamitas in Belgio, & quasdam Illuminatorum sectas, quibus
etiam Waldenses seu Pauperes de Lugduno addit. Luthero
autem & quibusdam aliis, quos Autor noster Simonianis paralle-
los facit, a Scriptoribus illis, quorum fidem incaute sequitur,
injuriam fieri, clarius est, quam ut prolixa probatione indigeat.

A Simonianis ad Menandrianos, Saturnianos, Basili-
dianos, Nicolaitas, Gnosticos, Carpocratianos, Cerinthianos
vel Merinthianos, Nazaræos, Hebionæos, Valentinianos, Se-
cundianos, Ptolemæos, Marcitas, Colarbasios, Heracleonitas,
Ophitas, Cajanos alias Cainos, Sethianos, Archonticos, Cer-
donianos, & Marcionitas eadem methodo pag. 101 & seqq.
progreditur, de reliquis, quæ apud Augustinum sequuntur,
hæresibus in sequentibus tomis, qui publicam, quod sciamus,
lucem nondum aspexerunt, eadem ratione dubio procul tracta-
turus.

HISTORIA DI TUTTE L' HERESIE &c.

i. e.

HISTORIA OMNIUM HÆRESIUM, DE-
scripta a DOMINICO BERNINO. Tomus primus
CLEMENTI XI. Pont. Max. dicatus.

Romæ, typis Bernabi, 1705, fol.

Alph. 7 $\frac{1}{2}$.

EOs inter, qui in urbe Italiae principe historiae sacrae studium
 omnibus viribus promovere nituntur, non tacendus & nobis
 erit Vir Cl. Dominicus Berninus, qui opus in quatuor tomos
 divisum, nempe historiam haeresium omnium, a S. Petro A-
 postolo ad Innocentium XII Pontificem usque magno studio
 & viginti annorum labore composuit, Romaeque sub speciali
 Papae privilegio typis committere coepit. Tomi primi, quem
 solum adhuc vidimus, brevem hac vice dabimus recensio-
 nem. Habet autem ille praeter dedicationem Clementi XI P. M. scri-
 ptam, etiam in praesentem operam introductionem, in qua
 propositum suum aperuit, scribendi scilicet historiam, non a-
 liorum capitum, sed praecise haeresium sive pertinacium arti-
 culorum fidei impugnationum. Dehinc ad ipsum opus pro-
 gressus, ita illarum enarrationem instituit, ut acta Pontificum
 cum haereticorum actis jungat. In primo enim seculo sub
Petro, quem primum habet Pontificem a Christo constitutum,
 refert haereses Simonis Magi p. 6 sqq. Cerinthi p. 12 seqq. Ni-
 colaitarum p. 20 sqq. inque his recensendis hanc servat metho-
 dum, in reliquis quoque non neglectam, ut auctoris vitam,
 dogmata & fata, si haberi haec possunt, nec non Pontificum
 labores, contra haereses susceptos, vel breviter vel paulo proli-
 xius recensat. Data vero occasione etiam alia illis inseruit
 argumenta, quae vel indicavit vel plenius tractavit, nimirum
 de Symbolo Apostolico ab Apostolis ipsis condito p. 4 sq. de ori-
 gine, nobilitate & corruptione Magiae p. 6 sq. de contentio-
 ne inter Petrum & Paulum p. 14 sq. de adventu Petri Romam
 p. 22 seq. deque origine tonsurae ecclesiasticae p. 24 & jejunii in
 sabbato p. 25. Sub *Lino* producit Menandrum & Ebionem
 p. 27, diversasque Ebionitarum sectas p. 28 sq. atque simul
 decretum Lini de velandis mulieribus contra Magdeburgenses
 vindicare nititur p. 29 sq. Sub *Cleto* & *Clemente* quamvis ad-
 huc viguerint haereses jam ortae, non tamen constare dicit,
 quid ab illis contra has actum fuerit. Interea agit de traditio-
 num ecclesiasticarum necessitate & divisione p. 31 sqq. nec non
 de scriptis Clementis, quorum quaedam agnoscit vel corrupta
 vel dubia.

Cap. I.

2.

3.

Secu-

Cap. I.

- Seculo II sub *Anacleto*, cui tribuit cleri reformationem, & ornatum sepulchri S. Petri cum templo, fuit Helxus p. 44 sq.
2. sub *Evaristo* prodire Gnostici cum horum capite Carpocrate, hujusque filio Epiphane p. 46 sqq. dein Prodicus cum Adamitis p. 51, Basilides p. 53 sq. Saturninus p. 55 sq. Cum vero ex his Gnostici præcipue nocuerint Christianis, Autor permotus fuit indicare originem denominationis Christianorum & Catholicorum p. 49 sqq. Laudat præterea *Alexandri* epistolam & duo ejusdem decreta, sequenti disticho inclusa p. 57:
- 3.

Vino miscet aquam: mixto sale temperat undam:

Regnat Alexander sobrius & sapidus.

4. *Sixti* quoque decretum de tempore in quadragesimali jejunio observando, & titulum, quem Sixtus in epistola quadam sibi tribuit, *Xystus universalis ecclesie Episcopus*, exhibet p. 58.
5. Sub *Telesphoro* producuntur Valentinus p. 60 sqq. Ophitæ cum autore Euphrate p. 63, Cainiani & Sethiani p. 63 sq.
6. Sub *Hygino* Romam venerunt Valentinus & Cerdo ab illo damnati; quod factum post Petrum fuisse primum, vult Autor, literis consignatum p. 67 sq. Sub *Pio* recenset hæreses, quas ipse vocat, Quartadecimanorum & Anabaptistarum p. 69 sq.
7. Sub *Aniceto* referuntur plures, Marcion p. 72 sqq. Apelles p. 77, Hermogenes p. 78, Montanus hujusque variæ sectæ p. 79 sq. Tatianus p. 84 sqq. Encratitæ, Docetæ p. 87 sq.
8. *Soteri* sub Pontificatu memorantur Bardesanes p. 91 aliique Valentini asectæ, Marcus p. 92 sq. *Eleutherius* decreta contra Montanistas, Marcionitas & Encratitas dedit, atque sub eo Blastus & Florinus detecti & rejecti p. 96 sq. *Victoris* tempore extiterunt Theodotus coriarius, Artemon, Theodotus argentarius autor Melchisedecianorum & Praxeas; quibus subjiciuntur Pontificis hujus acta in causa paschali contra Quartadecimanos p. 97 sqq.
- 9.
- 10.
- 11.

In Seculo III sub Pontificibus *Zephyrino*, *Calixto*, *Urbano*, *Pontiano*, *Anthero*, *Fabiano*, *Cornelio*, *Lucio*, *Stephano*, *Sixto II*, *Dionysio*, *Felice*, *Eutychiano*, *Caio & Marcellino*, qui defenditur, recensentur capitibus quatuordecim hæreses

Ter-

Tertulliani, Origenis, Berylli, Arabicorum, Valesianorum, Helcesaitarum, Novatiani, Montensium, Anabaptistarum, Sabellii, Angelicorum, Apostolicorum, Pauli Samosatani, Manetis & Manichæorum, Hieracis & Donatistarum. In Capite hujus Seculi primo præter vitam, scripta, dogmata & mortem Tertulliani & Origenis, prolixum instituit discursum de valore, antiquitate, origine, versionibus, idiomatibus omnium librorum Scripturæ sacrae & oppositione ab hæreticis facta, ut alia Capitibus reliquis tacta taceamus, schismata nimirum, concilia & ritus. Cap. I.

In seculo IV sub Episcopis Romanis *Marcello, Eusebio, Melchiade, Sylvestro, Marco, Julio, Liberio, Felice II, Damaso, Siricio & Anastasio* considerantur Capitibus novem, præter Donatistas, Arius & ejus sequaces, Photinus, Audæus, Aetius, Eunomius, Apollinaris, Macedonius, Luciferiani, Helvidius, Jovianus, Helpidius, Priscillianus, & Origenistæ. Maximam vero partem hujus seculi occupat tractatio de causa Ariana, conciliis ejus gratia institutis & persecutionibus contra catholicos, præcipue Athanasium.

Quintum seculum continet Pontifices *Innocentium, Zosimum, Bonifacium, Celestinum, Sixtum III, Leonem I, Hilarium, Simplicium, Felicem III, Gelasium & Anastasium II*; hæreses vero sequentes, Vigilantii, Pelagii, Prædestinatianorum, Nestorii, Eutychis & asseclarum, nec non Semipelagianorum, quas pluribus deducit undecim Capitibus, non neglectis priorum hæresium propaginibus, variisque ecclesiæ fatibus inde pendentibus. Ceterum opus hoc commendant in primis Autoris diligentia evolvendi præstantissimos cujusvis ævi scriptores, quorum nomina & loca accurate ad marginem annotavit, tum enarrationis ipsius perspicuitas. Quando vero Autor ecclesiæ Romanæ hypotheses ubique defendit & de reliquo admodum liberalis est in conferendo hæretici titulo, id viro in media Roma scribenti condonandum esse putamus.

HISTOIRE D' ANGLETERRE, &c.

i. e.

*HISTORIA ANGLIÆ, SCOTIÆ ET HYBERNIÆ,
Autore de LARREY, &c.*

Roterod. apud Rein. Leers, 1697, 1698, fol.

PRomissi, quod superiori Mense dedimus, memores tertium nunc etiam & quartum vasti operis Tomum perlustrabimus.

Tomus III complectitur vitas HENRICI VII & VIII, EDUARDI VI, JOHANNÆ GRAJÆ (nam & hanc inter Angliæ Reginas refert) & MARIAE, quas tribus & triginta iconibus fideliter, teste Præfatione, pictis & artificiose sculptis, illustriores reddidit, ac tantam ubique diligentiam adhibuit Ck. Autor, ut nihil plane omiffum videatur, quod ad istius temporis historiam pertineat.

P. 49.

Henricus VII eo tempore imperabat, quo America Europæis primum innotescere coeperat. Potuisset autem Henricus novam hanc Orbis partem suo subicere imperio, nisi oblatam occasionem per errorem elabi e manibus passus esset. Cum enim Christophorus Columbus novum hunc mundum detexisset, nondum autem occupasset, accessit Henricum Sebastianus Gabatus, natione Venetus, longe breviori itinere in Americam navigari posse demonstrans. Et facile quidem fidem inveniebat apud Regem auri & argenti cupidissimum. Navibus igitur quibusdam impetratis, brevi temporis spatio eam Americæ partem, quæ nunc Septentrionalis dicitur, detegebat. Sed domum reversus, plures a Rege naves expetebat, quibus visum a se novum Orbem sub Anglorum potestatem redigeret. Interea Bartholomæus Columbus, Christophori frater, Regi operam suam ad occupandam Americam obtulerat: unde Henricus, habita deliberatione, tandem Gabato diffusus, Columbo potius tanti momenti negotium demandabat. Sed in piratas incidebat Bartholomæus, neque in libertatem restituebatur prius, quam auspiciis Christophori fratris novus ille Orbis, quem fata Anglis saltem

saltem ostenderant, in potestatem Hispanorum pervenisset. In
 vita *Henrici VIII* utramque, quod ajunt, paginam facit *Histo-*
ria polygamiae, in qua multa curiosa invenias, quæ apud alios
 scriptores frustra quæras. Prima *Henrici* conjux, quod notum
 est, *Catharina* Ferdinandi Catholici Hispaniæ Regis filia fuit:
 cum qua cur *Henricus* divortium fecerit, cum varias causas
 afferant varii scriptores, ea sine dubio verissima fuit, quam ipsa
Catharina Cardinali *Volsæo* imputavit, quem, referente *Autore*
 nostro, sic allocuta est: *Te accuso, Cardinalis, quod hæc consi-* p. 253.
lia suppeditaveris Regi, marito meo. Nempe superbiam tuam
ferre non potui: luxum tuum excusare nolui: coronam Pa-
palem in te transferre recusavit Imperator, meus ex sorore ne-
pos. Hinc origo calamitatis meæ. Anna Bullenia, quæ in lo-
 cum repudiata *Catharinæ* successit, referente *Autore*, tam mo-
 dulate cantare, tam apposite saltare, tam scite chelyn pulsare di-
 dicerat, ut omnium aures atque oculos quasi fascinaret. Cri-
 men incestus cum fratre *Germano*, quod ei inter alia objectum
 est, fictum fuisse contendit *Autor*: neque fidem habet *Sande-*
ro, qui casum *Bullenæ* sudariolo, quod durante certamine lu-
 dicio nobili cuidam sua manu objecisset, adscribit. Fatetur ta-
 men, *Reginam*, pro innata ingenii sui festivitate, ita in jocos &
 facetias fuisse effusam, ut eam licentiam haud æquo animo fer-
 re posset suspicacissimus *Henricus*. Inter judices a Rege ad hanc
 causam constitutos ipsum *Bullenæ* patrem locum habuisse,
 contra multorum auctoritatem negat *Autor*. Refert autem,
Northumbriæ Ducem, qui olim amore *Bullenæ* flagraverat,
 cum ante tribunal sisteretur *Bullenia*, sic ejus aspectu perturba-
 tum fuisse, ut animi deliquium passus, judicis officium, a Rege
 sibi delegatum, explere non potuerit. Ceterum literis ad Re-
 gem scriptis, quarum exemplar exhibet *Autor*, hanc unicam gra-
 tiam impetravit *Bullenia*, ut carnifex in arte sua versatissimus
Caletus arcefferetur, qui egregie suo officio functus. *Johanna*
Seymuria, quæ tertium inter *Henrici VIII* conjuges locum te-
 nuit, modestia *Catharinæ* gravitatem & *Bullenæ* levitatem quo-
 dammodo temperans, jam pridem se in Regis amorem insinua-
 verat. Itaque postridie, quam *Bullenia* securi subjecta esset, jam

218.

353.

354.

357.

356.

354.

360.

361.

dudum animo conceptum matrimonium consummabat Henricus; ejus in amore inconstantiam antequam experiri posset, mortalitatem explevit Johanna, tertio, postquam Eduardum VI enixa fuerat, die. Epitaphium, quod ad conservandam ejus memoriam scriptum est, ita se habet:

p: 402.

*Phœnix Jana iacet, nato Phœnice: dolendum,
Secula Phœnices nulla tulisse duas.*

430.

Anna Clivensis quartis destinabatur nuptiis: sed ad primum ejus conspectum tota mente averfari eam cœperat Henricus: sive quod typo non responderet archetypus; sive, quæ Autoris est suspicio, quod Lutheranam profiteretur religionem, quam Henricus cane pejus & angue tum fugiebat. Utut ea res se habuerit, undiquaque conquirebantur prætexus, ut repudiari posset inamabilis sponsa. Nequē multum reluctabatur Anna, dummodo in Anglia eo dignitatis gradu, quo Regum sorores censentur, publicis sumtibus ætatem agere liceret. *Catharina Howarda* interim vacuum in Regio throno locum occupaverat, quæ

463.

inter primos amplexus tanta voluptate sponsum suum compleverat, ut in familiari cum amicis colloquio suavitatem novæ conjugis, quam *uxorem secundum cor suum* appellabat, sæpius prædicaret. Sed postridie nuptiarum, per testes satis idoneos certior redditur Henricus, Catharinam jam olim cum infimæ sortis hominibus infamem stupri consuetudinem habuisse: quod cum nec ipsa diffiteretur, e Regio throno, quem vix conscenderat, ad pegma ferale securi percutienda rapiebatur. Et ne simile quid accideret imposteriorum, si forte Rex ad nova vota procederet, publico Parliamenti edicto monebantur puellæ, ut, si quæ

464.

virginitatis jacturam fecisset, suam ipsa turpitudinem sub poena criminis læsæ majestatis confiteretur, *Catharina Parva*, ultima Henrici conjux, quod reformatam religionem profitebatur, clero Pontificio adeo exosa erat, ut A. 1546 parum abesset, quin paria cum superioribus Reginis fata experiretur. Episcopi enim Londini & Vintoniæ, ascito in societatem sceleris Regni Cancellario, postquam in perniciem Reginæ conjuraverant, a Rege, quem liberiori de religione discursu nonnihil offenderat Regi-

537. seq.

na,

na, hoc jam impetraverant, ut eam in jus vocari per literas sua manu subscriptas permitteret. Enimvero cum Cancellarius mandatum Regis subscriptione munitum, marsupio suo inferere vellet, charta per errorem, quem ille non animadvertibat, in terram deciderat. Tollebat eam rei militaris præfectus, qui forte aderat, atque ad Reginam, cujus capitis causam agi perspexerat, sine mora perferendam curabat. Illa itaque inopinato perterrefacta in morbum sive verum sive fictum inciderat: de quo ubi certior factus erat Rex, facile adduci se patiebatur, ut cum Regina, quam inviserat, accedentibus blanditiis muliebribus, in gratiam rediret. Non ita multo post cum Rex per hortum obambulare, subito lictoribus stipatus aderat Cancellarius, Reginam, quam sua manu comprehendebat Henricus, in captivitatem abducturus. Sed cum ea, quæ ausus erat, Regia autoritate facturus videri vellet, neque tamen mandatum, quod male custodiverat, producere posset, eam Regis indignationem incurrebat, ut malum, quod Reginae paraverant, justo Dei judicio in ipsos tanti sceleris triumviros recideret. Hæc de Henrici VIII Polygamia sufficiant. Inter innumeros alios, qui ejus jussu ad mortem rapti sunt, principes sine dubio fuerunt *Thomas Morus*, Regni Cancellarius, & *Johannes Fischerus*, Ecclesiæ Roffensis Episcopus. Uterque mori, quam Henrico summam in rebus ecclesiasticis potestatem adscribere maluit. Idem utrinque crimen, idem vitæ exitus: sed præparatio ad mortem fuit prorsus diversa. FISCHERUS enim, cum jam instaret tragicæ mortis hora, Novum Testamentum, tanquam sortes Biblicas consulturus, aperiebat, Deum precatus, ut oculis suis aliquam sententiam objiceret, ex qua contra mortis acerbitatem in ultimo vitæ suæ articulo solatium capere posset: & ecce in verba incidit exoptatissima: *Hæc autem est vita æterna, ut te cognoscant esse illum solum verum Deum, & quem misisti, Jesum Christum.* MORUS vicissim, ut erat ingenio festivo, inter jocos & facetias ultimum expectabat supplicium. In pegmate enim ferali jam constitutus, cum carnifex, pro more, veniam ab eo rogaret, subridens *facile quidem, inquit, veniam a me impetrabis; sed an mea cædes tibi futura sit gloriosa, valde*

p. 309.

299.

dubito: qui enim a natura collum habeo satis contractum, non video, cur breviorum etiam reddere velis? sed cave saltem, ne barbam attingas meam, quæ profecto a perduellionis crimine, quod mihi imputatur, prorsus immunis est. Ut taceamus, quod morionem, quem in satellitio suo habuerat, consuli Londinensi, ejusque in hoc annuo magistratu successoribus, per testamentum legaverit. Superest, ut de morte Henrici VIII nonnihil moneamus. Sanderus eum post haustum vini rubri, desperabundo non absimilem, animam ait inter hæc verba evomuisse: *Amici, perdidimus omnia, Regnum, vitam, animam.* Sed inter figmenta hæc refert Noster, testatus, eum præseente Cranmero, Cantuariensi Archiepiscopo, cui non obscuras fiduciæ in Christum collocatæ significationes dedisset, mortem Christiano Principe haud indignam obiisse. Dum funus ejus duceretur, accidit, ut ex sarcophago guttæ sanguineæ destillarent, quas canes, qui forte aderant, avide hauriebant: quo visio multis veniebat in mentem, fuisse inter monachos, quos ex monasteriis suis ejecerat Rex, qui facta inter Achabum & Henricum comparatione, jam olim prædixerant, fore, ut post fata tyranni canes cruorem ejus lingerent. Verum Noster hæc causis mere naturalibus adscribit, cum in vulgus notum sit, quod Henricus extraordinaria corporis obesitate laboraverit. Ex vita *Eduardi VI* tria potissimum notanda veniunt. Primum concernit spem, in quam natus videbatur, longe maximam: de qua legi meretur adductum ab Autore Cardani testimonium, qui cum A. 1547 per Angliam iter faceret, in Eduardo tum decenni profundam, in scientiis etiam Mathematicis, eruditionem mirari satis non poterat. Alterum ad mortem ejus spectat, quam sexto & decimo ætatis anno passus est sine dubio violentam. Cum enim propter vim morbi lecto jam affixus esset, Medicis ex aula remotis, vetulæ cuidam, quam Northumbriæ Dux subornasse creditur, permittebatur: quæ cum spem fecisset, fore, ut Principem intra paucos dies ad salutem reduceret, mortem potius ejus arcanis artibus acceleravit. Postremum præmittendæ non sunt preces, quas paulo ante quam animam Deo redderet, his verbis conceptas recitasse dicitur: *Domine, libera me*

p. 543.

554.

557.

746.

me ab his vitæ miseris, & recipe me in numerum electorum p. 747
tuorum, si tuum hoc est beneplacitum. Fiat de me voluntas
tua, Domine, non mea! O Deus, in manus tuas commendo
spiritum meum. Nosti, Domine, quam multo futurus essem fe-
licior, si tecum in paradiso vivere liceret: neque optarem mi-
hi vitam longiorem, nisi præviderem persecutionem filiorum
tuorum. Propter eos redde mihi salutem, si ita tibi videtur,
ut illorum securitati prospicere queam. Domine, benedic po-
pulo tuo, & protege hereditatem tuam. Salvum fac populum
Anglicanum, qui per electionem tuus est: defende Regnum con-
tra suos & tæ veritatis hostes: conserva in illo religionem
puriorum, ut nomen tuum a me & subditis meis laudetur in
æternum, per Jesum Christum filium tuum. Johanna Graja 749.
 coronam, quam in vita susceperat, saltem per decem dies susti-
 nuit: quippe quæ ad augendum Musarum potius, quam Regi-
 narum, numerum nata videbatur. Linguam Latinam perfecte
 callebat; in Græcis autem sic erat versata, ut Platonem, quo 750.
 Philosopho plurimum delectabatur, absque versione legeret.
 Extat etiam epistola Græca, ab Autore in linguam Gallicam con-
 versa, quam ad Sororem suam, Comitissæ Penbrochiæ uxorem, 765.
 in carcere exarasse dicitur. Imo paulo ante quam ad suppli-
 cium, duceretur, præfecto turris Londinensis cum aliquod be-
 nevolentia monimentum ab ea efflagitaret, suos codicillos
 donabat, in quibus tres sententias, primam Græcis, alteram La- 766.
 , tertiam Anglicis verbis conceptam, inscripserat. In vita
Mariæ statim sub initium refert Autor, sortibus Magicis expe-
 riri voluisse Henricum, quæ liberorum suorum fata sint futura:
 responsum autem tulisse, post Eduardum, cujus Regnum minus
 foret diuturnum, successuras esse sorores: fore autem, ut alteru-
 tra earum Hispaniarum Regi nuberet, ex qua conjunctione mi-
 ra oritura sit Angliæ revolutio. Hanc factorum legem ut infrin-
 geret, toxico e medio tollere filias constituisse Henricum; &
 cum his consiliis obstare videretur divina providentia, de exhæ-
 redandis illis cogitasse. Hanc vero injuriam tam ægre tulisse
 Mariam, ut parentis sui cadaver ex sepulchro eruendum atque
 cremandum, cineres vero per aera dispergendos curaverit. Cu-
 jus

jus narrationis autorem Noster affert Comitem de Melville; rem
 tamen ipsam in dubium vocare videtur. Inter Martyres illo-
 rum temporum primas haud dubie tenet Cantuariensis Archie-
 piscopus *Cranmerus*. Hunc virum, quod reformatæ religio-
 ni addictus esset, sæpius insidiis circumvenerant Pontificii; quas
 tamen, sedentibus ad Reipublicæ clavum Henrico & Eduardo, fe-
 liciter evitaverat. At postquam Maria rerum potita fuisset, in
 vincula conjiciebatur vir innocentissimus. Quo minus autem
 statim raperetur ad supplicium, obstabat Gardinerius, Ecclesiæ
 Roffensis Episcopus, Pontificiorum primicerius. Existimabat e-
 nim vir astutissimus, nihil non tentandum esse, ut tantæ au-
 toritatis virum ad Pontificiorum castra reducerent: hoc enim
 exemplum universam facile Angliam secuturam. Et parum sa-
 ne aberat, quin Gardinerii consilium comprobasset eventus.
 Nam tantum apud Cranmerum poterat vitæ amor, ut, cum
 spem libertatis ipsi fecissent Pontificii, coelestem veritatem, quam
 hactenus professus fuerat, abnegare non dubitaret. Urgebant
 autem Pontificii, ut confessionem suam literis consignatam ipsis
 traderet: qua impetrata, cum jam haberent, quod volebant,
 tantum aberat, ut de eo in libertatem restituendo cogitarent, ut
 potius supplicium ejus, ne forte ad saniolem mentem rediret,
 maturandum esse censerent. Hinc Cranmerus, animo ad se-
 riam pœnitentiam composito, tota mente ad pristinam religio-
 nem revertebatur. Constitutus igitur in ferali theatro, cum
 Pontificii non dubitarent, quin egregiam religionis Romanæ
 confessionem sit editurus, coram infinita hominum multitudine
 se non nisi vera fide in Christum moriturum esse adfirmabat. De-
 testatus simul errorem suum, cum palo affixus esset, dextram,
 quæ abnegatæ veritatis formulam literis consignaverat, flam-
 mis ultricibus sponte injicit & *urere, inquit, manus maledicta,
 & quos meruisti, cruciatus patere!* Plura crudelitatis exempla
 referre non libet: legat Autorem ipsum, qui plura desiderat.
 Sed unum tamen est, quod prætermitti non debet, cum vix in
 omni historia Ecclesiastica exemplum, quod cum hoc conferri
 possit, reperiat. Nempe in Insula Garneseia, quæ Anglis pa-
 ret, anno 1556 ad rogam ducebatur vidua cum duabus natis,
 quæ

p. 784.

425.

537.

873.

834.

quæ a Pontificiorum sacris ad Reformatam religionem transierant. Ex his altera, quæ verbi divini Ministro nupta fuerat, uterum gestabat. Tanta autem erat iudicis immanitas, ut partum, cui vicina esse videbatur, non expectaret. Cum igitur palo jam affixa esset gravida, in mediis flammis ex utero materno prodibat foetus. Erat quidem inter spectatores non nemo, qui recens natum infantulum flammis eripiebat: sed ita furore exæstuabat iudex, ut nisi ocius in ignem coniecisset infantem, graves misericordiæ suæ pœnas daturus videretur.

Ultimus Tomus ELISABETHÆ & JACOBI I vitas comprehendit: in quibus recensendis eo nobis licebit esse brevioribus, quo propius ad historiam recentiore, plerisque satis notam, accedimus. Ante omnia heic mentio facienda est Epistolæ, cujus exemplar Autor jam supra Tomo III ex Burneto exhibuit. Scripta est illa ab Elisabetha ad novercam Johannam Seymuriam, pridie Cal. Aug. anno 1537. Nata vero est Elisabetha 7 Idus Nov. 1533, ex quo manifestum est, quod Elisabetha tum, cum epistolam exararet, quartum ætatis suæ annum nondum complevisset. Quod literas utcumque pinxerit, in dubium non vocamus; materia vero captum puellulæ quadrimulæ superare nobis quidem videtur. Non procul a puerperio tum aberat Regina, Eduardum VI paulo post enixura: gratulatur igitur Regina puella de partu jam appropinquante, simulq; testatur, *si parturienti præsto esse liceret, se curaturam, ut infans recens natus, propter molestias, quas matri creasset, verberibus probe caderetur.* Cum multis iisque periculosissimis conspirationibus conflixit Elisabetha, in quibus revelandis sæpe patuit divina providentia. Ita cum A. 1584 captiva teneretur Scotia Regina Maria, sumtibus Pontificis, Hispaniæ Regis & Guisiorum in Gallia clanculum adornabatur classis, quæ, exscensu in littore Anglicano facta, vel elabendi occasionem præberet Mariæ, vel ad æquas libertatis condiciones compelleret Elisabetham. Cujus consilii ut in tempore participes fierent Scoti, literæ committentur Gulielmo Critoni, qui ex seminario Soc. Jesu, quod Remis est, ceu studiosus ex universitate, in patriam reverti constituerat. Is autem ubi in itinere maritimo captum se videret ab

p. 401.

385.

P. 521.

521.

612.

Hollandis, ne sua culpa proderetur conspirationis arcanum, literas minutim laceratas projiciebat in Oceanum. Sed quas vento secundo commiserat schedulas, per quatuor mundi plagas dispergendas, eas flatu contrario retro in navem agebat ventus adversus. Ex quibus collectis atque in ordinem redactis ita rursus coadunari poterat epistola, ut Elisabetha totum conjunctionis consilium hinc perspicere posset. Notari quoque meretur quotidiana Elisabethæ vivendi ratio. Arctiora plerumque somni quam noctis tempora habebat: horas autem matutinas impendere consueverat curis privatis: aures deinde præbebat consiliariis, & qui ei a supplicibus libellis erant: post hæc publico præsidebat consilio, quo durante ad manus habere solebat codicillos, in quibus ea, quæ in memoriam revocare sibi volebat, characteribus steganographicis annotare consueverat. Pomeridiano tempore vel in horto, vel sub porticu obambula-
bat cum viris eruditis. Reliquas diei horas vel Historicorum, vel Philosophorum scriptis perlegendis impendebat. Durante cœna non nihil licentiæ indulgebat mimis atque scurris, quos tamen vel nutu coercere poterat. A cœna delectabatur concentibus musicis; aliquando etiam ipsa manum admovebat instrumentis, quæ scite admodum pulsare didicerat. Cœlo sereno animi causa haud raro obire consueverat villas, ubi cùm passim divinæ bonitatis vestigia cerneret, exclamare solebat: *O quam admirabilis est Deus in operibus suis! o quam pulchrum sapientiæ atque omnipotentia divinæ theatrum terrarum Orbis est!* Ceterum quæ de furtivis Elisabethæ amoribus; item de annulo, quem Essexiæ Comiti tanquam obsidem gratiæ suæ dederit, vulgo circumferuntur, fabulis Noster annumerare non dubitat. In vita Jacobi I imprimis copiose versatur in evolvendis his, quæ ad *conspirationem*, quam vocant, *pulverariam* pertinent. Refert inter alia, quod Garnetius, quem conjuratorum principem fuisse constat, ut concepti sceleris socios profligatissimos ad facinus audacter obeundum accenderet, hymnum sequentem composuerit:

661.

*Gentem aufferte perfidam
Credientium de finibus,*

Ut Christo laudes debitas

Persolvamus alacriter.

Subsequentibus temporibus cum sub initium belli tricennalis hoc agere debuisset Jacobus, ut generum suum, a Palatinatu extorrem, sive consiliis sive armis restitueret, Religionum potius unionem, nunquam sperandam, mente agitabat. Quam in rem non modo cum Pontifice, quem Patris sanctissimi nomine compellere non verebatur, per literas agebat: sed filio quoque suo, Walliæ Principi, autor erat, ut, suscepto in Hispaniam itinere, matrimonium cum Philippi III filia præsens contraheret. Proceres Angliæ, qui, quem eventum habitura esset hæc peregrinatio, facile prævidere poterant, nihil quidem reliqui faciebant, quo Regem ab hoc consilio deducerent. Erat etiam inter motiones, qui eo audaciæ procedebat, ut Regem de *permutandis inter se pileis* compellaret: cujus rei causam cum scire vellet Rex, *quoniam*, ait, *filium tuum in Hispaniam abire passus es:* imo quærenti porro, quid vero tum dicturus esset, cum Principem voti sui compotem reverti cerneret? *Tum*, inquit scurra, *pileum meum, tuo capiti demptum, Hispanie Regi imponam.* Jacobum hinc emplastro venenis infecto e medio sublatum esse, Noster suspicatur, autoremq; parricidii Buckinghamensem Ducem postulat; quod nec Regem latuisse confirmat, quippe quem morti vicinum, cum Medici arterias tentarent, earumque languorem causis febrilibus adscriberent; *depulsu quidem arteriarum suarum neminem melius quam Buckinghamensem judicaturum*, dixisse constaret.

p. 756.

753.

758.

Supereſt, ut colophonis loco etiam *Dissertationem* Autoris de *Origine Parlamenti Anglicani*, quæ Tomi secundi Appendix est, in compendium redigamus. Cur hoc thema potissimum sibi pertractandum sumserit, statim sub initium Dissertationis indicat. Scilicet invaluit hæctenus traditio, quasi Henricus I circa A. 1116 primum Parliamentum convocaverit: quo præsupposito, non inepte argumentari videntur illi, qui, quod a Regibus institutum est, etiam a Regibus abrogari posse, contendunt. Faciunt autem hoc imprimis inter recentiores *Spel-*

mannus, Prynne & Brady, quod & in Actis nostris A. 1698 p. 441, ubi de Spelmanni Operibus Posthumis sermo est, annotavimus. Refutavit hos triumviros *Jacobus Tyrrellus* in Appendice ad Tom. III Historiæ Angliæ generalis, de qua superiore mense Augusto p. 373 mentionem fecimus, ostenditque, Parliamenti Anglicani auctoritatem eosdem cum ipsa Regum Anglicorum majestate natales habere. Hinc Tyrrellum Noster laudibus effert, quod ita hostibus Parlamenti telum satis perniciosum e manibus extorserit, & ipse ulterius progressus, in hac Dissertatione probare conatur, non in Anglia tantum, sed in omnibus Imperiis, jam inde a Nimrodi temporibus, antequam scilicet tyrannis invalesceret, Parliamenta, i. e. subditorum concilia extitisse. Sic ex Philosophorum scholis testem citat Platonem, qui eam demum felicem prædicasset Rempublicam, in qua majestas inter Regem, optimates atque plebejos sic esset divisa, ut non minus ad consilia de salute Reipublicæ capienda certis legibus ipsi admitterentur subditi. In eadem sententia Ciceronem fuisse arbitratur, ex cujus fragmentis de Republica locum, in quem digitum intendere videtur Autor, adscribere non pigrabimur. *Statuo autem*, inquit vir πολιτικώτατος, *esse optime constitutam Rempublicam, quæ ex tribus generibus illis, regali, optimo, & populari, confusa modice, nec puniendo irritet animum immanem ac ferum, nec omnia prætermittendo licentia cives deteriores reddat. Et paulo post: Ut in fidibus ac tibiis, atque cantu ipso, ac vocibus, concentus est quidam tenendus ex distinctis sonis, quem immutatum ac discrepantem aures erudite ferre non possunt, isque concentus ex dissimillarum vocum moderatione concors tamen efficitur & congruens: sic ex summis & infimis, & mediis interjectis ordinibus, ut sonis, moderata ratione civitas consensu dissimillarum concinit, & quæ harmonia a Musicis dicitur in cantu, ea est in civitate concordia, arctissimum atque optimum omni in Republica vinculum incolumitatis, quæ sine justitia nullo modo esse potest.* Quibus sane verbis, iis præsertim, ubi de genere regali, optimo & plebejo, item de ordinibus summis, infimis & mediis mentio fit, ad vivum fere depingitur Monarchiæ Anglicanæ facies. Quærit inde

de, quid inter Græcorum *Amphictyonas*, Lacedæmoniorum *Ephoros*, Romuli *Senatum*, plebis Romanæ *tribunos*, Gallorum *Pares*, Hispanorum *Grandes*, Arragonum *Iustitiam*, atque Anglorum *Parliamentum* intersit, & quocunque demum nomine veniant eiusmodi collegia, in hoc tamen convenire omnia docet, quod absolutam Regum potestatem certis limitibus circumscribant. Percurrit deinde Historiam Angliæ, ubi libenter quidem concedit, temporibus nascentis Monarchiæ ignotum plane fuisse Parliamenti vocabulum; quippe quod a Normannis demum usitatum sit, & cujus mentionem primus fecerit Matthæus Paris ad annum 1251. Commune tamen Regni concilium, quod Malmesburiensis *generalem Senatus & populi conventum* appellat, multo ante, Danorum, Saxonum atque Brittonum temporibus, sub nomine *Mycel Gemot*, vel *Witena Gemot*, stabilitum fuisse, testimoniis omni exceptione majoribus confirmat.

FERDINANDI CHRISTOPHORI HARPRECHTI, Icti, Sacri Cæsar. Palatii Comitiss, Diversorum Imperii Principum & Statuum Consiliarii, in alma Tubinga Antecessoris, & in summo Wurtembergico Tribunali Assessoris Responsorum Criminalium & Civilium Volumen Sextum.

Tubingæ, sumtibus Augusti Metzleri, Bibliopolæ Stutgardiensis, 1708, in fol.

Alph. 2 plag. II.

PRæcedentium Responsorum apparatus nova duodecim aliorum accessione in Sexto hoc Volumine locupletavit Autor Excellentissimus. Responsum octogesimum sextum, quod agmen ducit, de difficili dominii probatione conceptum est. Octogesimum septimum de testamenti resignatione selectiorem sistit disquisitionem. In octogesimo octavo disceptatur, utrum retractus, præcipue censualis, etiam in testamentariis alienationibus locum habeat. Octogesimum nonum venditionem a

matre cum filio, absque ullo, quem illa habuit, Curatore celebratam expendit. Nonagesimum de immunitate a collectis, loco salarii a Principe, ad quem jus collectandi non pertinet, concessa disquirat. Nonagesimum primum locationem conductionem perpetuam juris pascendi, Erbbestand einer Viehweide/ tradit. In nonagesimo secundo & tertio, frequentibus virorum in foro versantium desiderijs, quibus plura Responsa iudicium concursus creditorum spectantia publici juris fieri expetierunt, satisfactorius Noster, plenariam edictalis processus, prout ille in facto formatus fuit, evolutionem ac plurimum quaestionum ex aliquot Facultatis Juridicae suoque nomine exaratis Responsis resolutionem sistit. Nonagesimum quartum crimen incestus cum defunctae uxoris sorore commissum exhibet. Nonagesimi quinti argumentum est jus protimiseos & desuper intentatum iudicium revisorium. In nonagesimo sexto fundationis alicujus stipendii interpretatio excutitur. Ex doctrina denique responsi nonagesimi septimi oblatio cautionis fidejussoriae, sub conditione facta, non obligat, si illa vel non acceptetur, vel conditio non impleatur. Instituti ratio exigat, ut ad specialia nonnulla eamus. In responso octogesimo octavo quidam testamento aliquot prati jugera alii concesserat ea lege, ut hic certum aliquod pretium in usum potissimum alimentorum testatori constitueret, qui etiam bona illa vivus alteri tradiderat, sed vicinus testatoris instituta actione jugera tradita retrahere cupiebat, eam ob causam, quod prato suo essent contigua ac communis census Administrationi ecclesiasticae Uracensi inde penderetur. Consulti ergo de hac controversia Jcti Tubingenses, interprete Nostro, existimarunt, retractui locum non esse, cum ille tantum in venditione ac negotijs ei similibus receptus sit, hic autem per testamentum bona in alium transferint, testamentum vero contractuum nomine non veniant, & magis donationem quam venditionem sapiant, praeterea etiam jura statutaria jus retractus concedentia, communissimo omnium interpretum suffragio, pro odiosis & propterea strictissime interpretandis habeantur, quibus denique rationibus accedat autoritas interpretum magno consensu jus retractus in ultimis voluntatibus negan-

gantium. Isti sententiæ non obesse Noster porro docet, quod ab honorato certum aliquod pretium fuerit constituendum, cum utique eum, quem honoravimus, gravare etiam queamus, id quod imprimis confirmatur suffragio Illustris Strykii, diserte dicentis: hoc, quod retractus in alienatione testamentaria exulet, procedere puto, licet testator legatarium rei immobilis iterum gravaverit, ut accepto legato, hæredi suo solvat certam pecuniæ summam: quoniam hæc fiunt jure in testamentis licito, ubi, quem honoro, gravare licet, citra alicujus venditionis suspicionem. Neque etiam traditio a vivo testatore facta in contrarium opponi potest, cum & hæc per expressas leges testatori sit permessa. Quod si ponatur, veram in casu præsentis subfuisse venditionem, non eo magis tamen retractui locum esse futurum, Noster amplius contendit, non quidem ideo, quod venditio sit gratiosa, ein *Freunds-Rauff*/ nam hanc retractui subjacere, si retrahens non vilius illud, sed verum pretium solvere paratus sit, Noster concedit, sed potius eam ob causam, quod venditio hæc, tum ratione causæ moventis, tum causæ finalis, tum a defuncto venditore singulariter electæ emtoris ejusque uxoris personæ, contractus personalissimus fuerit, circa quem, pro notoria hujusmodi contractuum natura, jus retractus haut obtineat. Juxta hæc igitur Reum ab actione relictoria, compensatis tamen expensis, absolvendum esse pronunciarunt Jcti nostri. In Responso nonagesimo septimo duo mercatores cum alio mercatore dubiæ fidei eodemque debitore suo commercium hæctenus exercitum abrumpere minabantur, nisi debitoris pater & fratres in certam summam pro eo fidejuberent. De hac cautione cum per literas varie tractatum esset, tandem certæ quantitatis sponsio creditoribus oblata est ea conditione, si cum debitore ita agerent, quo angustias has evaderet ejusque fides facta tecta conservaretur. Sed creditores haut declarata acceptationis sententia, rebus suis apud debitorem existentibus manus injecerunt, ac nomina quoque ejus, quantum fieri potuit, exegerunt. Cum vero, instituta publica bonorum distractione, ea dissolvendo debito non sufficere deprehenderent, ex oblata cautione a debitoris patre & fratribus suum exigere maluerunt, hi

VERO

vero ad hoc se obstringi negarunt. Cum igitur hæc controversia decisioni Excellentissimi Autoris nostri subjiceretur, cautionem invalidam ac non obligatoriam pronunciavit, quia a creditoribus illa non fuerit acceptata, ex juris vero naturalis & civilis principiis omnia pacta mutuum consensum ac inprimis creditoris acceptationem requirant, nec aliud inter mercatores obtineat, id quod in specie Ansaldi de Ansaldis testimonio confirmatur. Deinde si vel maxime acceptationem intervenisse ponamus, ejus tamen ideo nullum esse effectum, Noster ostendit, quod creditores adjectam conditionem non tantum non impleverint, sed & omni studio contrarium egerint, dum ab iis magna inhumanitate debitor statu & fide sua penitus fuerit excusatus. Id quoque adjicit Consultissimus Autor, si debitor liberos habeat, ejus patrem efficere posse, ut ex sperata hæreditate paterna creditores, ne obolum quidem consequantur, si scilicet pater filium debitorem bona mente penitus exhæredet, ac totam portionem, in eum alias devolvendam, ne legitima quidem excepta, ejus liberis testamento concedat, nam receptissimi jampridem inter omnes juris esse, quod talis exhæredatio ita permessa sit, ut nec a filio nec ejus creditoribus ullo modo impugnari queat.

EXCERPTA EX LITERIS CHRISTFRIED WÆCHTLERI IC. ad Virum Ampliss. I. B. M.

IN nupera recensione Clarissimi IC. Gulielmi Bestii mense Julio p. 303 vidimus non paucas emendationes textuum juris. Sed restant adhuc plures. Statim enim initio recte legit *ideo*, pro *id eo jure*, vel *ipso jure* in L. 18 ff. de V. O. Præmonuit hoc Cujacius, & ad ipsam Florentinam provocat. Recens tamen Editio Lipsiensis anni MDCCV *is eo jure*. Ibidem Bestius *ejus dem*, pro *ejusdem* in L. 1 §. 33 ff. Depos. quod præter Pacium etiam Hugo de Porta viderat: retinuit tamen Editio Lipsiensis. Res est manifesta ex Basilicis, ἐπὶ τῷ δυνάει σοι, ut tibi dem pro libertate ejus, ὑπὲρ τῆς ἐλευθερώσαι αὐτόν. Et toto titulo ff. de stat. lib. nusquam coaluit. In L. 15 ff. de leg. 3 ait alios

jura

jam recte disjunxisse, hæ res. Et ita etiam Lipsiensis recens. In L. 9 C. Theod. de malef. & mathem. Jacobus Gothofredus *imbibisset* facile potuit legere, & post eum Noster, Lucretius 3, 1011: *qui petere a populo fasces sevasque secures imbibit*. Ex eo Cicero, pro Quinctio, Livius lib. 2 apud Muret. V. L. 1, 6, sed & c. 58: *tantum certamen animis imbiberant*. In L. 5 C. Theod. de reparat. app. ne annotavit quidem variantem lectionem Jac. Gothofredus. In L. 23 §. 3 ff. de Ædil. Ed. Russardus & Pacius retinere, pro *Beneno vivit*, studio antiquæ scriptionis. *Nec vacuam*, pro, *nequaquam*, placuit etiam Haloandro & Portæ, itemque *administras*, pro *administrans*, in L. 78 §. 1 ff. de contrah. empt. Sed & Taurello & Pacio. Lipsiensis autem prætulit *administrans*, ac simul, *nequaquam*. Ibidem laudat Noster Scioppium in arte critica, quod fecit etiam Joh. Clericus Art. Crit. part. 3 sect. 1, ita tamen, ut referat ejusmodi menda inter peccata dictantis, c. 4, 5, 6. Librarium enim Vasconico more pronunciaffe literam unam pro altera. Henricus Stephanus similes codices vetustos Vasconis alicujus manu scriptos esse jocabatur. Scimus enim, inquit, nostros Vascones hoc vitio misere laborare; præfatione Glossarii. At in L. 21 §. 2 ff. quod met. caus. veterem tantum scriptionem iterum sequi voluit Taurellus, neque eam habuit pro suspecta. Viderat enim, recte legisse Haloandrum & Portam per geminationem τὸ ἀβεστ. Eadem mens Pacii & Dionysii Gothofredi. Et horum scriptionem retinuit quoque recens Lipsiensis. Similem geminationem in L. 8 ff. de peric. & commod. debebant indicare Haloander & Porta: id enim fecere Russardus, Charondas, Pacius. Nec primus Noster in L. 67 ff. de procurat. scripsit, *negotia gerere*. Haloander & Porta similiter. Charondas, Russardus & Pacius geminationem hanc ad oram tantum indicarunt. Sed nos hic omnia non excutimus. Tangendus est autem textus L. 1 ff. de solut. ubi sola adspiratio *haut*, pro *aut*, rem non conficit. Primum enim transigendum est cum Græcis circa ea, quæ antecedunt, ἵνα μὴ εἰς ἀμφοίβολον, ut non in id debitum, quod est in controversia. Si hanc lectionem admittit Bestius, sponte fluunt reliqua, ἢ τὸ ἐξ ἐγγύης αὐτῶ

p. II

14.

19.

24.

χρεωσθέντων, ἢ τὸ ὑπὸ ἡμέραν, πρὸ τῆς ἡμέρας, aut in illud, quod ex causa fidejussionis ortum habet, aut quod ex die debetur, priusquam dies venerit. Neque opus est aspiratione. Qui Græcos non inspexere, luētantur cum illa. Et hanc pugnam MSCtorum annotarunt ad oram iterum Charondas, Rufardus & Pacius. Sed nec hærebo in L. 3 §. 2 ff. pro socio. Græci enim, εἰ μὲν συμφωνήσωμεν, si convenerit inter nos. Perinde ergo, sive legas, si ita coita societas sit, sive, sit ita coita societas, sive, si ita societas. Recte autem in L. un. §. 6 ff. si mul. ventr. nom. tolluntur circuli, sive scribas, vel ei, qui, sive cum Bestio, vel si quis. Græci iterum in L. 82 ff. de jur. dot. tollunt litem, εἰ μὲν ὀνόματί μου δώσω, si quidem nomine meo dero. Loquitur autem maritus, si uxor mea me dare jusserit. Neque adeo turbatur constructio, si retineas receptam lectionem. Sed in L. 1 §. 14 ff. de agnosc. & al. lib. viderunt Græci, nullam hic esse injuriam, & hoc modo progrediuntur, γίνεται δὲ ἡ ζήτησις. τί γὰρ &c. Torsit hic textus Latinus Antonium Augustinum Lib. 1 c. 9, aliosque. Nec medicinam fortem attulit Bestius. Sive enim legas, sic esse, sive, si esse, nondum constat, an verba hæc respiciant ad anteriora, an ad posteriora, an ad L. 6 ff. de his, qui sui vel al. Plura itaque exspectabimus, ubi contra Glossatores in arenam descendet Noster. Ac tunc evolvet forte etiam, quæ Ulricus Huberus attulit in Eunom. ad d. l. 6. Destruitur certe omnis injuria per hæc, si quid ex his maritus omiserit: atque iterum, sive maritus neglexerit facere, quæ debet. Græci: εἰς πρόκριμα δὲ βλάβη τὸ παραλιπεῖν τι τῶν νομίμων. In L. 3 §. 1 ff. ubi pupill. educ. Contius: sed semper sic. Nec tamen ideo damnarunt Pacius, alique, sit, rejecto ita ad oram. Porta autem non dubitavit plane tollere si in L. 25 §. 1 ff. quando dies leg. Similiter Paris. Editio 1517. Docuitque nos Laurentius Theodorus Gronovius, qui codicem Florentinum per tres quatuorve menses propius lustravit, se non pauca ibi deprehendisse ab aliena & nova manu. Nec dissimulavit Ant. Augustinus in Epistola ad Mich. Majum. Illi ergo quibus nondum contigit adire Corinthum, non adimant nobis eam libertatem, quam sola inspectio poterat convellere; salvo tamen

etiam

etiam tunc iudicii melioris arbitrio. Sed singula non rimabimur. In L. 9 ff. de serv. export. Bestius non enarravit lectionem Haloandri integram, *nec posterior, qui magis repetierit, poterit aliquo modo.* Ita perit utrumque, *ut posterior, & posterior.* Dispar est ratio in L. 28 §. 1 ff. de liber. leg. Nam hic sensum novum non elicies, sive legas, *ut quæque, sive, & quæque.* Quærebatur enim tantum, an sub priore legato comprehenderetur etiam ea quantitas, quæ post prius testamentum deberi cœperat. Dispar itidem est ratio in L. 41 §. 10 ff. de fideic. libert. Nam difficulter ex *gessit* derivabitur, *gessit ut*, quomodo per geminationem ex *illud* derivatur *illud ut.* In-
 daganda autem potius fuerat lectio, quam invenio in Edit. Parisiensi 1527, *si omne, quod ex eo, quod gessit, recte desiderari potest, reddiderit.* Hic omittitur utrumque, *ut, &.* Forte tamen librarius voluit scribere, *quo*, scil. tempore, *gessit.* Græci equidem apices hos non exprimunt, afferunt tamen alia quædam momenta, quæ Bestio vix erant transmittenda, *γίνεται ἐλεύθερος. καθ' ὃν χρόνον ἐπλήρης τῆ τῶν λογισμῶν αἰρέσει,* facta consideratione *illius temporis*, quo reddendarum rationum conditionem impleisset, si filius XVI annos vixisset; add. L. 23 §. 3 ff. de fideic. lib. In Martialis loco (lib. 6 Epigram. 63) verum est, si sensum respicias, quod captator munera sua mittat *ut piscator in hamo.* Sed ideo tamen nihil mutandum. Eadem enim facilitate poteram legere: *An piscatorem piscis amare potest?* Et hæc lectio propius accedit ad concisam rationem Poetæ. Laudem Ant. Augustini nemo nostrum dubiam reddat, eoque licebit transire ad L. 100 §. 3 ff. de leg. 3. Ubi omnino vidit Bestius, legendum *nisi eas βάσεις*, pro *si eas.* Sed Javolenus tamen non plane rejicit sententiam Trebatii, vel etiam Labeonis ideo. Nam recte Trebatius dixit, & *βάσεις* deberi. Labeo etiam recte limitat, non deberi, nisi eas testator numero vasorum habuit. Hic Proculus sublimitat, vera esse omnia, non deberi tamen nisi Corinthiæ sint; quia Corinthia tantum legata fuerint vasa, non ænea. In L. 17 §. 1 ff. de adopt. Græci loquuntur de iis, qui adoptare præsumunt, *ἔδεις ὑιοθετεῖσθαι τὸν ἀνηβον δύναται, εἰ μὴ, nemo pupillum arrogare potest, nisi.* Haloander etiam putabat inde rectius legi, *iis duntaxat pupillo-*

rum. Sed utique tunc legendum etiam foret, *ceteris prohibenda*. Alii retinent *eorum*, sed supplent, *permittenda est his*. Quod etiam Feltmannus tolerabat. Sed sufficiat nobis, antecedere mentionem illorum, quibus non permittitur arrogare, in L. 15, L. 16, L. 17. Ex iis ergo verbis supplendus est textus hoc modo: Adrogatio permittenda eorum duntaxat est pupillorum (iis, de quibus scilicet jam dictum est,) *qui vel naturali cognatione, v. s. a. ducti, eos adoptarent*. De iisdem adrogantibus instituitur cognitio in verbis proximis. Sicut igitur recte lego, *ceterorum prohibenda est arrogatio*, qui sui magis commodi quam pupillorum gratia eos in filios adsumere volunt; ita congruum est, reliqua verba eodem modo accipi. Aut vero mendum est ibi: *qui vel naturali cognatione, vel sanctissima affectione ducti* adoptarent. Ducuntur enim isto impetu non qui adoptantur, sed qui adoptant. Et hunc nervum viderunt Græci, εἰ μὴ συγγενὴς αὐτῷ, ἢ χρηστὴν ἔχων πρὸς αὐτὸν διάθεσιν, quæ de adoptatis perperam intelligas. Repugnant enim, quæ sequuntur. Densam obscuritatem L. 9 §. 1 ff. de fund. dot. primi forte dispulerunt Græci, εἰ δὲ δύο ἀγροὶ ἦσαν, ὃν ἂν θέλω, γίνεται προίξ, si vero erant duo fundi, is, quem velim, in dote est. Sic paulo ante, οἷον θέλω, γίνεται τῆς προίξ, id, quod velim, in dote est. Scribam ergo, *utrum eorum malit, dotalem esse*. Rem ipsam viderunt etiam illi Editores, qui exponunt: *utrum e. d. e. malit, hunc dotis esse*. Statim, *plane utrum velit, alienaturum*. Inusitatum autem Archaismum non esse in L. 156 § 2 ff. de R. J. Si quis in alii locum, ostendit ibi Jac. Gothofredus, & Briffonius, parerg. Græci hanc notam effugiunt, ὁ εἰς τόπον ἑτέρω ὑπεισιών. Iidem tamen placebunt Bestio, quod L. 26 pr. ff. de fideic. lib. ita reddunt, εἰ ἀξιωθείς δούλον σε ἐλευθερώσει - εἰς ἄλλον αὐτὸν μεταγάγης, si rogatus *servum tuum* manumittere, *ad alium* transferis eum. Nam si de alieno servo agebatur, scripsissent ἀλλότριον, ut in L. 4 §. 15, L. 6, L. 7, L. 16, L. 24 §. 12 h. t. Sed illi nos etiam in L. 5 §. 3 ff. de extraord. cognit. non destituunt, Tametsi enim textus ille sit prætermisus, Scholiastes tamen ad L. 4 Tit. περὶ καταστάσεως ἐναλλαγῆς Paulo opponit Calli-

P: 34

38

stra-

stratum nostrum. Idem facit Enantiophanes. Dicunt autem, ex Callistrati sententia aquæ & ignis interdictionem esse magnæ capitis deminutionis, & adimere libertatem. Utique ergo textum ipsius ita tunc legerunt, *consumitur existimatio, quoties magna capitis minutio intervenit, & libertas adimitur, veluti cum aqua & igni interdicitur, &c.* Sed ea lectio id non concludit. Utrobique consumitur existimatio, sed non utrobique adimitur libertas. Geminandum ergo est *quoties*. Obscuritas L. 3 §. 2 ff. naut. caup. stabul. facile perit, si cogitemus, non frustra sequi apud Ulpianum, *ceterum si extra negotium receperint, non tenebantur*. Similis ergo conditio antecessit: *siquidem* exercentes negotium suum recipiunt. Vox illa placuit Ulpiano, etiam in hac lege, & L. 7 h. Vel, *si quid*, exercentes neg. suum, *recipiunt*. Inde Labeo scribit, *si quid*, perit. Eandem conditionem exhibent Græci, ὑπερ ἂν λάβωσιν ἐπὶ τῷ Φυλάξαι, & εἰς ὅπερ καὶ ὑποδέξωνται. Prompta est medella, si in L. 183 ff. de V. S. legas cum Bestio, *nomen ex eo*. Certe non Haloander modo, sed & Grotius atque Menagius Amoen. cap. 39 eo collimarunt. Quanquam enim per totum hunc titulum non occurrat specialis ista dictio, proxime tamen ad illam accedit Ulpianus in L. 49. ibi: naturaliter bona *ex eo dicuntur*, quod beant. Paulus etiam L. 57 & Modestinus L. 110 & Gajus L. 233 & Pomponius L. 239 h. Sive autem in L. 2 C. Theod. de inoff. testam. legamus *voluntatem & testamenta*, sive glossema agnoscamus, parum lucrabimur. Statim enim distinguuntur ista vocabula: *Si mater contra filii testamentum novissima laserit voluntate - - ut testamento remoto - - filii voluntati*. Perperam itaque coaluerunt in principio. Subinde autem occurrit in isto codice aliquid hiulcæ lectionis. Et judica paulatim nunc ex his, Vir Amplissime, an plura olim præstiterit Bestes, quem inter Græcos ICTos & Scholiastas laudant Cujacius & Josephus Maria Suaresius, an meliora Bestius?

PHILOSOPHIA UNIVERSALIS, SIVE COMMENTARIUS
in universam Aristotelis Philosophiam ad usum Scho-

larum comparatam; Autore M. JOHANNÉ DU HAMÉL, Sacre Facultatis Parisiensis Licentiato, Socio Sorbonico & in Academia Parisiensi Philosophiæ Professore emerito.

Lutetiæ Parisiorum, apud Viduam Claudii Thibouft & Petrum Esclaffan, 1705, in 12.

Constat Alph. 3 plag. 17 & Tabb. æn. 3.

Mireris forsan, quod in tanta sanioris Philosophiæ luce reperiat, qui Philosophiam Scholasticam defendere sustineat. Enimvero huic dubio succurrit ipse Autor in Præfatione operi præmissa. Noto nimirum notius est, quod Theologia Scholastica Philosophiæ Scholasticæ maxima ex parte superstructa sit, & Philosophia recentior transubstantiationi aliisque dogmatibus Pontificiorum non admodum faveat. Ne itaque Theologiæ studiosi turbentur, variis decretis Episcoporum Parisiensium, Facultatum Theologicarum in Gallia, ipsius Regis nunc sceptrum tenentis, cautum est, ut Philosophiæ Doctores ab omnibus doctrinis recentioribus, *Cartesianis* præsertim, abstineant atque *Aristotelis* dogmata unice profiteantur. Recenset talia decreta magno numero sub finem operis. Ita e. gr. inter Acta Facultatis Theologicæ Parisiensis ad diem primam Sept. A. 1671 legitur, quod Syndicus cum Decano vocatus fuerit ab Archiepiscopo Parisiensi, qui dixit, Regem audivisse atque ægre tulisse novitates in Philosophiam introduci, multasque propositiones novi cujusdam Philosophi (*Cartesii* scilicet) doceri ac propagari, nolleque Regem, ut quicquam simile vel in Academia, vel extra Academiam doceretur, aut pateretur Facultas in thesibus propugnari, quæ sunt contra statuta Universitatis, censuras Facultatum & Senatus Parisiensis decreta. Eodem tempore speciètim Medicis interdictum, ne negent materiam primam & formas substantiales. A. 1675 Rex per speciales literas Academiæ Andegavensi interdixit, ne *Cartesii* doctrinas docerent. A. 1677 facultas Theologica Cadomensis principia Philosophiæ *Cartesii* saniori Theologorum doctrinæ contraria declaravit, & ea vel scri-

scripto vel viva voce doceri prohibuit, perpetuoque decreto statuit, neminem eorum, qui illa defendere voluerint, ad ullum facultatis gradum esse deinceps admittendum. A. 1693 Facultas *Sorbonica* in Comitibus generalibus decrevit, ne ab Aristotelica doctrina Philosophiae Professores deflecterent. A. 1704 Rector Academiae convocavit Philosophiae Professores jussu Regio, ipsisque significavit, Regis mentem omnino esse, ut opiniones antea jam prohibitae a nemine docerentur. Rebus sic stantibus aliam, quam Aristotelicam Philosophiam profiteri non poterat Autor, & quia alia Philosophiae systemata recentiores doctrinas admisceret, ipse in gratiam studiosorum systema Aristotelicae edere sustinuit. Absolvitur autem quinque tomis. Primus complectitur compendium Metaphysicae, Physicae, Ethicae & Logicae, atque Commentarium in universam *Aristotelis* Logicam: secundus Commentarium in decem *Aristotelis* libros ad filium *Nicomachum*: tertius Metaphysicam seu Commentarium in quatuordecim *Aristotelis* Metaphysicorum libros: quartus Physicam generalem, seu Commentarium in libros Physicorum *Aristotelis*: quintus Physicam specialem, seu Commentarium in quatuor *Aristotelis* libros de caelo & tres libros de anima, una cum compendio Mathematicae, in quo quidam Geometriae & Astronomiae Sphaericae termini explicantur.

*ARITHMETICA UNIVERSALIS, SIVE DE COM-
positione & Resolutione Arithmetica Liber.*

Cantabrigiae & Londini, impensis Benj. Tooke, 1707, in 8.

Constat Alph. 1.

HÆc Algebrae Elementa in gratiam Praelectionum publicarum triginta fere abhinc annis conscripsit celeberrimus Geometra, *Isaacus Newtonus*, cum adhuc Professione Mathematica in Academia Cantabrigiensi fungeretur. Utut autem libellum, pro officii urgentis ratione conscriptum, prelo nullatenus destinaverit Autor; cum tamen in Arte Analytica adhuc desiderari animadverteret *Cl. Whistonus* libellum materia plenum, mole

mole parvum, in regulis necessariis brevem, in exemplis certo consilio electis longum & primis tyronum conatibus accommodatum, illum cum publico communicari e re duxit. Nec immerito: reperies enim in hoc libello quædam singularia, quæ in vastis de Analyfi voluminibus frustra quæsieris. Non jam commemorabimus exempla selecta, quibus ex Arithmetica, Geometria, Statica & Astronomia transfumtis ipsiusque ingenio dignis Analyticam Artem illustrat, ad sublimiora tendentibus apprime profutura; sed quædam saltem proferre libet præcepta, quibus Analyfin locupletavit. Referimus huc regulam de inventione divisorum rationalium æquationum. Sit e. gr. $x^3 - x^2 + 10x + 6 = 0$. Substitui jubet sigillatim pro x terminos hujus progressionis Arithmeticæ 1. 0. — 1. Numeros hinc ortos — 4. 6. — 14 cum omnibus ipsorum divisoribus e regione terminorum progressionis ita collocat.

1	4	1.	2.	4	+ 4
0	6	1.	2.	3. 6	+ 3
— 1	14	1.	2.	7. 14	+ 2

Jam quoniam terminus primus x^3 non nisi per unitatem divisibilis, ex divisoribus excerpit progressionem terminorum unitate differentium 4. 3. 2, eosque collocat e regione terminorum progressionis primum assumptæ. Quo facto, terminum ex ista progressionem respondentem termino 0 in progressionem primam pro valore ipsius x assumit, tentansque divisionem per $x + 3$ reperit $x^2 - 4x + 2 = 0$. Quod si æquatio istiusmodi divisorem simplicem non habeat, sitque plarium quam trium dimensionum, e. gr. $x^4 - x^3 - 5x^2 + 12x - 6 = 0$, hanc regulam pro inveniendò divisore duarum dimensionum, si talem habeat, commendat. Substituit in æquatione proposita ut ante pro x quatuor vel plures terminos progressionis Arithmeticæ 3. 2. 1. 0. — 1. — 2. — 3, & resultantes numeros 39. 6. 1. — 6. — 21. — 26 cum eorum divisoribus e regione disponit, hisque quadrata terminorum progressionis subjungit.

3	39	1.3.13.39	9	—30.—4.6.8. 10. 12.22.48	-4. 6.
2	6	1.2. 3. 6	4	— 2. 1.2.3. 5. 6. 7.10	-2. 3.
1	1	1.	1	0. 2.	0. 0.
0	6	1.2. 3. 6	0	— 6.—3.-2.—1.1. 2. 3. 6	2. -3.
-1	21	1.3. 7.21	1	—20.—6.-2. 0.2. 4. 8.22	4. -6.
-2	26	1.2.13.26	4	—22.—9. 2. 3.5. 6.17.30	6. -9.

Ab his quadratis primum subducit, postea iisdem addit singulos divisores, & tam differentias, quam aggregata e regione ipsorum collocat. Quod si terminus primus fuerit divisibilis per aliquem numerum, e. gr. per 3, si habeatur $3x^4$, pro quadratis assumi jubet facta ex quadratis in divisorem numeralem termini primi 3. Ex summis atque differentiis inventis excerpit progressionem Arithmeticas, quotquot excerpere licet, atque e regione terminorum progressionis assumptæ terminos ejus singulos disponit. Si his factis fiat terminus primus istiusmodi progressionis $\mp C$, differentia, quæ habetur per subtractionem ipsius $\mp C$ ex termino proxime superiori, qui stat e regione termini $\mp B$ progressionis primæ $\mp B$, termini primi æquationis divisor numeralis, A , & l litera incognitam quantitatem in eadem designans, divisorem tentandum fore ait $All \pm Bl \pm C$. E. gr. cum in proposito exemplo termini progressionum secundarum termino 0 in progressionem primam respondententes sint 2 & -3, erit $\mp C = 2$ & $-C = -3$, reperietur porro $-B = -2$ & $\mp B = 2$. Cumque sit $A = 1$ & $l = x$, divisores tentandi habentur $xx + 2x - 2 = 0$ & $xx - 3x + 3 = 0$, ambo quæ sita satisfaciunt. Hæ regulæ non sunt spernendæ, & licet praxis ob multitudinem combinationum tentandarum sit sæpe difficilis, præsertim in altioribus, utile tamen foret, similes regulas pro altioribus divisoribus dari, vel potius unam pro omnibus, quod etiam præstari posse videtur. Tradit quoque Autor regulam extrahendi radices quantitatum, ex integris ac surdis compositarum, quanquam de ea re etiam regula apud Schoenium in additis ad Geometriam Cartesii extet. Sit nempe A pars quantitatis major, B minor; fore ait $\frac{1}{2}A + \frac{1}{2}\sqrt{AA - BB}$ quadratum majoris partis radice & $\frac{1}{2}A - \frac{1}{2}\sqrt{AA - BB}$ quadratum partis minoris. Ita reperietur $\sqrt{3 + \sqrt{8}} = 1 + \sqrt{2}$.

Uuu

Ad.

Addit regulam aliam altiores radices ex quantitatibus numerabilibus duarum potentia commensurabilium partium extrahendi, sequentis tenoris: Sit quantitas $A \pm B$. Ejus pars major A . Index radice extrahendæ c . Quære minimum numerum

N , cujus potestas N^c dividitur per $AA - BB$ sine residuo, &

quotus sit Q . Computa $\sqrt[c]{(A \pm B, \sqrt[c]{Q})}$ in numeris integris proximis. Sit illud r . Divide $A \sqrt[c]{Q}$ per maximum divisorem rationalem. Sit quotus s , fitque $(r \pm n : r) : 25 = t$ in numeris

integris proximis. Et erit $(ts \pm \sqrt[c]{(ts - n)}) : \sqrt[c]{Q}$ radix quæsitæ, si modo radix extrahi potest. E. gr. sit radix cubica extrahenda ex $\sqrt[3]{968 \pm 25}$, erit $AA - BB = 343$, $N = 7$, $Q = 1$, $A \pm B, \sqrt[3]{Q} = \sqrt[3]{968 \pm 25}$, $r = 4$, $A \sqrt[3]{Q} = \sqrt[3]{968} = 22$, $\sqrt[3]{2}$, $s = \sqrt[3]{2}$, $(r \pm n : r) : 25 = s : 2\sqrt[3]{2} = 2$ in numeris inte-

gris proximis, $t = 2$, $ts = 2\sqrt[3]{2}$, $\sqrt[c]{(ts - n)} = 1$ & $\sqrt[c]{Q} = 1$. Ergo radix quæsitæ $2\sqrt[3]{2} + 1$, si radix extrahi potest. Tentetur itaque per multiplicationem, num ipsius $2\sqrt[3]{2} + 1$ cubus sit $\sqrt[3]{968 \pm 25}$, remq; ita se habere deprehendes. Cum de numero radicum, quas quælibet æquatio admittit, differit, eleganter post alios rationem reddit, cur una æquatio plures radices habere queat, quia scilicet plures ejusdem problematis dantur solutiones, quas omnes eadem æquatio æque repræsentat. Monet vero æquationum radices sæpius impossibiles esse debere, ne casus problematum, qui impossibiles sunt, tanquam possibiles exhibeant. Regulæ Hariotti de numero radicum verarum & falsarum in quælibet æquatione a nemine hactenus demonstratæ (& cujus demonstrationem ut nobis dedisset Autor, inprimis optandum fuisset) annectit aliam licet paulo restrictiorem, sed demonstratione itidem destitutam, pro cognoscendo numero radicum impossibilium. Constitue, inquit, seriem fractionum, quarum denominatores sunt numeri in hac progressionem $1.2.3.4.5$ &c. pergendo ad numerum usque, qui est dimensionum æquationis; numeratores vero eadem series numerorum in ordine contrario. Divide unamquamque fractionem posteriorem per prio-

rem.

rem. Fractiones prodeuntes colloca super terminis mediis æquationis. Et sub quolibet mediorum terminorum, si quadratum ejus ductum in fractionem capiti imminentem sit majus quam rectangulum terminorum utrinque consistentium, colloca signum +; sin minus, signum —. Sub primo vero & ultimo termino colloca signum +. Et tot erunt radices impossibiles, quot sunt in subscriptorum signorum serie mutationes de + in — & — in +. E. gr. si fuerit $x^3 + pxx + 3ppx - q = 0$, habebitur ex præscripto regulæ

$$\begin{array}{ccccccc} & & \frac{1}{2} & & \frac{1}{2} & & \\ & & x & & x & & \\ x^3 & + & pxx & + & 3ppx & - & q = 0 \\ + & - & & + & & + & \end{array}$$

Quare cum signorum subscriptorum + — + + duæ deprehendantur mutationes, altera de + in —, altera de — in +, concludendum erit, duas esse radices impossibiles. Sed fatetur Autor, non omnes radices impossibiles hac methodo dignosci. Itaque optandum fuisset, ut limites, ad quas porrigitur hæc methodus, nobis assignasset: quod ipsi difficile non fuisset. Cæterum ubi methodum communem reducendi æquationes per divisores rationales tradidit; ipsi annectit aliam easdem (si fieri potest) per surdos reducendi. Sit æquatio biquadratica $x^4 + px^3 + qxx + rx + s = 0$. Fiat ex ipsius mente $q - \frac{1}{4}pp = a$, $r - \frac{1}{2}a = b$, $s - \frac{1}{4}aa = c$. Ponatur n communis aliquis terminorum b & $2c$ divisor integer, non quadratus, isque impar, & qui per 4 divisus unitatem relinquit, si terminorum p & r alteruter impar fuerit. Ponatur porro pro R divisor aliquis quantitatis $b:n$, si p sit par; vel imparis divisoris dimidium, si p sit impar; vel nihil, si dividuum; b sit nihil. Auferatur quotus de $\frac{1}{2}pk$, & reliqui dimidium dicatur l . Fiat $Q = (a + nk^2):2$, & tentetur, num n dividat $Q^2 - s$, & quoti radix sit rationalis atque æqualis l . Quod ubi contigerit, ad utramque æquationis partem addi debere $nkkxx + 2nklx + nll$, extractam utrobique radicem fore $xx + \frac{1}{2}px + Q = n\frac{1}{2}(kx + l)$. Hanc methodum etiam ad æquationes literales ex-

tendi, exemplo ostendit: nec minus alio monstrat, quod, si pro n sumatur 1, eadem ad extractionem quoque radicum rationalium applicari valeat. Similiter si æquatio fuerit sex dimensionum, $x^6 + px^5 + qx^4 + rx^3 + sx^2 + tx + v = 0$, fieri jubet $q - \frac{1}{4}pp = a, r - \frac{1}{2}pa = b, s - \frac{1}{2}pb = c, c - \frac{1}{4}aa = d, t - \frac{1}{2}ab = e, v - \frac{1}{4}bb = f, fd - \frac{1}{4}ee = g$. Hinc sumi debere pro n communem aliquem terminorum $2d, e$ & $2f$ divisorem integrum, non quadratum, nec per numerum quadratum divisibilem, qui per 4 divisus unitatem relinquat, si modo terminorum p, r, t aliquis sit impar; pro k vero divisorem integrum quantitatis $g: 2m$, si p sit par; vel divisoris imparis dimidium, si p sit impar; vel nihil si $g = 0$; pro Q quantitatem $\frac{1}{2}r + \frac{1}{2}nkk$; pro l divisorem aliquem quantitatis $(Qr - QQp - t): n$, si Q sit integer vel divisoris imparis dimidium, si Q sit fractus denominatorem habens numerum 2; vel nihil, si dividuum istud $(Qr - QQp - t): n = 0$; & denique pro R quantitatem $\frac{1}{2}r - \frac{1}{2}Qp + \frac{1}{2}nkl$. Hinc tentandum esse, num $R - v$ dividi possit per n , & quoti radix extrahi, & præterea, num radix ista æqualis fuerit tam quantitati $(QR - \frac{1}{2}t): nl$, quam quantitati $(QQ + pR - nll - s): 2nk$. His enim positis, si radix illa dicatur m , pro æquatione proposita scribi posse hanc $x^3 + \frac{1}{2}pxx + Qx + r = \pm \sqrt{(n, kxx + \sqrt{lx + m})}$. Simili ratione procedit in æquationibus octo, decem, duodecim &c. dimensionum. Et licet non exponat regulam generalem aut processum in infinitum, fortasse tamen ex dictis erui posset. Addit alia ad hoc argumentum spectantia. Quoniam tamen ipse p. 272 fatetur, tantarum reductionum perexiguum esse usum, & se impossibilitatem potius quam praxin commodissimam exponere voluisse; pluribus quoque specialius enarrandis supersedemus. Cur vero demonstrationes plerumque omiserit, rationem hanc reddit, quod vel satis faciles ipsi fuerint visæ, vel nonnunquam absque nimis ambagibus tradi non potuissent. Ubi ad æquationum constructionem linearem pro-

gredi-

greditur, Curvarum in genera juxta dimensiones æquationum in lineis contemplandis & earum proprietatibus eruendis laudat; sed carpit legem *Cartesii* & eorum, qui eum sequuntur, qua sanxerunt, non licere problema per lineam superioris gradus construere, quod constitui potest per lineam inferioris. Neque enim æquationem, sed descriptionem esse, quæ Curvam aptam efficiat, nec æquationis simplicitatem, sed descriptionis facilitatem esse, ob quam in constructione problematum Curva una alteri præferatur. Æquationes esse expressiones computi Arithmetici, nec in Geometria locum proprie habere. Multiplicationes, divisiones & ejusmodi computationes in Geometriam recens introductas esse, idque inconsulto, & contra primum institutum hujus scientiæ. Geometriam enim excogitatam esse, ut expedito linearum ductu computandi tædium effugeremus. Laudat veterum in Arithmetica & Geometria distinguenda industriam: taxat recentiorum in utraque confundenda inadvertentiam, hosque amisisse ait simplicitatem, in qua Geometriæ elegantia omnis consistat. Atque hæc causa est, quod ipse cum *Archimede* aliisque veteribus problematum solidorum constructionem non per sectiones Conicas, sed per Conchoidem edoceat, subjungens tamen nonnulla de constructione problematum solidorum per Ellipsin, cum ea ob facilitatem descriptionis eodem jure, quo circulus, Parabolæ præferri debeat, utut simpliciorum æquationem amanti. Monet hac occasione, compositionis leges non dandas esse ex Analyti, quæ quidem ad compositionem conducant, a qua tamen omnis compositio liberanda fit, antequam vera evadat, utpote a mixtura speculationum Analyticarum abhorrens. *Leibnitianam* a *Newtoniana* hac in re non discrepantem sententiam aliquoties attigimus, quæ methodum veterum conservandam judicat, & primaria theoremata problemataque a recentioribus per novas artes inventa secundum eam a viris doctis Archimedeo exemplo demonstrari vellet, etsi ipsi pariter ac *Newtono* hoc agere non vacaverit. In constructionibus etiam elegantiam & simplicitatem in primis spectandam censet, quoniam in ea re magis exercitium ingenii & promotio artis inveniendi, quam praxis quaeritur. Nam fate-

tur, cum ad praxin perveniendum est, Geometriaque non in charta, sed campo majoribusque operibus exercenda, ad computum utilius deveniri, & quæsitum innumeris vero proximis, exhiberi debere: quod novis artibus plerumque jam præstari potest; ut adeo Geometria practica hodie parum a perfectione absit, etsi scientia ipsa (ipsius judicio) infinitis adhuc modis locupletari queat. Quod etsi fortasse non adeo sit necessarium ad Mathesin practicam, mirifice tamen proderit Geometriæ ad Physicam magis magisque applicandæ, quod ipsum aliter in praxes vitæ humanæ utiles refundi censet: eaque in re campus immensus industriæ & felicitati posterorum patet. Sub finem tandem subjungitur ex Transactionibus Anglicanis methodus *Hallejana* generalis radices æquationum per approximationem sine ulla prævia reductione inveniendi, cui specimen Cl. *Lagny*, Mathematici Parisini, ab ipso *Dn. Hallejo* laudatum, occasionem dederat.

*G. WOLFII DESCRIPTIO METEORI IGNITI,
die XI Septembris Hale Saxonum alibique
visi.*

Meteora ignita in varias classes distinguunt rerum naturalium scriptores, sed magis ex imaginatione vulgi, quam ex accuratis peritorum observationibus. Cum enim istiusmodi phænomena non stata ament apparitionis tempora, rarissime quoque a Mathematicis, plerumque nonnisi a vulgo imperito observantur. Laboramus ergo defectu observationum in hoc historiæ naturalis capite. Quamobrem scientiæ naturalis cultoribus non ingratum fore judicavi, si cum ipsis descriptionem meteori igniti, nuper apud nos aliisque vicinis in locis visi, communicarem.

Nimirum circa horam decimam vespertinam, cœlo satis sereno, iterata jam ab hora octava aliquoties fulgura, ignis quidam conglobatus, clarissima luce oculos spectatorum percellens, fere ex Austro-Oriente insecutus est, lentius tamen fulgure ex confiniis Horizontis ascendens. Mox materia conglobata

ta in fasciam quandam Zenith nostrum altera sui extremitate attingentem, atque in segmentum annuli elliptici magis, quam circularis, Horizontem respiciens, & concavitatem Orienti, convexitatem Occidenti obvertens, diducta, ita ut integrum phænomenon G quoddam Latinorum invenium, quale scribentis calamo pingi solet, non incongrue referret, aliis figuram serpentinis, aliis figuram falcis, aliis figuram literæ Græcorum ultimæ Ω inde exsculptibus, prouti unusquisque sua imaginandi vi abundabat. Continebatur vero fascia lineis rectis segmentum annuli arcibus ad sensum parallelis. Longitudo integri phænomeni 10 circiter pedum, latitudo dimidii apparebat. Sunt qui phænomenon cum sibilo quodam ortum affirmant. Medium tam fasciæ, quam segmenti annuli partibus lateralibus lucidius erat, & uterque limbus insigniter fluctuare cernebatur. Tanto jubare tellus collustrabatur, ut ad lumen Lunare latentia in hac luce distinguerentur. Immutata mole ac figura per plura minuta horaria eodem in loco perstitit, sed splendor successive immixtus, ita ut cum primum fulguris, postea Lunæ plena facie splendentis vivacitatem exprimeret, tandem non nisi tramitem illustrem instar galaxiæ referret. Cum materia conglobata ascenderet, eadem rubedine tangebatur, qua die subsequente circa horam septimam vespertinam ex nubibus tempestuosus in eadem plaga constitutis emicans fulgur gaudebat, a fulgure candidiore ex plaga inter Occidentem & Meridiem fere media una prorumpente optime distinguendum. Illud quoque notatu dignum est, quod junctura segmenti annuli atque fasciæ multo lucidior ipsis hisce partibus fuerit, atque splendor successive ab utraque extremitate versus illam æqualiter decreverit. Eodem tempore idem phænomenon *Lipsiæ, Numburgi, Cizæ* atque *Jenæ* visum esse, per literas inde acceptas didicimus.

Quod hoc nostrum phænomenon in atmosphæra nostra extiterit, vel solus ab Horizonte usque ad Zenith intra pauca temporis minuta secunda factus ascensus testatur. Quoniam adeo nullum corpus lucidum tunc temporis atmosphæram nostram notabiliter illustrabat, phænomeni vero splendor fulguris vivacitati non cederet, splendorem Lunæ plenæ sub initium

prorsus superabat; quin proprio lumine gavisum fuerit, dubitandum non est. Materiam autem, ex qua constitit, fuisse inflammata, non modo insigne lumen, quo instar ignis in vicinia ardentis corpora terrestria collustravit, sed & in primis subitanea ejus diductio suadet. Et quia sub initium eadem prorsus rubedine tangebatur, qua fulgur ex eadem plaga sequenti die emicans; ex eadem materia genitum colligo, quæ fulguri isti materiam præbuit, nisi quod exhalationes crassiores fuerint, in aere inferiore densiore hærentes, ut non tam cito atque in fulgure materia inflammata conflagrare ac dissipari potuerit. Mansit figura, mansit moles phænomeni immutata per totum apparitionis tempus, quod materia per totum æqualiter distributa esset, atque a ventorum vi libera existeret. Quoniam tamen in æqualibus utrinque a communi junctura distantis densitas æqualiter decrevit; splendor quoque successive ab utraque phænomeni extremitate versus eam æqualia passus est decrementa. Fluctuationes limbi a fluctuatione aeris vaporosi deduco: similem enim fluctuationem notavi, nuperrimam eclipsin Solarem d. 14. Sept. observaturus, in limbo Solis, cum ex nubibus circa Horizontem ortivum constitutis emergentis faciem per telescopium 8 pedum contuerer. Ratio vero, quæ me movet, ut fluctuationem limbi potius agitationi vaporum in atmosphæra, quam evibrationi radiorum ex materia accensa tribuam, hæc est, quod evibrationes laterales non contingant, nisi materia inflammata fuerit inclusa, flamma alias superiora petente, quodque particulæ per vibrationem semel ejectæ non rursus regrediantur, id quod tamen in fluctuatione observatur.

*PRO THEORIA ERUDITIONIS HUMANÆ
universæ; Autore JOH. CHRISTIANO LANGIO,
in Giessensium Academia, Prof. Publ. Ordin.*

Giessæ, apud Henningum Mullerum, 1706, 8.

Alph. 2 pl. 16.

PRO ingenio, quo Autor celeberrimus ad solidam eruditionem promovendam fertur, amore, Virorum doctissimorum

rum Morhofii, Rechenbergii, Thomafii, Poireti, Buddei, Roetenbecci, Tschirnhausii, Joach. Langii, Vockerodti, Grofferique vestigia secutus ad instituendam rectius Academicam juventutem universæ Eruditionis naturam atque ambitum, partes, causas, proprietates, consequentia, media, signa, conjuncta, varietatem & in proprios cujusque usus accommodationem methodo erotematica planissima, stylo perspicuo, idiomate Germanico, digressionibus doctissimis delineavit.

Circa ruditatem nimirum in statu corruptionis ingeniorum humanorum doctrinæ capacium sedulo cultu exuendam, debitumque iis nitorem ac usum restituendum, eruditionem occupatam esse, vel ipsa nos nominis hujus ratio docet, quæ tum docentis actionem, tum instituti doctrinamque accipientis passionem ipsamque adeo formam eruditi ac habitum vi nominis sui declarat, & sæpe quidem etiam cognitioni superficiali aut falsæ tribuitur, interdum quoque primorum rudimentorum depositionem, interdum summam cognitionis humanæ perfectionem notat, cum qua voluntatis emendatio conjungenda, si vere doctum, eruditum, ac literatum, quæ synonyma esse Autor contra Popmam & Vosium evincit, ea voce designare velis. Tum enim eruditio humana, active vel passive considerata, erit actio vel passio hominis, qua is adhibito vel admissio debito cultu e naturali ruditare ad decentes ingenium suum virtutes dexteritatemque adducit alios vel adducitur; ut habitus spectata eadem, realis istarum virtutum ac dexteritatis, quas debito cultu acquisivit, possessio erit. Hujus eruditionis existentiam tum creatoris intentio, humanique intellectus ac voluntatis capacitas, tum naturalis ruditatis suæ exuendæ desiderium ac necessitas, ex utæ autem clarissima in omni historia exempla evincunt. Homo igitur vera eruditione imbuendus in statu ruditatis, vel imbutus in statu culturæ considerandus est. Ruditatem humanam post lapsum tum animi corporisque multis morbis obnoxia imbecillitas, tum facultatum humanarum, intellectus & voluntatis, in cognoscendo vero & appetendo bono, sensuum etiam & aliarum qualitatum corruptio, quæ hominem facile miserrimum omnium a-

nimal reddit, declarat. Unde etiam opposita ruditati cultura ad omnia ista apud omnes pertinere merito existimatur. Neminem hinc temperamentorum & ingeniorum diversitas eximit, neminem arbitrii pravitas, nisi summa ista fuerit, aut sexus imbecillitas penitus excludit, vel ætas omnino impedit. Omnibus porro eruditio convenit: Principes suo muneri aptos, nobiles vere nobiles reddit, nec ipsos adeo opifices, rusticos & milites dedecet, quippe quæ omnes emendare & ad frugem adducere soleat. Illud quidem certe confitendum, esse ingenia alia aliis ad eruditionem consequendam feliciora vel infeliciora, aptiora aut ineptiora, interdum etiam prorsus indocilia & inhabilia variisque aliis respectibus & conditionibus, quas Autor a pag. 106 seqq. usque 125 fuse enarrat, distincta: quæ pro sua, ratione actuum, intellectus & voluntatis e variis temperamentis promanante varietate probe discernenda, diversisque eruditionis acquirendæ subsidiis juvanda sunt; imo nec mente capti, cæci, surdi, muti, quod prohi dolor! sæpissime fieri solet, prorsus negligendi sunt, cum ne bestia quidem eruditione aliqua omnino indignæ a multis habeantur. A Deo autem tanquam ultimo fonte & principe causa omnem humanam eruditionem derivandam Noster docet. Hic sæpe ipse per se hominum mentes ad cognoscendam veritatem & prosequendam felicitatem illuminat & incitat, sæpe mediis quibusdam homines ad sui majestatem luminis adducit. Inter quæ an genii vel dæmones referendi sint, & quatenus huc intellectus, agens nonnullis dictus, pertineat, tum e Gentilium tum e Christianorum antiquis ac recentioribus monumentis fuse atque erudite disquirit. Illud e Scriptura patere asserit, Deum spirituum a se conditorum opera in hominibus singulis & Ecclesiæ quoque fatibus dirigendis frequentissime uti solere; homines autem ad horum ministerium tanquam eruditionis consequendæ medium ablegari debere, negat; suam cuique mentem variis sensationibus & meditationibus operosam, sacramque Scripturam divino lumine plenam, summi que Numinis gratiam pie implorandam, assignatam esse docet. Veram igitur & solidam, hominis eruditionem non a solis hominum naturalibus viribus expectandam, esse,

esse, deinceps ponit, idque firmisissimis rationibus & multis eruditissimorum exemplis confirmat. Et ut hic non minus Naturalismum quam Enthiasmum, Syncretismum & Scepticismum fugiamus, monet, naturæ nostræ vires ac earum usum accurate inquirat, atque ut directionem ac illuminationem summi beatissimique luminis promptius & obsequiosius permitamus, suadet & optat. Quanquam non ideo omnem sapientiam ab infuso quodam habitu expectandam, sed vires nostras gratiæ lumine collustratas ad sapientiæ incrementa acquirenda pia simplicitate & sollicita circumspectione adhibendas esse existimat. Ad eruditionem scilicet consequendam non nostram solum operam sed prudentem quoque aliorum institutionem (cum avtomathia avtodidactorum plerumque prope a vitio absit) adhibendam esse tradit. Deum certe, pro bonitatis & sapientiæ suæ ac amoris erga humanum genus abundantia, homines eruditionis participes reddere voluisse; genios bonos, quatenus ex Dei arbitrio conferre aliquid ad eruditionem hominis possint ac debeant, Numinis obsequio & piorum amore ultro ad istud præstandum se offerre, homines vero ipsos ad mutuum sui eruditionem tum rationali sui tum vero præcipue ardenti Numinis ac virtutis amore incitari debere. Hunc etiam finem eruditionis consequendæ omnibus habendum. Deo quidem certe hic nihil aliud quam hominum felicitatem suæque majestatis promanantem inde gloriam propositum esse; bonos genios solam hic sibi obsequii gloriam quærere; quorum studium quoque hominibus sit imitandum, ut exclusa vana philantia, voluptate, ambitione, avaritia, vitæ rectitudinem consequi & non minus viri boni, quam vere docti, ac ideo beati voluntatisque divinæ explendæ studiosi esse laborent. Exinde igitur veram eruditionis normam Autor existimat sapientiam, quam humanæ eruditionis archetypon constituit, quatenus e divina promanet, cumque eadem consentiat, & ad eandem ducat, eamque virtutem dicit, qua spiritus sensu & intellectu præditus, subtili quasi accuratoque gustu seu firma cognitione ac dijudicatione veri ac boni gaudeat, vereque bonum voluntate sua prosequi valeat, adeoque ad Deum tanquam summi boni & veri

fontem serio convertatur, & Domini timorem tanquam sapientiae initium nunquam deserat. Ita fore, ut eruditio humana, cum in homine arctissima virium corporalium & mentalium unio sit, tum ad habitus mentales, tum corporales, tum intellectuales, tum morales, dirigatur, adeoque ad usum genuinum mundi visibilis ac invisibilis, divinamque gloriam, ex utroque resultantem, promovendam rite paretur: unde in docente solida docendi dexteritas cum facilitate perspicua sinceraque fidelitate, in discente percipiendi retinendique capacitas, cupiditas & fiducia diligentiae juncta requiratur; qualia docentium perfecta exempla secundum naturam quidem in Socrate, secundum naturam & gratiam in Salomone, secundum gratiam autem in ipso Christo sistit. Ex his ulterius verae eruditionis forma patet. Hinc post alia ad formam docentium transiens, Joh. Amos Comenii, Balth. Lassi, Henr. Strobandii, Joh. Sturmii, Thomæ Crenii, Baptistæ Guarini, aliorumque opera examinat, quæque virtutes sint docentium, quæ porro discentium, pluribus accurate ostendit. Qua occasione de horoscopo, physiognomia, chiromantia, ethognomoniam & similibus eleganter agit, auctoresque, qui de conjectandis hominum affectibus scripsere, recenset. Partes porro eruditionis considerans eam a fine in IV Facultates, Theologicam, Juridicam, Medicam & Philosophicam, non inepte distingui, & sub Philosophia, quæ tum cognitionem, tum elocutionem, tum actionem promovet, eque historia & experientia eruditionis materialia quasi haurit, Philologiam quoque comprehendit. Denique nec artes Mechanicas penitus ab eruditionis circulo excludendas esse dicit, quippe quarum rationem incluta quoque Regia Anglicana Societas, Galli item atque Borussia Regis collegia, habendam esse duxerint, quasque ad Philosophiam, quatenus ea superioribus facultatibus varie inservit, referendas, & quatenus vel res naturales gignunt, ut agricultura, pecuaria, & res hortulana, vel eas artificiose preparant ac disponunt, ut artes metallicæ, quæque mineralia, corium, oleum, asseres tractant, vel circa illas studiose colligendas occupantur, ut metallifossores, margaritarum, ferarum, piscium captores & mercatores, vel eas

ulte-

ulterius ad varios usus accommodant, ut architecti, textores, fabri ferrarii, lignarii, vitriarii, coqui & zythopæi, factores, pictores, sculptores, tinctorum, musici atque alii, distinguendas esse existimat. Post partes eruditionis quadruplices etiam illius gradus considerat, primo gradus cognationis, ratione principii, objectorum & finium, deinde gradus antelationis ex antiquitate, necessitate, difficultate & dignitate deducendos. Qua occasione quaestionem de IV Facultatibus, artium liberalium & illiberalium, nec non Mechanicarum, inter sese ordinatione ex Ittero, Sturmio, Tiraquello aliisque expedire studet. Gradus autem perfectionis imagine arboris ex Matth. XIII 31 seqq. illustrat: cui ager hominis animus doctrinae capax, facultateque reflexiva & applicativa praeditus, semen prima veri bonive cognitio, primum germen notio veri & boni, radices natae ex his regulæ fundamentales, stirps Philosophia instrumentalis, medulla viva cognitionis veri & boni certitudo, trunci pars superior Philosophia principalis prima s. generalis, rami tres facultates superiores, illorumque principium Philosophia specialis, frondes disciplinae minores & specialiores, folia argumenta illustrantia ac disciplinarum ornamenta, fructus veritates in omni vita utiles sunt. Denique gradus perfectionis, tum ratione partium, tum graduum idealiter s. objective & personaliter s. subjective considerat: qua occasione quaestionem, quatenus homines istos gradus attingere queant? expendit, summaque hic modestia & cautione utendum esse monet. His expositis eruditionis adjuncta tradit, eoque tum *Φύσιν, μάθησιν, ἀσκησιν*, s. juxta Ciceronem, ingenium, artem, usum requirit, atque ita tria requisitorum paria, Deum & naturam, ut fontes, doctrinam & exercitationem, ut canales, desiderium & studium, ut receptacula, constituit. Quæ cuncta variis utilissimisque observationibus, imprimis circa scholarum usum atque emendationem, didacticique & didascalici collegii constitutionem, illustrat. Et eruditis propædiam aliquam eruditionis universæ, thesin dogmaticam generalem, generalem doctrinae historiam, antithesin, historiam experimentalem ipsarum rerum, syllogen argumentorum illustrantium, appendicem accessionum,

num, adeoque singularum disciplinarum pandectas & digesta conficienda, regulas etiam inveniendi, cognoscendi, legendi, comparandi & excerptandi, commercii literarii, conversandi & peregrinandi constituendas, commendat. Eruditioni, hoc modo descriptæ, quæ sint contraria, ultro patere Autor Cl. ostendit. Alia scilicet ipsam eruditionem, alia istius promotionem & augmenta impediunt; ad illa pertinet voluntaria omnis eruditionis fuga atque ignorantia, item eruditio falsa, superficialis, tum objective tum subjective considerata: ad hæc post fontem naturalis corruptionis tum imbecillitas ingeniorum, tum malitia, pedantismus, avtomathia, plagium, pruritus disputandi, philonikia, sophisticatio, logomachia, cacozelia, librorum nimius amor, jactantia, nimia curiositas, nimia sentiendi libertas, styli vanitas, censendique pruritus referuntur. Ad effectus deinde eruditionis omnia, quæ hominis probitatem & beatitatem efficiunt, injustitiam vero & infelicitatem remonent, refert. Denique fatis quoque & fortunæ aliquid in literis deberi fateatur, & plurimum scripta elegantissima, quæ hanc in rem conferri possint, commendat. Criteria eruditionis veræ non tam e titulis gradibusque Academicis, quam effectibus realibus naturæ & requisitis eruditioni convenientibus sumenda esse existimat. Quæ criteria si viris in historia literaria, quam melius ad mentem Lambecii adornari optat, memoratis applicentur, post Socratem, Salomonem, non defutura esse putat exempla solidæ eruditionis. Quæ inde sit eruditionis necessitas, utilitas, divinitas, nobilitas, honestas, pulchritudo, simplicitas, varietas, harmonia, vastitas, sufficientia, bonitas & quæ sunt alia attributa, ultro patet. Species etiam tum eruditionis generatim considerata, tum IV Facultatum, tum Historiæ, Oratoriæ, Poeseos, artiumque Mechanicarum longe plurimas ordine recenset. Denique ut eruditio ad singulos homines accommodari debeat, ab optimis scriptoribus, Struvio, Naudæo, Comenio, Wagenfeilio, Poireto, Thomasio, Joh. Ludovico Vive, Schurmannia, Morhofio, Bœclero, Kolbio a Wartenberg, Culpisio, Kemmerichio, Arndio, Crenio, Franckio, Buddeo, aliisque variis scriptis demonstratum fuisse docet. Ipse vero tum generalem in omnibus

bus obligationem ad promovendam Dei gloriam & communem hominum felicitatem, tum specialem cujuscunque pro ratione ingenii viriumque vocationem, ut appellant, requiri ait, quæ ultima quidem e ductu Dei, per media certa nobis suppeditata agnoscendo, prudenti cujuscunque status æstimatione, legitimo instinctus nostri viriumque usu, providentiæ divinæ observatione, sapientiorum consilio, cognosci possit. Ceterum ita in universum de eruditione in hoc libello disserit eruditissimus Autor, ut integrum perlegisse neminem queat poenitere.

*MICHAELIS ETTMULLERI, PHIL. & MED. D.
& Professoris Publici, Opera Medica Theoretico-Practica,
per Filium, MICHAELEM ERNESTUM ETT-
MULLERUM, Philos. & Medic. D. Anatom. & Chi-
rurg. P. P. Extraord. & Academia Naturæ Cu-
riosorum Collegam.*

Francofurti ad Mœnum, ex officina Zunneriana, 1708, fol.
Constat Alphas. 33.

Sic tandem denuo prodierunt in lucem Opera Ettmülleriana, post varia fata suo restituta nitore. Cum enim Mstorum Beati Viri unicus existat hæres Filius ejus, Collega noster perindustrius, fas piumpq; hic duxit, memoriam Beati sui Parentis ab immortalitate vindicare, & ex illis innumeras, quibus priores horum Operum Editiones scatuerunt, mendas tollere, hiulca supplere, luxata restituere, atque superflua delere. Imo addidit, quæ hæctenus lucem nondum viderant publicam, Tentamina Uromantica, Tentamina Chymica, Dissertationem de fermentationis & putredinis convenientia, atque Casus & Observationes Practicas. Quod benevolum Lectorem latere nolimus.

OBSERVATIONS ON A JOURNAY TO NAPLES.

hoc est,

*OBSERVATIONES IN ITINERE NEAPOLITANO
factæ, in quibus fraudes Sacerdotum & Monachorum*

Ro-

*Romanensium ulterius accurate deteguntur.**Volumen II.*

Londini, apud Robertum Clavell, 1704 in 8.

Constat i Alph.

Alterum hoc est Volumen ejus libri quem mense Junio p. 278 ff. hujus anni recensuimus, ubi institutum Autoris sufficienter exposuimus, & quædam ex opere specimina adduximus, ex quibus satis judicari potest, quænam in ipso sint quærenda. Quare suffecerit nunc breviter saltem indicasse, quod in præsentate volumine Autor potissimum ignorantiam Paparum, Cardinalium, Episcoporum, Abbatum, Sacerdotum & Monachorum in capitibus religionis, neglectum bonarum artium in Italia, linguarum imprimis sanctarum & sacrarum litterarum, methodum docendi ac studendi Jesuitarum, Thomistarum & Scotistarum, baptismum campanarum, dogmata de campanis absurda, consecrationem bestiarum, exorcismum glirium & insectorum, superstitionum reliquiarum cultum, ridiculos consecrationis monialium in monasteria sæpissime vi detrusarum ritus, vivendi rationem, vitia & flagitia earundem, superstitionum clericorum in Regno Neapolitano venerationem, variasque clericorum imposturas false perstringat & exemplis plerumque admodum facetis illustret. Quamvis vero a specialibus recensendis abstinere animus sit, non possumus tamen quin commemoremus, quod Innocentius X Papa ne quidem symboli Apostolici sensum in generalibus rite percepisse feratur. Etenim verba, *qui conceptus est a Spiritu Sancto*, de æterna filii Dei generatione accipienda esse credidisse dicitur, donec a quodam Secretario Cardinalis cujusdam, ipsum in primis Christianæ religionis elementis informante, erroris admoneretur, cujus fide Autor pleraque ad ignorantiam Cardinalium, Episcoporum & Abbatum spectantia recenset.

 Errata Mensis Octobris.

Pag. 455 l. 23 post *desinit* inserte *per assensum propositioni alicui præstitum ob propriam ejus evidentiam; fidem vero*: pag. 456 l. 15 pro *actionum lege activum*: pag. 457 l. 4 lege *propululantem*.

ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipsiæ

Calendis Decembris, Anno MDCCVIII.

BIBLIOTHECA SICULA,

sive

*DE SCRIPTORIBUS SICULIS VETERIBUS
ac novis Notitiæ locupletissima; Auctore ANTONINO
MONGITORE, S. Theologiæ Doctore.*

Tomus I.

Panormi, ex typographia Didaci Bua, 1707, fol.

Alph. 4 plag. 20.

Prodiit jam opus nobilissimum, quod tantopere hæctenus a Viris eruditis exspectatum, & in Actis quoque nostris superioris anni p. 528 promissum fuit. Nimirum non satis erat Auctori doctissimo optimeque de patria sua merenti, Siciliam inventis & arte præclaram cum coetu literario communicasse in *Additionibus ad Vincentii Aurie Siciliam inventricem*, quæ Panormi A. 1704 in lucem prodiit, nobis A. 1707 p. 465 memorata, nisi & plenissimum Siculorum Eruditorum systema conscriberet. Primus simile quid tentavit *Petrus Carrera*, Militellanus, opere *de Scriptoribus Siculis* conscripto, at opus literis publicis exscriptum non prodiit, & pauca hujus laboris fragmenta manu scripta in bibliotheca Clericorum minorum Messanæ delitescere dicuntur. Cui successit *Carolus de Neapoli*, Panormitanus, ingenio & eruditione conspicuus, qui itidem Bibliothecam Siculam molitus est, sed eo in Hispania defuncto, hæud constat, quo inchoata ipsius minimeque absoluta pervenerint. Cum quo communia pene fata sustinuit *Antonius Agraz*, nobilis Panormitanus, qui *Museum Siculum, sive, de veteribus Siciliæ Scri-*

Yyy

pto-

ptoribus opus confecit, sed ne hoc quidem evulgatum fuit, auctore Neapoli extincto, & manuscripto haecenus latente. Idem denique studium aggressus est *Aloysius la Farina*, Eques Panormitanus, Marchio Madoniae, qui diu multumque sudavit in opere *de Scriptoribus Siculis ab orbe condito*: quod & Auctor noster in splendidissima ipsius, nunc Vincentii la Farina, filii, bibliotheca vidit, sed nondum numeris, ut censet, omnibus absolutum, imo inordinatum & a praesenti instituto plane alienum. Itaque nihil antea de Eruditis Siculis prodiit, nisi quod sparsim alii tradiderunt, quo in numero sunt *Thomas Fazellus*, Saccensis, in volumine de rebus Siculis, & *Rocchus Pirrus*, Netinus, in Sicilia Sacra, qui antiquis nonnullos recentiores adjecit. Ceterum *Joannes Vigintimilius*, Messanensis, de omnibus Siculis Poetis scribere meditabatur, sed morte praepeditus de Poetis tantum *Bucolicis* nonnihil elaboravit. *Philadelphus Mugnos*, Leontinus, nonnulla de antiquis Philosophis, Poeticis, Historicis aliisque Siculis in suo novo *Laertio* evulgavit, & recentiora promisit, at haec non edita esse, Orbi literario Noster multum gratulatur: vir enim ille, ut censet, in iis, quae typis consignavit, dubiae fidei, gloriam Sicularum doctorum obfuscasset potius, quam illustrasset, quod satis apparet ex censura viri eruditissimi, *Vincentii Auria*, Panormi 1702 hoc titulo excusa: *La Verita historica svelata, o vero Avertimenti, e Correttioni al nuovo Laertio di D. Filadelfo Mugnos*. Hinc Noster tanto alacrius in labore suo progressus, de Scriptoribus Siculis opus conscribere ac typis committere adnitus est: dum vero fervet opus, & ad umbilicum pene deductum est, ecce *Hieronymus Ragusa*, Soc. Jes. Motycensis, qui jam olim *Elogia Sicularum* Lugd. 1690 praemisera, eodem in labore versatur, & opus hujus rubricae: *Sicula Bibliotheca vetus, continens Elogia virorum Sicularum, qui litterarum fama claruerunt*, Romae 1700 excusum, sed anno demum 1702 publici juris factum, emittit. Noster opus novum summa aviditate perlegit ac evolvit, at *elogia* illa, quae praecesserant, novis tantum accessionibus locupletata cognovit: adhuc non pauca deprehendit, quae vel incognita Ragusae, vel certe praetermissa fuerunt; unde nihil Noster cessans suam quoque nobiscum Sicularum

P. 85.

Bibliothecam communicare coepit. Itaque duplicem Siciliae Bibliothecam habemus, Ragusae unam, alteram vero Auctoris nostri, diverso tamen ordine ac diversa scribendi ratione distinctam. Ragusa opus suum in veterem ac novam Bibliothecam, novam in centurias descripsit; Noster vero eum secutus est ordinem, quem literarum elementa suppeditant: Ragusa complexus est Siculos, solo doctrinae jure in opus suum exceptos, & qui nulla saepe ingenii dederunt monimenta, plures etiam non Siculos, ut Noster putat, vel dubiae patriae ex aliorum fide in opus transcripsit; at Noster eos tantum Siculos, qui patria Siculi fuere, & vel ediderunt nonnihil, vel scripserunt, commemorat, naevos etiam in Ragusae Bibliotheca occurrentes diligenter emendat. Ut vero & sibi & eruditorum spei de se conceptae satisfaceret, & omnia accurate conscriberet, nullis nec sumptibus nec laboribus pepercit: multos hinc codices conquisivit, perlegit, evolvit, bibliothecas Panormitanas numero & selectu praestantes excussit, bibliothecarum auctores ac indices percurrit, commercium literarium cum aliis instituit, nihilque operae vel studii in se desiderari passus est. In Scriptoribus Siciliae delineandis hunc observat ordinem, ut patriam, nativitatis diem, annum, institutum, munera & res praecclare gestas, fata memorabilia, diem fatalem aliaque diligenter enotet, in quo calamum ita temperat, ut rem nec circumducat nimis, nec nimium brevitate constringat, subinde ad auctores remittendo, qui fusius rem pertractarunt. Librorum titulos, quo linguae genio conscripti sunt, adlegat, addito urbis & typographi nomine, ac forma, variis itidem operum, si quae secutae sunt, editionibus: & manuscripta, ubi delitescant, fideliter ostendit. Quae cum ita se habeant, multos aliorum scriptorum naevos diligenter corrigit, Toppii maxime & Coronelli. Scribendi genus, ut ipse Auctor noster de se censet, sequitur nec ornatum nimis, nec nimis depresso, sed quod inter Oratorem & Historicum interjacet. Atque haec quidem diligentissimi Auctoris Praefatio nos docuit, qui & praemisit nonnulla, quae de Siciliae situ, nomine, ortu, fama, bonitate, indole agunt: sequitur deinde de Computo Olympiadum Dissertatio, ubi Auctor in tem-

porum adnotatione eam secutus est sententiam, qua Salvatorem nostrum natum Olympiad. 194 post initum Olympiadum computum A. 776 adfirmant. Jam exhibitis operis Mongitoriani lineamentis & structura, in ipsam necesse foret bibliothecam ingredi, & partes illius sigillatim adspicere: sed legum nostrarum non immemores nonnulla tantum seligemus, cætera studioso Lectori relinquentes.

p. 1.

In ipso operis fronte notitiam Autor suppeditat de Academia *Accensorum* Panormitana, quæ prima inter Siculas Academies literas politiores excoluit, suaque auspicia cepit A. 1568. Conventus celebrabantur in D. Dominici Fratrum Prædicatorum coenobio, ubi in pervetusto S. Barbaræ sacello (sub cujus tutelari umbra clarebat) coibant Academicorum coetus & eruditis confabulationibus ingenia virtutis famæque gloria accensa mirum in modum incalescebant. Hujus symbolum luna fuit renata cum epigraphe: *Revertens colligit ignes*, ex Virgil. Georg. inde mutato consilio aliud delegit, nempe alambicum igni superimpositum, cujus vi ex oleribus floribusque occlusæ eliciuntur virtutes, ad utilitatem pariter & voluptatem, adjecto lemmate: *Virtutes elicit arte*. In ea societate viri illius ævi præstantissimi recensebantur, deficientibus vero paullatim illius conditoribus, fringere coepit literarum ardor: sed non multum post Eruditorum studium sub *Reaccensorum* nomine iterum incaluit, ut altero Tomo fusius Auctor ostendet. *Antonius Bononia*, qui & *Antonius Panormita* dictus, ex nobilissima *Beccadelli* familia ortus, quam Panormitani *Bononiam* dicunt, natus est A. 1393 patre Henrico Bononio. A teneris annis literis admotus Panormi Germanum quendam audivit, inde Bononiam se contulit, ubi ob præstantem ingenii indolem & doctrinam Juris utriusque laurea insignitus est: cum jure literarum sacrarum studium conjunxit: in amœnioribus literis maxime Poesi egregie profecit, ut Musarum venustates eo tempore exulantes postliminio reduxerit, reddideritque magis cognitatas & illustres. Magno in pretio habitus fuit imprimis a Sigismundo Imp. qui A. 1433 lauream ipsi Poeticam dedit; & Philippus, Mediolani Dux, annum octingentorum aureorum censum ei constituit, ut literas Mediolani

p. 55.

publice profiteretur. Nec minori in pretio habuit ipsum Alphonsus, Siciliae Neapolisque Rex, qui non modo præceptorem suum constituit, verum a secretis quoque & consiliis ipsum delegit: ac sæpe multumque cum eo versatus est: sæpe legationes summa cum laude obiit: sæpe ingenti honore adfectus, quod Auctor noster latius persequitur. Tandem ætate ac urinæ morbo confectus Neapoli vivere desiit 6 Jan. 1471, cujus marmoreo sepulchro hoc additum fuit epitaphium, quod ipse in supremo morbo conscripsit:

Quærite Pierides alium, qui ploret amores,

Quærite qui Regum fortia facta canat.

Me pater ille ingens hominum fator atque redemptor

Evocat, & sedes donat adire pias.

Inter opera, quæ confecit, illud notamus, quod *Hermaphroditum* inscripsit, obscœnis carminibus refertum & Cosmæ de Medicis, Florentiæ Duci, nuncupatum, qui tanta illud reverentia excepit, ut nonnulla describere exempla jusserit, quorum aliqua manu scripta servantur Florentiæ in bibliotheca S. Laurentii: existat & exemplar apud illustrem Italiæ ocellum Magliabechium. Illum alius excipiat Poeta *Antonius Venetianus*, celeberrimus Musarum Sicularum cultor. Natus ille patricio genere 7 Jan. 1543 ob facultatis poeticæ præstantiam Magnatum in se studia excitavit. In sermone, in publicis ac privatis congressibus multum salis ac facetiarum adhibebat: lepidus erat, acutus, gravis, sed ob aculeatos libellos plus simplici vice in carcerem conjectus, tormentisque subjectus, parum abfuit, quin publice pœnas lueret. Panormitano senatui aliquando fuit a secretis, ejusque benevolentiam expertus præcipue est A. 1578: cum enim duobus triremibus una cum Carolo Aragonia, Terræ novæ Duce, veheretur, a Turcarum piratis captus, mox Algerii servitutis jugo fuit mancipatus; quod cum Senatus compertum haberet, soluto pretio Antonium illico redemit, ipseque Panormum reversus ad genium & Musas suas rediit, multaque carmina lectu dignissima composuit. Demum Panormi miser vates in carcerem detrusus est ob libellum in Proregem evulgatum, cujus auctorem.

p. 73.

p. 158.

Antonium nostrum existimabant : quo in carcere miserrime, ut ipse sibi prædixit, vitam conclusit, succenso præter opinionem tormentario pulvere ibi adservato, quo ipse cum reliquis oppres- sus perit 19 Aug. 1593. De Diodoro Siculo multa congeffit Au- ctor, & operæ pretium fuerit conferre hæc cum Jo. Alberti Fa- bricii Bibliothecæ Græcæ L. III c. 31. Unicum enotabimus, quod Cl. Fabricius omisit. Sub Diodori Siculi nomine Italice prodire E- pistolæ LV apud Petrum Carreram in Historia Catanæ Vol. I p. 457, quibus nonnullas notas addidit ipse Carrera, idem vero p. 457 & 492 tradit, has Epistolas Græce scriptas Latinitate donasse Card. Bessarionem 1470, exinde ab Octavio de Archangelo in Itali- cam linguam conversas & in historiis Catanensibus, quas Cata- næ MSS. adservant, exscriptas. Futili vero conjectura dubitat Carrera p. 492, sintne Diodori Siculi, an Theocriti Chii: Auctor quidem noster cum Placido Reina aliisque suppositas esse putat, cum nullus antiquorum vel recentiorum de iis Epistolis egerit: nec unquam liber apparuerit, ex quo has Epistolas eruit Archan- gelus. Commemoremus quoque Poetiam nobilissimam Pa- normitanam, *Elisabeth Ajutamichristo*, quæ poeticæ facultatis laude in primis effloruit, & Etruscis numeris multa cum litera- torum plausu cecinit. Decessit Panormi circa A. 1580, & Philippus Paruta hoc ipsi ex merito tribuit elogium:

p. 171.

An Charis est? an Musa? Charis, Charis illa vocanda est,

Quæ Charites omnes, cum libet, una parit.

At quot habet vocēs, tot habet sub pectore Musas

Musa, Charis Charitum Castalidumque Dea est.

Denique Auctori vitam & vires apprecamur, ut, quæ restat, alteram Partem quam primum & felicissime absolvat, & diligen- tiæ laude & usu copiose perfruatur.

EXAMEN THEOLOGIÆ NOVÆ, IN PRIMIS
Celeberrimi Dn. Pireti, ejusque Magistra, Mad. de
Bourignon, a JOH. WOLFGANGO JAGERO, Can-
cellar. Tubing, & Præpos. Eccl. institutum.

Tubingæ, typis Jo. Adami Reifii, 1707, 8.

Alph. 1 pl. 3.

SCopus Venerandi Auctoris non alius est, quam ut in cun-
 sculos Fanaticorum hodiernorum accurate inquiret, quorum
 hostiles conatus tanto magis formidandos esse existimat, quod
 pietatem, alias veræ Ecclesiæ characterem, in vexillis præferant.
 Quo magis vero Lectoribus constet, cum quibus ipsi imprimis
 res sit futura, aliquot classes constituit, quarum in primam re-
 ponit illos, qui cernentes corruptos præsentis ævi mores sancto
 quodam zelo excandescunt, & collapsam pietatem in Ecclesiam
 revocare omnibus viribus annituntur: & hujus classis antefi-
 gnanum constituit B. D. Spenerum, Theologum veritatis divi-
 næ æstimatorem. Tantum vero abest, ut hunc post fata velli-
 care velit, ut potius venerandos ejus cineres in digno pretio ha-
 bendos esse statuatur, cujus quoque ingentia in Ecclesiam merita
 sententiam de spe meliorum in epilogo mundi temporum mi-
 nime obscurare posse abunde persuasus est, siquidem hæc spes
 sit innocens & votum nulli noxium, quod adeo toto cœlo dif-
 ferat a crasso Chiliasmo, omni fundamento in sacra Scriptura
 destituito, & totum ferme systema Theologicum evertente,
 quem ipse Spenerus sæpissime detestatus fuerit. In secunda
 classe collocat eos, qui pietatis studium & amorem præ se fe-
 runt; in veritate tamen a recta linea recedunt, & variis ab or-
 thodoxia abeuntibus sententiis tincti sunt, iisque pascuntur.
 Tales, quamdiu nihil turbant, nec alios inficere moliuntur, to-
 lerandos Auctor censet; siquidem fides suaderi possit, non im-
 perari, & intellectus æque respuat violentiam externam, quam
 voluntas, prætereaque religio male omnino per carnificem pro-
 moveatur. Tertiam classem assignat iis, qui sub prætextu ma-
 gnæ pietatis totam Ecclesiam turbant, atque non tantum fi-
 dei luxantia, imò evertentia obtrudunt, sed etiam praxin omnem
 Ecclesiæ jam ab Apostolico tempore fundatam evertere fata-
 gunt. Horum primipilum in Germania facit Gothofredum Ar-
 noldum, Historiæ Hæreticæ scriptorem, quamvis jam meliora
 de ipso speret, postquam in gratiam cum nostra Ecclesia redie-
 rit, & tessera ejus, hoc est, Augustanæ Confessioni sub religione

jurisjurandi subscripserit. In Belgio hujus classis Principem constituit Poiretum, qui in œconomia sua omne illud pro veritatibus divinis venditaverit, quicquid ipsi in mentem vel operosam phantasiam venerit. Quoniam vero in Poireti classem omnes Weigelii, Schwenckfeldii, Matthiæ Wejeri asseclæ, quin etiam numerosus ille Quakerorum exercitus, referri possunt, siquidem ex sententia Auctoris in centro, hoc est, in illuminationibus, quas jactitant, immediatis inter se conveniant: hinc Poireti dogmata in libro allegato proposita Auctor impugnare eorumque falsitatem demonstrare in animum induxit. Id quod per præcipuos fidei articulos præstitit triginta & quatuor controversias proponens, in quibus excutiendis ita versatur, ut ante omnia Poireti sententiam copiose exponat, ejusdemque argumenta, quibus innititur, fideliter adducat, deinceps autem thesin & probationem thesios Poiretianæ argumentis solidissimis ex penu sacrae Scripturæ depromtis erudite confutet. Singulas autem hæc controversias recensere nec instituto nostro conveniens est, nec brevitatis studium permittit, inprimis cum theses Poireti ex phantasia ipsius & Bourignonæ, quam facem sibi præferentem nactus est, profectæ per universam Theologiam undiquaque se diffundant. Quam ob rem paucas tantummodo quasdam controversias speciminis quasi loco adduxisse satis habebimus. Prima controversia circa methodum Theologiam addiscendi est occupata, ubi Autor primo methodum Poireti uberius exponit, postea vero per singulos fidei articulos sigillatim recenset, quam infeliciter ipsi Poireto hæc ratio Theologiam tractandi cesserit. Quemadmodum vero Poiretus non aliam ad sapientiam viam, quam illuminationem divinam immediatam agnoscit, utpote qui veritatem in centro animæ lucentem consulendam esse existimet, cujus auxilio homo ad Deum atque æternam salutem perducipossit, licet forte literam Evangelii ignoret: ita Auctor sacrae Scripturæ auctoritatem multis argumentis vindicare conatur. Controversia VIII quæstionem ventilat: an filius Dei jam in Paradiso ante lapsum fuerit incarnatus? Poiretus enim ex immediata revelatione divina sibi constare asserit, filium Dei, ut eo

melius cum Adamo conversari atque ipsum a peccato prohibere posset, humanam induisse naturam corpus assumptum ab ipso Adamo, qui principium fecunditatis in semetipso habuerit, unde alii sui similes prodiissent, & hanc esse causam, cur Scriptura S. Christum tum filium hominis & Adamum secundum tum fratrem hominum passim appellet. Hinc etiam, Deum jam tum hominem factum non modo Adamo, sed etiam pluribus aliis Sanctis corporaliter apparuisse. Et hoc ipsum sacra Scripturam tam manifesto declarare sibi persuadet Poiretus, ut miretur supinam negligentiam, qua non perspicimus, quam parum rationis, quantum violentiae & quantum incommoditatis secum ferant omnes interpretationes allegoricæ, quas in apparitionibus Dei, Mosi atque Israelitis factis, vulgo afferunt. Erroneam vero illam Poireti sententiam Auctor refutat primo ex sacra Scriptura, utpote quæ disertis verbis testetur, incarnationem filii Dei sive assumptionem humanæ naturæ post lapsum demum fuisse promissam, & Christum dici semen Abrahamæ & semen mulieris, nunquam vero primogenitum Adami. Porro quemvis non hebetioris plane ingenii facile perspicere, quæ absurda ex hac Poireti sententia derivari queant. Sic enim dicendum esset: filium Dei bis fuisse hominem factum, primo, quando humana ejus natura producta fuit ex natura Adami integri, & secundo, quando concepta fuit in utero B. Virginis Mariæ per *Ἰνδύσιν* Spiritus Sancti, & sic etiam Christum habiturum esse duplicem naturam humanam, unam ex viro Adamo, alteram ex muliere. Et quamvis Poiretus regerat, Deum potuisse corpus illud, primo assumptum & cum anima unitum, in parvam formam redigere instar embryonis, ita ut cum altero embryone potuisset simul subsistere, id quod sacra Scriptura innuere videatur, dicens, quod Christus se ipsum evacua-
verit, *ἐκένωσε*, tenuemque se & exiguum reddiderit. Hæc tamen *ἄτερ γραφῆς* dici, & ex pharetra insanientis rationis depromta esse, Auctor monet. Quod enim ad primum attinet, hic non esse quæstionem, quid Deus facere potuerit, & a potentia divina ad actum non valere consequentiam, locum autem allegatum minime probare id quod probare debeat;

neque enim *κένωσις* significare redactionem virilis illius & perfectæ staturæ humanæ in formam embryonis, quin consistere potius in evacuatione & voluntaria abdicatione earum proprietatum divinarum, quæ passionem & mortem Christi impedire poterant. Tandem quoque Auctor ostendit, argumenta a Poireto pro hac sententia stabilienda allata nullius plane esse momenti. Nimirum præcipuum ejus argumentum hoc est, quod filius Dei corporea forma cum sanctis Veteris Testamenti hominibus versatus fuerit, atque sæpissime in forma hominis apparuerit. Quamvis igitur Auctor has apparitiones lubens agnoscat, ex iis tamen minime colligi posse ostendit, quod jam tum humanam naturam corpore & anima constantem personaliter sibi univerit. Aliud enim omnino esse corpus ad tempus assumere, aliud incarnari atque carnem personaliter sibi unire. Controversia XV disputatur, cur Deus primo homini uxorem dederit, & qualis ille somnus fuerit, quo Adamus oppressus est. Poiretus enim in ea opinione est constitutus, Adamum ante conditam uxorem jam sæpius defecisse, & Deo non satis applicatum ad creaturas ipso homine ignobiliores deflexisse, hinc Deum motum fuisse, ut uxorem ipsi daret, ceu remedium & auxilium contra graviolem lapsum, propterea Deum dixisse, quod bonum non sit hominem esse solum, subsecutum igitur somnum Adami indicium fuisse deliquii, & quod jam tum vires hominis ac universæ naturæ multum defecerint. In hoc vero fomno Deum ex Adamo foeminam desumpsisse separando ab eo alterum duorum principiorum foecunditatis, quorum utrumque in Adamo fuerit. Hæc omnia autem esse somnia Poireti, Auctor judicat: falsum enim esse, quod Adamus ante conditam uxorem jam aliquoties a Deo defecerit, siquidem Paulus primum peccatum Evæ disertis verbis tribuat, de illa testimonium perhibens, quod *ἐν παραβάσει γέγονε*, & quidem a serpente seducta, & postea maritum quoque in societatem peccati pertraxerit. Controversia XVI quæritur: an primum Adami peccatum imputetur posteris? & quodnam sit justitiæ fundamentum in illa imputatione? sane ex Poireti sententia nil absurdius est, quam imputationem peccati statuere, quia
idem

idem esset, ac si quis diceret, malignitatem cogitationis actualis mentis hujus esse malignitatem cogitationis actualis mentis illius. Hanc vero doctrinam de imputatione minime absurdam esse, Auctor demonstrat, quoniam scilicet Deus cum Adamo foedus pepigerit, atque in eo cum tota sua posteritate, ita ut Adamus non tantum pro se steterit, sed personam gesserit totius generis humani. Unde mirum non sit, quod peccatum ejus toti posteritati imputetur. Quemadmodum enim in foedere Evangelico justitia Christi nobis imputetur, & tota ejus obedientia activa, quæ exhibita fuit Patri coelesti, antequam in rerum natura fuimus, ita absurdum plane non esse, in foedere legali peccatum Adami nobis imputari; cum præsertim etiam in lucro nostro fuisset, si in obedientia perstitisset. Verum hæc sufficient, plura desiderantes ipsum librum adire possunt. Hoc silentio præterire non possumus, libro, quem jam præ manibus habemus, subjunctam esse hoc ipso anno Epistolam ad Poiretum responsoriam, in qua Auctor ostendit, quod nihil sit bonæ fidei nec veræ & sinceræ pietatis in illa Præfatione, quam tractatui de Eruditione solida præfixerit. Præterea quoque accessit judicium de refutatione, quam idem Poiretus contra Lockium publicavit. Controversia enim exorta fuit inter hosce duos Viros de fide atque ratione. Cum igitur Lockius rationem supra fidem extollat, Poiretus autem ex fide Deum faciat, & rationem plane e medio tollere velit; Auctor noster mediatorem quasi egit, & utramque partem vel conciliare, vel utrique, ubi limites transierint, monstrare allaboravit.

JO. ANDREÆ SCHMIDII, D. PROF. PUBL.
& Abbatis Mariævallis, *Compendium Historiæ
Ecclesiasticæ Veteris Testamenti.*

Helmstadii, ap. Jo. Melch. Süstermannum, 1708, in 8.

Plag. 20.

Cum ab eo tempore, quo summe venerandus Autor Historiæ Ecclesiasticæ N. T. Compendium à nobis mense Decembri anni 1701 p. 529 recensitum in lucem publicam emisit, non pauci Auditorum desiderarint, ut res sacras Veteris Instrumenti eadem methodo repræsentaret; honesta ipsorum desideria ulterius frustra esse noluit, sed, quod in præsentis exhibemus, Compendium Historiæ Ecclesiasticæ Veteris Testamenti typis excubari curavit. Visum autem est celeberrimo Autori, in Compendio isto ad decem epochas, quarum I ab orbe condito ad diluvium, II a diluvio ad vocationem Abrahami, III a vocatione Abrahami ad exitum ex Ægypto, IV ab exitu ex Ægypto sub Mose ad Josuam, V a Josuæ ducatu ad Samuelis præfecturam, VI a præfectura Samuelis ad distractionem Regni sub Roboamo, VII a Roboamo & distractione regni ad captivitatem Babylonicam, VIII ab initio captivitatis Babylonicæ ad ejusdem finem, IX ab exitu e captivitate Babylonica ad principatum Maccabæorum, X a principatu Maccabæorum ad natum Christum pertingit, antiqui foederis res sacras commode revocare, & circa rerum ad epochas istas spectantium tractationem ita procedere, ut ecclesiæ foundationem, statum & propagationem, doctrinam catholicam, Doctores aliosque Viros illustres, doctrinæ corruptionem & corruptores, ceremonias, instituta & mores, regimen & disciplinam, schismata & eorum autores, conventus solennes, persecutiones & martyres, res aliorum extra ecclesiam cum memorabilibus quibusdam concise referat, & ad bonæ notæ scriptores, qui plenius ea pertractant, subinde lectores remittat. Sub Compendii hujus finem geminus Index, apocharum scilicet atque rerum præcipuarum, comparet. In Programmate, quod Disputationibus viginti publicis in Compendium Historiæ Ecclesiasticæ V. & N. T. a doctissimo quodam Viro Juvene habendis venerabilis Autor præmisit, & Compendio a nobis jam recensito inseruit, pensum ante hos septem annos & quod excedit, coeptum data hac commoda occasione ita continuat, ut in universum Scriptorum deperditorum, quæ ad historiam sacram facere poterant, ratio habeatur.

CONRINGIANA EPISTOLICA, SIVE ANI-
madversiones variæ eruditionis ex B. HERMANNI
 CONRINGII *Epistolis miscellaneis nondum editis*
libatæ, cura CHRISTOPHORI, HENRI-
 CI RITMEIERI P. P.

Helmstadii, typis Georgii Wolfg. Hammii, Acad.
 Typogr. 1708, 12.

Plag. 10.

Sunt hæc Conringiana ex Epistolis Conringii MSS. quas B. Cörberus possidebat, ab Editore maxime reverendo excerpta & duabus Epistolis Conringii ad D. Justum Gesenium, Theologum, de hæresi & hæreticorum poenis, aucta, nec non præfatione, qua & beneficium B. Cörbero acceptum refert Editor, quod volumina *Epistolarum MSS. Conringii* secum communicavit, & se habere indicat fascem *Conringianarum* ad B. Christophorum Schraderum Lugdunum Bat. transmissarum, quarum publicatione aliquando Orbem literatum sibi devincire se posse merito sperat. Ipsa autem hæc Conringiana observationes varias singulares & multijugæ eruditionis animadversiones, judicia item de Viris doctis eorumque libris, & multas alias veritates eximias atque præclara effata quamplurima complectuntur, uti Cl. Editor in Præfatione significat. E quibus nos, more nostro, pauca, tanquam gustus causa, h. l. delibabimus. Ita p. 10 *Religio Medici*, inquit, vehementer me delectavit. Utinam nemo Medicorum, imo Theologorum, illo homine sit minus religiosus! P. 21 ex Professorio munere ditescere neminem posse ait, omnem vero vitæ felicitatem capiendam ex jucunditate, quæ sequitur studium literarum. P. 22 *Hobbii Elementa de Cive* impietatis damnat, & dignum Autorem judicat, quem odia omnium excipiant. P. 26 nihil perinde desiderare se dicit, atque perfectum videre *Meibomianum de Medicorum vitis* opus. P. 39 de sævitia, quæ in Austriacos Evangelicos exerceatur, conqueritur, & suam *de Magistratus civilis officio* Exercitationem proferens, novum de hoc argumento librum promittit. P. 42 *Bullam Innocen-*

tii in Jansenianas de gratia sententias miratur, S. Augustino adversam. P. 46 multorum in Galliam & Italiam peregrinationes improbat, bonis moribus damnosas. P. 47 iocenssem processum, ut dominatus instrumentum artificiosissimum considerat, ipsi Aristoteli ignoratum. P. 47 & 48 novum Juris corpus nimis effectu difficile putat, in Justiniano illo arcanam calliditatem & τὸ τυραννικόν, ut & in ipso Justiniano, observat. P. 49 eam vim hodie esse dolet opinionis, ut boni soli illi habeantur & civiles, qui Italica impietate & levitate Gallorum gravitatem religionemque Germanicam, tanquam rusticam nimis & barbaram, norint commutare. P. 50 Riolani pertinaciam miratur, in claro meridie veritatis. P. 51 & 52 Davidem Blondellum, virum Ecclesiæ bono natum, tempus impendere ambitioni Regum succandæ indignatur. Sed desinimus, & multa non minus erudita de omni genere literarum & rerum & personarum judicia omittimus: quod Conringii vel solum nomen Lectores ad hæc quoque Conringiana cognoscenda alleclurum esse confidamus. Nec modo Epistolas integras Conringii adhuc MSS. quas promittere videtur celeberrimus Editor, verum etiam reliqua omnia, atque adeo perfectum Conringianorum monumentorum opus, publico & literarum ingenti bono, desideramus.

HERMANNI CONRINGII MUSÆ ERRANTES. Dispersas collegit ediditque JUSTUS CHRISTOPHORUS BOEHMER, Polit. & Eloquentiæ Prof.

Helmstadii, typis Georg. Wolffg. Hammii, Acad.
Typogr. 1708, 8.

Plag. 6.

EXiguum quidem illum, sed dignum tamen hoc loco librum proferimus, quem Editor nobilissimus & polita diserta-
taque doctrina celeberrimus, idemque Conringii munerum
ex parte hæres, docta Præfatione auxit, qua inter cetera Scri-
pto-

ptores Imaginum Virorum eruditorum ac repræsentatores accurate persecutus est, testatus eodem loco, se possidere magnorum aliquot in Aulis superstitem Virorum, nominatim Leibnitii, Hermelini, Hortensii, Carmina Latina bene multa, prorsus elegantia & digna, ut publici juris fierent, siquidem id bona Autorum pace fieri posset. Asservari quoque ait adhuc hodie apud viduam Cörberianam Epistolas Conringii MSS. sive numerum illarum & copiam, sive rerum argumentorumque varietatem ac dignitatem consideres, cum præstantissimis comparandas, quas B. Cörberus editioni destinavit, præmaturo fato extinctus, quasque una cum omnibus Conringii operibus publici juris fieri optat. Hic autem ipse libellus, præter Epigrammata trium Virorum, Strauchii, Meibomii & Cörberi, in effigiem Conringii, Carmina complectitur ab ipso perscripta Conringio, partim nondum edita, partim vulgata sparsim, nuptialia, funebria, laudatoria, alia, omnia ingeniosa & polita satis. Inedita, quæ primum locum occupant, descripta sunt e *Fascisculo Imaginum illustrium & eruditorum*, quem a Conringio collectum, hodie illustris Vir, CHRIST. WILH. ab EYBEN, Holsatiæ Ducis Consiliarius intimus, inter delicias suas literarias repositum habet. Nempe quibusdam harum Imaginum sua manu Epigrammata a se confecta subscripsit Conringius, eaque ab Editore nostro studiose pridem collecta nunc primum publice apparent. Exhibemus brevissimum, modestiam summi Viri exprimens, quod in hoc eodem volumine suæ ipse imaginæ a Jo. Strauchio laudatæ subjecit. Nempe Strauchius sic scripserat:

Pictor ait : vultum Conringi pingere, mentem

Non possum ; ipsa sua pingitur arte sibi.

Errat. Qui totus mens est, quod pingitur, ejus

Aut mens, aut mentis fiet imago sua.

Verum ita Conringius:

Me talem ac tantum Pictor facit atque Poëta:

Artificum quid non sumit uterque sibi?

In fine libelli adjecit Clarissimus Editor non ignobile *ἐπίμνη-
την*, Henrici nempe Meibomii Scazontem in obitum Con-
rin-

ringii, ut & Epitaphium. Quod quidem non pigrabimur ascribere integrum. Ita habet:

HOC TUMVLO CLAUDITVR
 REGVM PRINCIPVMQVE CONSILIARIVS
 IVRIS NATVRALIS GENTIVM PVBLICI DOCTOR
 PHILOSOPHIAE OMNIS PERITISSIMVS
 PRACTICAE ET THEORETICAE
 PHILOGVVS INSIGNIS
 ORATOR
 P O E T A
 HISTORICVS
 MEDICVS
 THEOLOGVS
 MVLTOS PVTRAS HIC CONDITOS?
 VNVS EST
 HERMANNVS CONRINGIVS
 SECVLI MIRACVLVM.

INDEX AUCTORVM,

quorum Libri aut Inventa hoc volumine recensentur.

I. Libri Theologici & ad Historiam Ecclesiasticam spectantes.

A <i>Nonymi Fraudes Monachorum & Sacerdotum Romanensium Pars I</i>	278
<i>Pars II</i>	536
<i>Note in Concilium Tridentinum</i>	134
<i>Sacrum Gemmeni Theatrum, Pars I</i>	137
	<i>Ane-</i>

INDEX AUCTORUM.

<i>Anonymi Idea Sacrae Congregationis Helveto-Benedictina.</i>	201.
<i>S. Davides & antiqui ejus Interpretes Anglicani illustrati.</i>	238
<i>Ascher (Jacobi Bar) Quatuor Turim seu Ordines.</i>	366
<i>Bælii (Petri) Colloquia Maximi & Themistii.</i>	155
<i>Basnagii (Jacobi) Historia & Religio Judæorum. Tomus III, IV & V.</i>	13
<i>Bernini (Dominici) Historia omnium heresium. Tomus I.</i>	494
<i>Calliopolitæ (Maximi) Novum Testamentum in sermonem vulgarem Græcum translatum.</i>	275
<i>Cozzæ (Laurentii) Commentarius in librum S. Augustini de Heresibus.</i>	489
<i>Cypriani (Ern. Salomonis) Programmata Selecta.</i>	332
<i>Feustkingii (Jo. Henrici) Historia Colloquii Jeverensis.</i>	84
<i>Grabe (Jo. Ernesti) Septuaginta Interpretum Tomus I.</i>	193
<i>Hickesii (Georgii) Vindicatio Apologetica Ecclesie Anglicana.</i>	109
<i>Hooker (Richardi) Operum Theologicorum Compendium.</i>	480
<i>Jægeri (Jo. Wolfg.) Examen Theologiae novæ &c.</i>	542
<i>Janningi (Conradi) Acta Aloysii Gonzage.</i>	197
<i>Iserles (R. Mosis) Via Mosis, sive Commentarius,</i>	366
<i>Karo (R. Josephi) Domus Josephi, sive Commentarius.</i>	366
<i>Ruina Domus, sive Correctiones.</i>	366
<i>Leusden vide Schaaf.</i>	
<i>Leydekkeri (Jacobi) Dignitas Synodi Dordracenæ evicta. Pars I & II.</i>	403
<i>Loëscheri (Val. Ern.) Prenotiones Theologicae.</i>	356
<i>Maji (Jo. Henrici) Synopsis Theologiae Christianae ex solis verbis Christi.</i>	396
<i>Maimon (Mosis) Tractatus de Juribus anni septimi.</i>	210
<i>Lex Iterata &c. Partes IV.</i>	433
<i>Malebranche Tractatus de Amore Dei.</i>	358
<i>Meyeri (Joannis) Dissertatio Theologica, qua Propheticas visiones Ezechielis de Templo C. IX nondum impletas demonstratur.</i>	237
<i>Millii (Joannis) Novum Testamentum &c.</i>	1

- Neumann (Casparis) *Biga difficultatum Physico-sacrarum de Gemmis Urim & Tbummim.* 114
de pueris & puellis Silesiorum sub dio ad orandum confluentibus iudicium. 213
 (Jo. Georgii) *Programmata Academica.* 211
- Ortlob (Jo. Christoph.) *Schediasma bipartitum &c.* 325
- Ostervald (J. T.) *Tractatus contra Impuritatem.* 151
- Poiret (Petri) *Fides & ratio collata.* 454
- De Rocaberti (Jo. Thome) *Bibliotheca Maxima Pontificia. Tomi XXI.* 385
- Rudbeckii (Olavi) *Ichthyologia Biblicæ Pars I.* 204
- Schaaf (Caroli) & Jo. Leusden *Novum Testamentum Syriacum.* 289
Lexicon Syriacum Concordantiæ. 289
- Schmidii (Jo. Andrea) *Compendium Historiæ Eccl. Vet. Test.* 547
- De La Touche Boesmer *Prophylacticum contra Religionis fugam.* 451

II. Libri Juridici.

- B**ergeri (Jo. Henrici) *de Matrimonio Comprivignerum disquisitio.* 467
- Best (Gulielmi) *Ratio emendandi leges.* 303
- Cortreji (Adami) *Corporis Juris Publici Tomus I & II.* 23
- Ab Eyben (Hulderici) *Scripta Juridica.* 337
- Gravinæ (Jani Vincentii) *Origines Juris Civilis. Libri tres.* 468
- Harprechtii (Ferdinandi Christophori) *Responsorum. Volumen V.* 118
Volumen VI. 509
- De Hohenhard (Petrus) *vide Ludewig.*
- Ludewig (Jo. Petri) *Novum Castrum ejusque Jura Regi Borussiae asserta.* 296
- Ockel (Andrea) *Tractatus de Præscriptione Immemorabili.* 264
- Struvii (Georgii Adami) *Decisiones Juris Opificiarum.* 120
- Thasser (Jo. Franc.) *Progymnasmatum Actionum Forensium.* 401
- Wacht-

Wachtleri (Christfried) *Excerpta ex Literis ad Virum Ampliss.*
J. B. M. 512

III. Libri Medici & Physici.

- A** Lghisi (Thome) *Tractatus de Lithotomia.* 418
 Bayeri (Jo. Jacobi) *Ἐπιτομὴ Νοσῶν Norica.* 226
 Bidloo (Godofredi) *Exercitationum Anatomico-Chirurgicarum*
Decades duae. 314
 Boerhave (Hermanni) *Institutiones Medicae.* 372
 Ettmulleri (Michaelis) *Opera Medica.* 535
 Fontenellii *Historia Academiae Regiae Scientiarum Anni 1706.*
 339
 Guilielmini (Dominici) *Dissertatio de Salibus.* 72
 Hambergeri (Ge. Alb.) *Dissertationes Physico-Mathematicae.* 272
 Hofmanni (Friderici) *Dissertationes Physico-Medicae.* 223
 Lancisii (Jo. Mariae) *de Subitaneis Mortibus Libri duo.* 174,
 466
 Lemmerii (Nicolai) *Tractatus de Antimonio.* 122
 Linder (Joannis) *de Venenis Exercitatio.* 158
 Magistri-Joannis (Antonii) *Tractatus de morbis Oculorum.* 68
 Morgagni (Jo. Baptista) *Adversaria Anatomica Prima.* 29
 Neumann (Casparis) *Biga difficultatum Physico-Sacrarum de*
Gemmis Urim & Thurmmim. 114
 Palfyn (Joannis) *Descriptio Anatomica Partium Muliebrium*
generationi dicatarum. 114
Tractatus de Monstris. &c. 114
 Plumier (Caroli) *Ars Tornandi.* 314
 Rudbeckii (Olavi) *Ichthyologia Biblicae Pars I.* 204
 Schmidii (Jo. Andreae) *Phenomenon Coronarum Solarium*
explicatum. 421
 Valettæ (Ludovici) *de Phalangio Apulo Opusculum.* 407
 Wedelii (Ge. Wolfg.) *Centuriae secunda Exercitationum Me-*
dico-Philologicarum Decas II. 333
 Westphali (Joannis) *Pathologia Dæmoniaca.* 130

INDEX AUCTORUM.

- Wolffii (Christiani) *Leges Experientiarum fundamentales.* 163
Descriptio meteori igniti, &c. 526
 Zendrini (Bernardini) *Discursus de Turbine, &c.* 462

IV. Libri Mathematici.

- Clermontii *Arithmetica Militaris.* 271
 Eizenschmidii (Jo. Casp.) *de Ponderibus & Mensuris Veterum Disquisitio nova.* 229
 Fontenellii *Historia Academiae Regiae Scientiarum Anni 1706.* 339
 Hambergeri (Georgii Alberti) *Fasciculus Dissertationum Physico-Mathematicarum.* 272
 Heckeri (C. G.) *Descriptio Micrometri Heveliani.* 125
 Dn. Comitum ab Herberstein (Ferdinandi Ernesti) *Dubium Geometricum circa Tetragonismum Circuli.* 273
Declaratio dubii Geometrici &c. 423
 Dn. Marchionis Hospitalii *Tractatus Analyticus de Sectionibus Conicis,* 45
 Leupold (Jacobi) *Antlia Pneumatica illustrata.* 354
 Manfredii (Gabrielis) *Liber de constructione equationum differentialium primi gradus.* 267
 Maphæi (Thomæ Pii) *de Cyclorum Soli-Lunarium inconstantia & emendatione.* 32
 Newtoni (Isaaci) *Arithmetica Universalis.* 519
 Plumier (Caroli) *Ars Tornandi.* 314
 De S. Remigio (Surirei) *Commentarii Pyrotechnici.* 318
 De Vallemont *Sphæra Mundi juxta hypothesein Copernicanam, descripta.* 80
 De Vauban *Delineatio Decimarum Regiarum.* 234
 Vogel (Joannis) *Architectura moderna.* 320
 Whiston (Guilielmi) *Praelectiones Astronomicae.* 350
 Wolffii (Christiani) *Leges Experientiarum Fundamentales.* 163

INDEX AUCTORUM.

Wolfii (Christiani) Solutio Dubii Geometrici ab Ill. Comite
ab Herberstein propositi. 274

V. Libri Historici, Geographici, &c.

- A** Nonymi Theatrum Nobilitatis Ducatus Brabantiae. 255
Observationes in Itinere Neapolitano factae. 535
Collectio Itinerum in utramq; Indiam susceptorum.
Tomus I, II, III, IV, V. 102
Tomus VI, VII, VIII, IX, X. 179
Tomus XI, XII, XIII, XIV, XV. 448
Beeverellii (Jacobi) Delicia Magnae Britanniae & Hiberniae. 251
Bonanni (Philippi) Ordinum Religiosorum Catalogus. 117
Burckhardi (Jacobi) Epistola de Jo. Caselii erga literas meri-
tis. 91
Clarmundus (Adolphus) vide Rudigerus.
Crenii (Thomae) de Furibus librariis Dissertatio I & II. 424
Dacerii (Andreae) Vita Pythagorae &c. 240
Hieroclis. 240
Fabricii (Joannis Alberti) Bibliotheca Graeca Liber III. 55
Feustelii (C.) Schediasma ad Henr. Pippingium. 182
De la Forest de Bourbon Geographia Historica. 280
Heineccii (Michaelis) Scriptores Rerum Germanicarum. 49
Hoffmanni (Godofredi) Vita Pastorum Laubanensium. 90
De Hohenhard (Petrus) vide Ludewig.
Hübneri (Joannis) Compendium Geographiae. 473
Compendium Historiae Civilis. 474
Compendium Genealogicum. 474
Tabulae Genealogicae CCCXXXIII. 474
Jamblichus de Vita Pythagorae. 239
Janningi (Conradi) Acta Aloysii Gonzagae. 197
Imhofii (Jacobi Guilielmi) Stemma Regium Lusitanicum. 97
Disquisitiones de Grandibus Hispania. 171
Korb (Jo. Georgii) Diarium Itineris in Moscoviam. 215

- De Larrey *Historia Angliæ, Scotiæ & Hiberniæ.*
 Tomus I & II. 442
 Tomus III & IV. 498
- Lauterbach (Sam. Fred.) *Vita & Obitus Valerii Herbergeri.*
 324
- Leguati (Francisci) *Iter & casus varii.* 430
- Leuckfeldii (Jo. Georgii) *Scriptores Rerum Germanicarum.* 49
Antiquitates Pœldenses. 330
- Ludewig (Jo. Petri) *Novum Castrum ejusque Jura Regi Po-
 rusiæ asserta.* 296
- Martorelli (Ludovici) *Commentarii de urbe Auximo.* 156
- Masson (Joannis) *Vita Horatii Flacci.* 145
- Mongitoris (Antonini) *Bibliotheca Sicula.* 537
- Morhofii (Dan. Georgii) *Polyhistor. Tomi tres.* 292
- Rudigeri (Jo. Christoph.) *Exercitatio de præcipuis Topicorum
 Explanatoribus.* 376
- Schultzii (Gualteri) *Iter ad Indos Orientales.* 107
- Torfæi (Thormodi) *Dissertatio de tribus Dania Regibus, Gor-
 mo, Haraldo & Sueno.* 257
- Tyrrell (Jacobi) *Historia Angliæ Generalis. Volumen III.* 373
- Vellejus Paterculus *cum Notis Christ. Cellarii.* 261
- Vignoli (Joannis) *de Columna Antonini Pii Dissertatio.* 25
- Waferi (Leonelli) *Itinerarium & descriptio Isthmi in America.*
 142

VI. Libri Philosophici & Philolo- gici Miscellanei.

- A** Cademiæ Gallicæ adscriptorum *Epistola selectæ.* 427
- Barenii (Georgii) *Nova Grammatica linguæ Germanicæ.*
 282
- Bellorii (Jo. Petri) *Pictura antiquæ Cryptarum Romanarum.*
 368
- Berkelii (Jani) *Dissert. Critica de Poetis Græcis & Latinis.* 185
- Boehmer (Justi Christophori) *Prolesiones.* 172

- Causei de La Chauffe (Michaelis Angeli) *Pictura antiquæ
Cryptarum Romanarum & sepulcri Nasoniorum.* 368
 Conringii (Hermanni) *Musæ errantes.* 550
 Conringiana *Epistolica.* 549
 Cypriani (Ern. Salomonis) *Programmata selecta.* 332
 Dissertatio de Regibus Sudititiis. 332
 Dacerii (Andree) *Vita, Symbola, Carmina aurea Pytha-
goræ &c.* 240
 Desmarais *vide* Maresius.
 Eizenschmidii (Jo. Casp.) *de Ponderibus & Mensuris Veterum
disquisitio nova.* 229
 Faerni (Gabrielis) *Fabulæ Gallicæ translata.* 427
 Feustelii (C.) *Schediasma ad Henr. Pippingium.* 182
 Garofali (Blasii) *Considerationes de Poesi Hebræorum & Græ-
corum.* 397
 Du Hamel (Joannis) *Philosophia universalis.* 517
 Junii (Hadriani) *Animadversa & de Coma Commentarius.* 428
 Lamy (Bernhardi) *Prima Scientiarum Elementa.* 61
 Langii (Jo. Christiani) *Protheoria Eruditionis humane uni-
versæ.* 528
 Lockii (Joannis) *Opera posthuma.* 40
 Maffæi (Pauli Alexandri) *Imago Episcopi virtutibus I. B. Bos-
sueti representata.* 96
 Maresii (Reineri) *Tractatus de Grammatica Gallica.* 87
 Norris (Joannis) *Tentamen de Theoria mundi idealis. Pars II.*
166
 D^r Ollincam (C.) *Tractatus de Eunuchis.* 307
 Palmerii (Jacobi) *Κετινὸν ἐπιχρῆσιμα.* 185
 Peiferi (Davidis) *Epistole.* 247
 Phillips (Eduardi) *Dictionarium Anglicum Universale.* 38
 Pippingii (Heinrici) *Exercitationes Academicæ.* 236
 Ravasini (Thomæ) *Opera Poetica.* 95
 Relandi (Adriani) *Dissertationum Miscellanearum
Pars II.* 320
 Pars III. 435
 Schaaf (Caroli) *Lexicon Syriacum.* 289
 Schef-

INDEX AUCTORUM.

Schefferi (Joannis) de antiquorum Torquibus Syntagma.	431
Sophoclis Tragoediae Ajax & Electra.	148
Sperlingii (Otthonis) Commentarius de Regio titulo Konning.	259
Trierii (Jo. Wolfgangi) Quaestiones de hominum commotionibus animi.	276
De Vauban Delineatio Decimarum Regiarum.	234
Vignoli (Joannis) de Columna Antonini Pii dissertatio.	25
Wedelii (Georgii Wolfg.) Centuria secundae Exercitationum Medico-Philologicarum Decas II.	333
Zanottii (Job. Petri Cavazoni) Epistola pro Car. Cas. Malvasia.	263

INDEX RERUM NOTABILIORUM.

in hoc Volumine obviarum.

<p>Abbatibus quando concessa Episcoporum signa, annulus, mitra aliaque? 136</p> <p>Abbatissa Germaniae immedia- ta nubens num resignare te- neatur? 338</p> <p>Abstractionum usus. 169</p> <p>Academiae Gallicae Numisma- tum & Inscriptionum nova lex praescripta. 241</p> <p>Senensis Sociorum O- pera promissa. 284</p> <p>Accensorum initia & progressus. 540</p> <p>Accensorum Academia origo & progressus. 540</p>	<p>Pro Accentibus & punctis He- braeorum dissertatio. 334</p> <p>Acidi & Alkali conflictus unde? 78</p> <p>Acinaces vocabulum unde di- ctum? 323</p> <p>quid notet? 324</p> <p>Actio determinatas requirit vi- res. 165</p> <p>Actio negatoria num recte in- stituatur contra Nobiles in possessione servitiorum con- stitutos? 266</p> <p>De Actione edicti de alienatio- ne iudicii mutandi causa fa- cta tractatus. 402</p> <p style="text-align: right;">Actio-</p>
---	---

INDEX RERUM &c.

Actiones hominis sunt casus mixti.	214	Æquationes resolvendi methodus nova.	343
utiles quibus dentur?	305	surdas reducendi methodus.	523 seq.
Actionum regula num. solo Scriptura sacra?	481	Æquationum primi gradus constructio.	46
Actus Apostolorum quando in νεφάλαρα distincti?	7	construendarum methodus optima.	46 seq.
Acusilaus plagiarium.	425	divisores rationales ut inveniuntur?	520 seq.
Adamus num principium foecunditatis habuerit in se ipso?	545	differentialium primi gradus constructio.	269 seq.
num utrumque principium foecunditatis habuerit?	546	In Æquationum constructione quid attendendum?	525
num ante conditam Evam a Deo defecerit?	546	Æquinoctiorum præcessio quid sit?	351
Adami somnus num indicium deliquit?	546	Aer sanitati qui conducatur?	224 seq.
peccatum quomodo imputetur posteris?	546 seq.	quid?	463
Admirantis titulo cur donatus Christophorus Columbus?	101	Aeris particula quot modis se ipsam possit superare?	463
Adulterium monimentum vulgatum.	59	altitudo.	463
Adulterium Lacædemoniis pro re impossibili habitum.	154	gravitas.	463
Adulterii apud Americanos pœna.	144	temperies in 5 Zonis unde?	81
apud veteres Christianos pœna.	154	in vitam hominis influxus.	224
In Advocatos Satyræ Thomæ Ravasini.	96	Ad Aerem comprimendum instrumentum.	355
Æquatio una cur plures radices habeat?	522	Affectus ut ab animi commotionibus differant?	276
differentialis ut ex curvæ proprietatibus eruatur?	268 seq.	Agnelli Ravennatis Opera promissa.	335
		Agraz (Antonii) de Scriptoribus Siculis conatus.	537
		Bb bb	A.

INDEX RERUM

Ajutamichristo (Elisabeth)	Amor Dei purus qualis Male-
<i>Poetria Sicula laudata.</i> 542	branchio? 359
Alardus (Lambertus) plagii ac-	qualis Lamyo? 359
cusatus. 424	benevolentiae qualis? 350
Albericus notatus. 52	qui in nobis? 359 seq.
Albion unde dicatur? 281	sui ipsius num proban-
qua fata habuerit? 442	dus? 363
Alcali & acidi conflictus unde? 78	ubiq; necessarius? 363
Alexander III Pont. num Fri-	Amoris Dei indoles. 460 seq.
derici I Imp. collo insultave-	De Analyfi tractatus Raynau-
rit? 53	di. 284
Alexandri M. scripta recens-	Analysis occulta alicujus proble-
ta. 57	matis Bacheti promissa. 36
rerum scriptores re-	Leibnitiana commen-
censiti. 57	data. 267 seq.
De Alexandro Pont. distichon	Aneurisma arteriae aortae. 178
memorable. 496	De Angelis quid credant Ju-
Alexandrini codicis Bibliorum	dai? 14
etas & fata. 194 seq.	Angli a quo hauserint praece-
Algebraica signa optima vindic-	pta fidei Christianae? 282
ata. 271	Anglia Atheorum ferax. 109
Algebrae studium intellectum	unde dicta? 281
excolit. 41	Angliae status sub Carolo I il-
Allixius (Petrus) notatus. 13	lustratus. 44
Aloysius quale nomen? 198	Anglorum laudes. 282
Amavrosius quid? 313	lingua. 282
Amen juramenti species. 18	Anguli multifectio. 47
Americae occupanda occasio	Animus a corpore diversa. 167
Henrico VII R. Angl. obla-	Animae a corpore differentia
ta. 498	male a Cartesio demonstra-
Americanæ voces num ab E-	ta. 61, 62.
brais derivanda? 438	notio confusa. 62
Americani num literarum cha-	immortalitas probata.
racteribus usi? 438	63. 453
De Americanis linguis varia.	Animi in sanitatem ac morbos
437	influxus. 223
	De

NOTABILIORUM.

<i>De Animi commotionibus Tra-</i>		<i>fit magnæ capitis deminutio-</i>	
<i>ctatus.</i>	276	<i>nis?</i>	517
<i>Anna Bullenia laudata & de-</i>		<i>Aquila biceps cur in Moscorum</i>	
<i>fensa.</i>	499	<i>insignibus conspicua?</i>	220
<i>cur & a quibus ca-</i>		<i>Aracan Regni Dominus quan-</i>	
<i>pite damnata?</i>	499	<i>tum sit populo cultus?</i>	108
<i>Clivensis qua in dignitate</i>		<i>Architecturæ ornamenta torno</i>	
<i>fuerit post divortium cum</i>		<i>paranda.</i>	318
<i>Henrico VIII?</i>	500	<i>Argenti solutio nova.</i>	341 342
<i>Anni tempora insalubria que?</i>		<i>particule quales?</i>	342
	223	<i>Aristææ editio Lipsiensis cui de-</i>	
<i>Anomaliam coæquatam ex me-</i>		<i>beatur?</i>	57
<i>dia inveniendi methodus di-</i>		<i>Aristophanis nota editio pro-</i>	
<i>recta.</i>	352	<i>missa.</i>	240
<i>Antimonii solutio.</i>	123	<i>Aristotelis librorum de Republi-</i>	
<i>flores.</i>	123	<i>ca ordo inversus.</i>	56
<i>destillationes.</i>	124	<i>religio qualis?</i>	56
<i>calcinationes.</i>	124	<i>Arithmetica universalis.</i>	519
<i>descriptio.</i>	122	<i>De Arnaldo (Gothofredo) ju-</i>	
<i>tincturæ tartarificæ</i>		<i>dicium.</i>	543
<i>vires defensæ.</i>	124	<i>Ars Tignaria nondum ad ratio-</i>	
<i>Antliæ pneumaticæ novæ acces-</i>		<i>nem solidam revocata.</i>	320
<i>siones.</i>	354	<i>illustrata.</i>	320
<i>Antonini Pii columna explica-</i>		<i>Architecto co-</i>	
<i>ta.</i>	25 seq.	<i>gnitu necessaria.</i>	320
<i>Aphelii motus apparens.</i>	351	<i>Arteriæ aortæ aneurisma.</i>	178
<i>Apollinis Regia delineata.</i>	370	<i>Assensus genera.</i>	168
<i>Apollonius Rhodius plagiarium.</i>		<i>Astrologia impugnata.</i>	81
	425	<i>Astronomiæ pars theoretica ex-</i>	
<i>Apostoli in ædibus ab habita-</i>		<i>plicata.</i>	351
<i>tionibus distinctis orarunt.</i>	215	<i>In Astronomos Moscorum o-</i>	
<i>Aqua sub terra fluens denuo</i>		<i>dium unde?</i>	219
<i>ex hiatu prorumpens.</i>	226	<i>Astronomici studii utilitas.</i>	80
<i>Aquæ in tubo vacuo suspensæ</i>		<i>Athei in Anglia frequentes.</i>	109
<i>phenomena.</i>	356	<i>Atheismus confutatus.</i>	452
<i>& ignis interdictio num.</i>			seq.

INDEX RERUM

Atmosfera Lunaris an de- tur?	348	Baelius (Petrus) num Atheus?	455
Attentio quomodo adhibenda?	65. 66	contra Clericum & Ja- quelotium vindicatus.	155
Attentionis effectus.	65	notatus.	356
Attila num Danorum Rex fue- rit?	260	refutatus.	452
Attributa divina sunt prima possibilia.	167	Bælii (Petri) antagoniste no- tati.	455
Augustus El. Sax. pacis inter Stephanum R. Pol. & Geor- gium Fridericum Brand. con- ciliator.	248	Balsami vite Hofmanniani ef- ficacia.	225
pecuniam mutuo dat		Barometrorum phenomena so- luta.	273
Henrico IV R. Gall.	248	Baronius plagii & ignorantie insimulatus.	424
promittit		Barthii (Casparis) Adversario- rum fatum singulare.	425
Stephano R. Pol.	249	Bartoloccius notatus.	14
Augusti El. Sax. studium trans- fundendi metalla.	250	Βασιλευς titulum cur Canutus aliquae affectaverint?	260
consilium Belgas cum Hispanis conciliandi.	251	Belcarius (Franciscus) autor de- creti Tridentini de matri- monio.	135
S. Augustini liber de Hæres- bus qua occasione scriptus?	489 seq.	Belli intestini in montibus Oc- citanie causa.	141
quorum Commentariis instructus?	490	De Bellis literariis dissertatio.	173
S. Augustino adversa Innocen- tii contra Jansenianos Bulla.	550	Benedictinorum Congregatio- nis Helvetæ Historia. 201 seq.	
Auri & argenti particule qua- les?	342	Bentlejus (Richardus) lauda- tus.	146
Auximi urbis historia. 156 seq.		Berchmanni (Joannis) vita.	200
B acchanalia Goslarie cele- brata & abolita. 51 seq.		De Berengaria, Sancti I Regis Lusitania filia, variorum sen- tentia.	98
		Bestes Ictus Laudatus.	517
		Besti	

NOTABILIORUM.

Besti (Guilielmi) promissa. 307	Bruta num cogitent? 167
Beverlen Anglie quondam asy- lum. 253	Bruti in Anglia gesta. 442
Bibliorum S. editiones varia examinata. 8 seq.	בשׁבׁ quid nolet? 208
Bibliotheca Græca. 55	Budæi (Guilielmi) Tbanato- logia recusa. 54
Sicula. 537	Bullenia (Anna) laudata & defensa. 499
Bibliothecæ Albertina, quæ Co- burgi est, codices MS. lau- dati. 332	cur & a qui- bus capite damnata? 499
De Blondello (Davide) judi- cium. 550	Bullialdus (Ismael) notatus. 350
Bochartus notatus. 197	De Busleiden (Francisci) Epi- taphium. 256
Boëhmii (Jacobi) hypotheses examinata. 357	Byllus quid? 334
Bolducii tractatus de Ecclesia post legem nugis plenus. 491	C æsarea dignitas Moscorum Monarchæ a quibus con- cessa? 220
Bona rusticorum in dubio num pro Emphyteuticis, an censi- ticis habenda? 266	Caffè potus num in Sacris ve- stigiis detur? 116 seq.
Bossueti (Jac. Benigni) laudes & obitus. 96	Casri num Dei habeant noti- tiam? 452
Botanica emblemata. 335	Cainan num e Genealogia Chri- sti mittendus? 10 seq.
Bouhours (Dominicus) ab I- talis refutatus. 187 seq.	Cainus num desperaverit? 327 seq.
Brabantinæ nobilitatis thea- trum. 255	Calculus ♀ & ♂ in ☉ viden- dorum. 351
Brabantini nobiles qui Imperii dignitate donati? 255	summatorius cur ad- huc imperfectus? 270.271
Brantius (Gerardus) impugna- tus. 406	Calculi Leibnitiani in Geome- tria Physica insignis usus. 38
Brænius (Joannes) refutatus. 432	in vesica genesis. 418
Britannia unde dicta? 442	monstruosi. 419
In Britannia Ducis nativitatem emblema explicatum. 381	Seligmanniani. 419

INDEX RERUM

Calculi ex vesica gravide extracti.	420	scripta & obitus.	92 seq.
Calendarii a Protestantibus facta emendatio.	33. 273	Castrandii mares mos quando invaluerit?	308
correctio perpetua.	36	auctor Valefius.	309
Calvinus num Petrum Rome fuisse asseruerit?	492	Castrum Novum vide Novum Castrum.	
Camerae stellatae in Anglia initia & interitus.	375	Catalepseos ratio.	131
Candidati ministerii ex Cypriano examinandi.	113	Cataractae oculorum quid?	340
Canonis Sacri constitutio.	4	Categoriarum constructio.	66
Cantu Psalmorum aura resonat.	140	Catharina Howarda cur capite damnata?	500
Canuti Angliae & Daniae Regis modestia.	253 seq.	Parra ut mortis supplicium evaserit?	501
Capitulorum Cathedralium jus examinatum.	135	Cave (Guilielmi) Historiae Literariae editio locupletior promissa.	285
Carnium nimius usus vitandus.	225	Causae actionum suarum num proprie dicendi homines?	365
Carpzovii (Samuelis Ben.) facta & obitus.	190 seq.	Cemmeni sacrum Theatrum.	137
(Aug. Ben.) obitus.	192	In Cemmeno monte portenta varia edita.	137 seq.
Carreræ (Petri) de Scriptoribus Siculis conatus.	537	Ceremoniarum necessitas & explicatio.	481
Cartesius (Renatus) notatus.	62	Cerevisiam extra domum vendendi jus num sub jure hospitii comprehendatur?	121
	169. 525	Cevennes vide Cemmenum.	
Cartesii Philosophia prohibita.	518 seq.	Chiliasmum crassum num defenderit B. Spenerus?	543
Theologia	518	Chrestus Suetonio Christus dictus.	20
adversa.	518	Christus num in paradiso ante lapsum fuerit incarnatus?	544. 545
Cartilaginum arytanoidarum articulatio.	31	Chri-	
Casellii (Joannis) vita, fata,			

NOTABILIORUM.

Chærus quomodo corporaliter apparere potuerit Adamo & Sanctis V.T. 545-546	Clerus Romanus ad vindictam pronus. 278
Christus Suetonio Chrestus di- ctus, 20 quando natus? 540	Coccejanorum & Voetiano- rum novæ in Belgio lites. 378
Christi cognitio historica num ad fidem necessaria? 461	Coelicolæ Judæorum sectarii quales? 22
Christi verbis Theologiæ sy- stema compositum. 396	Cogitet num semper homo? 61
De Christo num mentionem fecerit Josephus? 333 seq.	Cogitatio & extensio sunt con- tradictoria. 167
Chronica Scalæ unde dicta? 374	Cogitationis essentia. 61
Chryse cur dicta insula Ja- pon? 437	Cogitationes ad animum refe- rende. 167
S. Chrysostomus notatus. 18	Cogitationum in utero habita- rum cur non recordemur? 61
Cibus Samaria obsessæ expli- catus. 116	Cognitionis definitio. 62
Cinnabaris antimonii. 124	Cognitionis definitio. per experientiam. casus. 164 seq.
Circulorum osculantium radii expressio. 343	Cognoscendi facultates quot sint? 456
Citationis ter repetite origo. 472	Coitus immaturus cur vitan- dus? 225
Citriæ mense quid? 335	quo tempore celebra- ndus? 225
Clarmundus (Adolphus) vero nomine Jo. Christoph. Rudi- gerus. 377	Colores lignis & ossibus indu- cendi modus. 318
Claverius (Stephanus) plagii accusatus. 425	Columbæ etymon Hebraum. 116
Clavius notatus. 32	Columbus (Christophorus) cur Admirantis titulo donatus? 101
Clementis Papæ numus descri- ptus. 23	Columbi (Christ.) itinera in In- diam Occidentalem. 104
Clericus (Joannes) notatus. 455	Colum-
heterodoxiæ insimulatus, 155	

INDEX RERUM

<p>Columbi (Christ.) mors. 105 <i>(Barthol.) infelix in detegenda America succes- sus.</i> 498</p> <p>Cometæ observati. 346 seq.</p> <p>Commerciis non nimia onera imponenda. 235</p> <p>Comprivignorum conjugia num licita? 467 <i>num rescindenda?</i> 468</p> <p>Computi Ecclesiastici basis. 22 <i>ratio eno- data.</i> 273</p> <p>Conchyliorum phenomena so- luta. 341</p> <p>Concilio Nicani decreta de Pa- schate celebrando. 32 <i>decretis quando non teneatur Papa?</i> 37 <i>in schismatibus tollen- dis usus,</i> 112 <i>Tridentini character.</i> 113</p> <p>Concionum in Italia abusus. 278</p> <p>Concionatoris officio suo abu- tentis exemplum. 447</p> <p>Concionatorum Italarum ne- vi. 279</p> <p>Concordata Friderici III Imp. & Nicolai V Pont. recensita. 24</p> <p>Condæus ob insigne fortitudi- nis exemplum laudatus. 428</p> <p>Conflictus corporum regula ge- nerales. 349</p>	<p>Conica sectio per 5 puncta de- scribi potest. 45</p> <p>Conicum opus Hospitalii com- mendatum. 45</p> <p>Connor (Bernardus) refutatus. 333</p> <p>Conringii (Hermannii) Epistole promissa. 550 <i>ubi lateant?</i> 551</p> <p>na. 551 <i>Epita- phium.</i> 552</p> <p>Contagium equinum contu- mulatione equi moriturientis sublatum. 133</p> <p>Contagii ratio. 133</p> <p>Conversatio cum Deo per ima- gines intermedias quid sit? 460. 461</p> <p>Copernicana hypothesis non no- va. 81 <i>legibus motus & nature conformis.</i> 81 seq.</p> <p>Copernicanæ hypothesis vestigi- a secuti Gregoriani. 81</p> <p>Ad Corinthios num Pauli Epi- stola aliqua deperdita? 2</p> <p>Cornu emolliendi modus. 318</p> <p>Cornua Ammonis conchyliorum testæ. 228</p> <p>Corona circa Lunam in eclipsi visa. 347. 349</p> <p>Coronæ Solares observata. 421</p> <p>De Corona Pontificis Disserta- tio. 237</p> <p style="text-align: right;">Coro-</p>
---	--

NOTABILIORUM.

Coronarum Solarium causa.	422	Cultro ingente facta percussio non vulnerans.	140
Corpus num sentiat ? ut moveatur a Deo?	64	Cupiditas carnis num sit peccatum?	460
Corporis proprietates ac modi.	453	Curvarum focos inveniendi methodus.	345
Cortreji (Adami) obitus.	63	Cyclus Lunationum politicus perfectus impossibilis.	34
Coturnicibus num Israelita in deserto pasti?	24	Cycli anomali.	35
Cragius (Nicolaus) libri de Rep. Lacedæmoniorum auctor assertus.	205	Luna veri investigatio analyticalica.	34.35
Cramerus (Hieronymus) ab Augusto El. Sax. Regi Lusitania commendatus.	425	Cyclorum Luna Solarium inconstantia.	33
Cranmeri (Thomæ) in fide constantia & inconstantia.	250	In Cyclos Julianos & Gregorianos crisis.	36
Creatio ex notis Musicis explicata.	504	S. Cypriani opera commendata.	113
De Creatione Judæorum sententia.	41	Cytorius mons Romæ unde dictus?	26 seq.
Criterion præjudicii.	14	D Acerius (Andreas) notatus.	146 seq.
Criticæ inutilitas in Theologia asserta.	41	tus.	240. seq.
De Criticis varia.	458	De Dæmonibus Judæorum sententia quales?	14
Crocodili cur Indis pro Diis culti?	294	Dæmoniaca Pathologia.	130
Crotoniatorum mores per Pythagoram emendati.	107	Dæmonis, Pythagoræ filia commentarii in Homerum.	246
Crudelitatis exemplum singulare.	244 seq.	Dani ut & a quibus ad Christianam fidem perducti?	258
Crusii (Jac. Andr.) Wittikindus recusatus.	504 seq.	Daniæ Regnum jam olim hereditarium.	261
Cudworthus examinatus.	54	num fuerit feudum Imperii Germanici?	260
	13		

INDEX RERUM

<i>Danicæ antiquitates illustrata.</i>	257	Differentias, quas logarithmica quantitas ingreditur, summamdi regula.	270
<i>De Danielis Hebdomadibus ob- servata.</i>	15	Diodorus Siculus num Episto- las reliquerit?	542
<i>Dantis apophthegma elegans.</i>	89	Disciplina ecclesiastica num ubi- que eadem esse debeat?	481
<i>Decimarum Regiarum descri- ptio.</i>	235	cur in Scri- pturis non definita?	481
<i>Definitio verborum.</i>	38	Divi titulus quando & cui tri- butus?	27
<i>Per Dentem qui jurent?</i>	143	in prænominis lo- cum olim adoptatus.	27
<i>Dei idea varia.</i>	169	Dodwellus (Henricus) notatus.	20
<i>existentia e cordis mecha- nismo evicta.</i>	273	Dominus ut rem suam vindi- care veteri jure potuerit?	471 seq.
<i>probata. 62. 63.</i>	452	De Dordracena Synodo B. Ca- lovii judicium.	405
<i>notitia num Cafris nulla?</i>	452	Drusius (Joannes) plagii insi- mulatus.	425
<i>De Dei gratia varia.</i>	366	Dubium Geometris propositum.	273
<i>Ad Deum provocare in Philo- sophia quando liceat?</i>	63	Du Hamel vide Hamel.	
<i>Deistæ refutati.</i>	356	E Bionæi Evangelii Matthæi Hebraici corruptores.	6
<i>Desmolin, scriptor Gallus, refu- tatus.</i>	363	Ecclesia Anglicana num sit ve- ra?	109
<i>Diabolus schismatum autor. III serpente ut instru- mento usus in seducendis protoplastis.</i>	325	omnis schismatibus ob- noxia.	109. seq.
<i>Diaconi & Archidiaconi olim ad Parliamentum Angliæ admissi.</i>	376	Ecclesiæ vere character. 109. seq. felicitas prædicta.	140
<i>Diæta cui conducatur?</i>	225	Eclipseos Solaris observatio.	347
<i>Diei initium quod.</i>	198	Eduar-	
<i>Differentialium integrabilium Canones cur construendi?</i>	269		
<i>Differentiarum integratio non- dum perfecta.</i>	269		

NOTABILIORUM.

Eduardi I Angliæ Regis epitaphium.	254	Epilepsia a fascino cum catalepsi.	130
II Angl. R. dura facta.	445	Episcopalis dignitas sigillata.	113
III Angl. R. fata & obitus.	445	Episcoporum origo divina a Presbyteris differentia asserta.	481
IV Angl. R. conjugium memorabile.	446 seq.	Epistola Pauli ad Corinthios aliqua num deperdita?	2
VI Angl. R. ingenium præcox.	502	ad Ephesios Laodicensibus vindicata.	3
lenta.	502	Epistolarum Apostolicarum collectio quando facta?	4.5
	pietas. 502	distinctio in capita quando facta?	7
Eginharti Vita Caroli M. recusa.	54	Epochæ Christianæ ortus & autor.	273
Elementa ut pingantur antiquis?	371	De Equestri ordine veterum Romanorum dissertatio.	338
Elisabetha Angliæ Regina quo animo fuerit in Aug. Confessionem?	248	Erasmi (Des.) editiones N. T. mendose.	8.9
ut magno periculo fuerit erepta?	505	Errores Computi Gregoriani.	33.36
Elisabethæ Angl. Reg. præcox ingenium.	505	quomodo corrigendi?	65
vivendi ratio.	506	præcavendi?	65
Ellipses tornandi methodus.	317	Theologici unde?	457
Encanthis quid?	313	Errorum cause.	40
Engelhusius notatus.	52	Eruditi nomen quid notet?	529
Enochiani libri quis autor?	14	Eruditio quid?	529.532
Enthusiasmi indicia in Silesia.	215	Eruditionis capaces qui?	530
Ad Ephesios Epistola Pauli Laodicensibus vindicata.	3	ambitus.	532 seq.
De Epicuro singularia.	60	norma.	531
		finis.	531
		impedimenta.	534

INDEX RERUM

<i>Ad Eruditionem consequendam genii boni quid conferant?</i>	531	Existentia Dei per fidem primum cognosci nequit.	62
<i>Esdrae liber III ab Esdra non scriptus.</i>	60	Experientia cur singularium?	163
<i>IV Graece olim lectus.</i>	60	Experiri quid?	163
<i>Espencæus (Claudius Sanctius) Concilii Tridentini in Gallia oppugnator.</i>	136	Experimenta coronarum Solarium phenomena exhibentia.	422
<i>Estheræ & Josephi historia ad doctrinam de affectibus examinata.</i>	277	Experimentorum pretiosorum usus.	165
<i>Evangelii secundum Aegyptios qui autores?</i>	2	Ezechiel Pythagora familiaris.	244
<i>Evangelia IV ut in canonem redacta?</i>	4	Ezechielis vaticinium IX extremis capitibus contentum nondum impletum.	235 *
<i>Evidentia in ratiocinando quomodo conservanda.</i>	66.67	De Ezechielis libro Judaeorum veterum dubia.	236 *
<i>Evidentiæ character.</i>	65	<i>Spinose sententia.</i>	236 *
<i>Evnuchus quid?</i>	308	F Aerni (Gabrielis) Fabula Gallice translata.	428
<i>Evnuchi in S. Scriptura qui?</i>	310	Fanatici refutati.	357 seq. 543
<i>Pro Evnuchis apologia.</i>	309	De Faria & Sosa (Emanuel) Historicus Lusitaniae laudatus.	98
<i>Evnucho num uxorem ducere liceat?</i>	310	La Farina (Aloysii) de Scriptoribus Siculis conatus.	538
<i>Evnuchorum heresis.</i>	309	Fascinum ut fiat?	131
<i>dignitas & officium.</i>	310	Felicitatis desiderium homini a natura inditum.	359. 362
<i>Eustathii Commentariorum in Homerum nova editio promissa.</i>	284	De Felicitate nostra gaudere num liceat?	461
<i>Exarchi qui olim apud Græcos?</i>	135	Felonix crimine possessio amittitur.	301
<i>Existentia Dei probata.</i>	62. 63. 273		

Ferdi-

NOTABILIORUM.

Ferdinandus, Joannis Port. Regis filius, laudatus.	99	Flamma non urit.	140
Ferdinandi Magni Ducis He- truriæ in Magliabechium af- fectus.	336	Flinf Lusatorum olim Deus.	91
Ferrum quid?	342	Fluminum intumescencia infi- gnis.	143
cineribus extrahi potest.	343	Focos curvaram inveniendi me- thodus.	345
Festivitates Italarum descriptæ.	278	Fœminarum potentia in viros exempla.	443 seq.
Festum Corporis Christi Bo- nonia cum pompa celebra- tum.	280	Formulae Concordia Acta edi- ta.	54
De Feudis Germaniæ opus pro- missum.	302	Fortitudinis exemplum laude di- gnum.	428
fœminarum sententia Rudolphi Habsburgici Imp.	300	Fossilia Norica,	226
Feustelius (Christi.) notatus.	185	Frickii (Joannis) in Morbo- sum merita.	292. 294
Fibræ corporis quænam optima?		Fridericus Comes Oldenburgen- sis num cum leone certaverit?	53
Fidei descriptio.	455	II Imp. num atheus?	53
cautele.	455. 457	Friderici I Imp. collo num insult- taverit Alexander III Papa?	53
genesis.	457	Frigoris phenomena soluta.	273
& rationis differentia.	457	De Froissarti (Joannis) historiis judicium elegans.	374
actus essentialis recensiti.	459	Futura predicta.	140
attributa.	459	G Abati (Sebastiani) stu- dium detegenda Ameri- cæ.	498
Fidei num noceant opiniones false?	458	S. Galli Monasterii historia.	202
Fidejusio parentum pro liberis quando locum habeat?	511 seq.	Galli non curant officium In- quisitionis.	82
Fischeri (Joannis) trepidatio in articulo mortis.	501	Galliæ Rex prohibet Philoso- phiam Cartesianam.	518. 519
Fixarum catalogus optimus.	81	Gecc 3	Galli-

INDEX RERUM

Gallicæ lingue orthographia a quibus repurgata? 88	Gliffordie (Rosamunde) fata & epitaphium. 253
De Gandeshemensis ecclesie fundatione carmen Roswite promissum. 487	Gonzagæ (Aloysii) fata & obitus. 197 seq. canonizatio. 199 miraculum. 200
Gaudere num liceat de felicitate nostra? 461	
Geizkoffleri (Zacharie) Commentatio ad Matriculam Collectarum Imperii. 24	De Gormo Grandevo R. Daniae Dissertatio. 257
De Gemmis Arabicis tractatio 440	Goslaria unde dicta? 50 num cum Werla eadem? 50
Genealogicæ tabula nove. 478 seq.	Goslariæ Bacchanalia celebrata & abolita. 51. seq.
Genitalium partium muliebrium descriptio. 414	Gothicæ lingue cum Hebraica convenientia. 204
Genius mundi ut representatus in columna Antonini Pii? 28	Grandes Hispanie qui? 171 & Castellæ quid intersit? 171
Genii boni quid ad eruditionem consequendam conferant? 531	De Grandibus Hispanie Disquisitio Historico-Generologica. 171
Geographiæ compendium elegantans. 280. 474 seq.	De Gratia Dei varia. 366
Geometria Physica promissa. 38 practica fere perfecta. 526	Gravinæ (Jani Vincentii) Opera promissa. 473
Germanorum studia literarum contra Gallorum calumnias defensa. 182 seq.	Gregorianus computus Paschalis erroneus. 32. 33
Germanicæ lingue difficultas unde? 283	Gronovii (Jacobi) modestia. 485
Gery (R.) obitus. 285	Grotius (Hugo) refutatus. 5 laudatus. 244 seq.
Gigli (Hieronymi) Academia Senensis promissa. 284	plagii infimulatus. 425. 426
Glandularum arytanoidarum descriptio. 30	

NOTABILIORUM.

Du H Amel (Jo. Bapt.) elo- gium & scripta. 349 seq.	prohibita. 249
Hamelmannus (Hermannus) laudatus. 84.86	Henricus IV R. Gall. de solven- dis debitis ab Augusto El. Sax. compellatus. 248
Hanckii (Joannis) notabilis predictio. 184	VII R. Angl. ut Ame- ricæ occupandæ occasionem amiserit? 498
De Haraldø Cerulidente Rege Daniae Dissertatio. 257	VIII R. Angl. quo in- stigante a Catharina divor- tium fecerit? 499
Harduinus (Joannes) notatus. 15.17	cur di- vortium fecerit ab Anna Cli- versi? 500
Harduini (Joannis) Operum editio nova promissa. 488	quan- tum amaverit Catharinam Howardam? 500
De Hebdomadibus Danielis ob- servata. 15	qua morte obierit? 501
Hebrææ linguæ præstantia. 398 a Latina & Græca differentia. 398	Henricus, Regum Lusitaniæ sa- tor, quomodo in Lusitaniam venerit? 98
pronunciatio ut corrupta fuerit? 399	Henrici Aucupis in Dania gesta. 258
Poeseos ratio. 398	Henrici III R. Angl. epita- phium. 254
Musica ratio. 399	V R. Angl. epita- phium. 254
Hebræorum scribarum oscitan- tia. 399	VIII R. Angl. cada- ver num sanguinem mira- culo destillaverit? 501
Hebraicarum vocum significa- tus essentialis. 114	De Henrico IV R. Angl. sin- gularia. 446 seq.
hierogly- phica significatio. 114	Herbergeri (Valerii) vita. 329 seq.
Circa Hebraicarum vocum si- gnificatum scrutandum quæ supersint? 117	Heredes legitimi qui vocentur? 304.305
Helveticorum monasteriorum Congregationis Benedictine historia. 201 seq.	Ex-
Henningii (Salomonis) Chro- nica in Academia Jenensi	

INDEX RERUM

<p><i>Ex Heredatione patris ut sub- veniatur mercatoris opera- ti filiis?</i> 512</p> <p><i>Heshufius (Tilemannus) vindi- catus.</i> 54</p> <p><i>Hesiodi etas examinata.</i> 262</p> <p><i>Heveliani Micrometri descri- ptio.</i> 125 seq.</p> <p><i>Hierocles, Christianorum ho- stis, ab autore vitæ Pythago- ræ distinguendus.</i> 242</p> <p><i>Hieroclis de vita Pythagora e- ditiones recensite.</i> 242</p> <p style="padding-left: 40px;"><i>versio nova Gallica.</i> 242 seq.</p> <p><i>Higdenus (Ranulphus) ob chro- nologię studium laudatus.</i> 373</p> <p><i>In Hispaniam Judæi ut vene- runt?</i> 20</p> <p><i>Historia civilis Regnorum & Principatum omnium in compendium elegans reda- cta.</i> 475</p> <p><i>Historiæ Ecclesiasticæ V. T. compendium.</i> 548</p> <p><i>Hobbii Elementa de Cive im- pietatis damnata.</i> 549</p> <p><i>Hofmanni (Casparis) observa- tiones in Galenum anecdote laudate.</i> 426</p> <p><i>De Hohenhard (Petrus) vero nomine Jo. Petrus Ludewig.</i> 298</p> <p><i>Homagii sub notabili conditio- ne prestiti exemplum.</i> 252</p>	<p><i>Homeri etas examinata.</i> 262</p> <p style="padding-left: 40px;"><i>theologia.</i> 401</p> <p><i>Homo interior ab exteriori in- dependens.</i> 458</p> <p><i>Homines num actionum sua- rum proprie dicendi cause.</i> 365</p> <p><i>Hominum peculiare quoddam genus.</i> 144</p> <p><i>Hookeri (Richardi) libri de di- sciplina ecclesiastica commen- dati.</i> 480</p> <p><i>Q. Horatii Flacci vita & obitus.</i> 146 seq.</p> <p><i>Sub Hospitii jure num jus ven- dendi cerevisiam extra do- mum contineatur?</i> 121</p> <p><i>Hottentotten populi mores.</i> 431</p> <p><i>Howarda (Catharina) cur ca- pite damnata?</i> 500</p> <p><i>Huberi (Samuelis) vita & er- rores.</i> 54</p> <p><i>Huetius (Daniel) notatus.</i> 236 *</p> <p><i>Hydatidum ortus.</i> 311</p> <p style="padding-left: 40px;"><i>species.</i> 311.312</p> <p><i>Hydraulicæ phænomena.</i> 273</p> <p><i>In Hyppocratis libros de Aere, aquis & locis commentarii promissi.</i> 466</p> <p>J<i>acobus I Rex Angliæ unio- nis religionum intempestive studiosus.</i> 507</p> <p style="padding-left: 40px;"><i>qua morte obierit?</i> 507</p> <p style="text-align: right;"><i>Jambli-</i></p>
---	---

NOTABILIORUM.

Jamblichus de vita Pythagoræ recognitus. 239 seq.	Imperium civile sapientioribus assertum. 470
Japon insula cur & Chryse di- da? 437	domesticum quo ju- re Patrifamilias competat? 470
Japonicæ lingue difficultas o- stensa. 436 seq.	Impuritas num sit peccatum? 152
In Idea quenam distinguenda? 66	In Indiam utramque Itinera collecta. 102. 179. 448
Ideæ introducibiles. 178	Infantes in cunis perorantes. 138
habent attributa divina. 178	Influxus quid? 164
Idearum differentia. 456	Innocentii X in rebus fidei igno- rantia. 536
quenam origo? 63	Inquisitionis officium parum curant Galli. 82
evidentia unde? 66	Pontificia arca- na manifestata. 279
Idolorum character. 279	Ignis non urit. 140
Jejunium miraculosum. 140	יהוה vocis origo. 205
Jeverensis Colloquii series. 85	vox Masoretarum pun- ctis corrupta. 399
Ignis non urit. 140	Inscriptionum nova Sylloge pu- blicata. 29
יהוה vocis origo. 205	Insignia Moscoviæ Principa- tuum explicata. 219 seq.
vox Masoretarum pun- ctis corrupta. 399	Insomniorum causa. 132
Illuminatio immediata a Poire- to defensa. 544	Instrumentalis Musica num in templo adhibenda? 236
Imaginationis genera. 456	Insulam condere quid? 262 seq.
diversitas unde? 64	Intellectio quotuplex? 456
Immaterialia quomodo perci- piantur? 169. 170	Intellectus activus. 456
Immisionem in bona heredi- taria ut obtinere possint fi- lia, heredes testamentaria? 119	quid sit? 62
Immobiliium possessio quomo- do probetur? 402	Intellectus operationes a Scho- lasticis male distinctæ. 168
Impedimenta veritatis cogno- scende. 40. 41	lumen quotuplex? 455
	genera. 456

D d d d

Intel-

INDEX RERUM

Intellectus in veritate cogno- scenda directio. 40. 41	Itinera in Indiam utramque collecta. 102, 179, 448
operatio non nisi una. 65	Ittigius (Thomas) notatus. 491
Intelligere alterum quid sit? 38	De Jubilæo Judæorum ejusque juribus tractatus. 210
Interdicti uti possidetis doctri- na explicata. 402	Judæi cum Tripbone disputatio quando instituta? 21
Johannæ Seymurix Epita- phium, 500	Judæi ut in Hispaniam vene- rint? 20
Grajæ eruditio insi- gnis. 503	Judæorum historia & religio explicata. 13
De Johanne II R. Port. singula- ria. 99	cæmeterium num- revera detectum Romæ? 18
In S. Johanne desit etas Aposto- lica. 5	ritus ac jura IV Voluminibus explicata. 367
Johannis XVI, Comitis Olden- burgici, laudes. 84	seq.
Johannis, Petri R. Port. filii, fata. 101 seq	Judicium num spectet ad vo- luntatem? 168
Josephus num testatus fuerit de Christo? 333	Judiciorum claritas unde? 66
Joncourt (Petrus) novarum in- ter Coccejanos & Voetianos litium auctor. 378	De Juditha Libri auctor incer- tus. 59 seq.
Josephi & Esthere historia ex doctrina de affectibus illu- strata. 277	Julianum S Ctum explicatum. 473
Iridis phenomena explicata. 273	De Julino oppido varia. 258
Irlandicæ linguæ specimen. 254	Juni (Hadriani) scripta & Bibliotheca direpta. 429
Isthmi Darien descriptio. 142 seq	de Coma tractatus qua occasione scri- ptus? 429
Itali Oratores & Poetæ contra Dominicum Bouhours vindi- cati. 187	Jurandi mos per dentem. 143
Iter Sabbathi quantum fuerit? 332	Jurisdictionis possessio quomo- do probetur? 403
	Jus Principum in Sacra exami- natum. 481
	Opificiarium explicatum. 120 seq.
	Jus

NOTABILIORUM.

Jus Gentium quid?	470	Lambinum (Dion.) inter & Paulum Manutium futilis controversia.	173
Justificatio & sanctificatio num differant?	461	Lamy commendatus.	61
quid in Scripturis significet?	461	Lancisii (Jo. Mariae) vita.	466
Justificationis articulus unde obscuratus?	461	A Lapide (Cornelius) plagii insimulatus.	425
Justinianus Imp. calliditatis & tyrannidis insimulatus.	550	Lapides Plantarum & piscium formas referentes.	339 seq.
Justitiæ Christi imputatio quando & quomodo fiat?	461	Norici.	227
in Petro M. Moscorum Duce exemplum singulare.		Lapilli in vesicula fellis reperi.	341
	217	Vide Calculi.	
K Ali quid significet?	117	Lapsu protoplastorum quæ facultas in homine amissa?	457
Karæi num cum Samaritanis iidem?	323	Laryngis lubricatio unde?	31
Karatium quid sit?	229	cartilagines pleræq;	
Kepleriana Astronomia commendata.	352	ossea.	31
Κένωσις, cum de Christo dicitur, quid notet?	545.546	Latitudinarii refutati.	357
Kieslingii (Joannis) inventum extrahendi radicem auri.	183	Laubanensium natales, religio, Pastores.	91
Kircherus (Athanasius) plagii insimulatus.	426	Lazari morbus qualis?	334
Rönig vel Ronning nomen unde & quibus usitatum?	259 seq.	Lectio multa rejecta.	41
		Leges olim versibus scriptæ.	398
L Aar terminatio quid Germanis notet?	50	Leges Regiæ quæ hodie obtineant?	470 seq.
Labyrinthus in Woodstock.	253	XII Tabb. unde ortæ?	471
Lacrymæ sanguineæ.	140	num e Cicerone de Legibus petendæ?	471
Lactis Lunæ genesis.	227	Leges explicatæ vel emendatæ:	
		L. fin. C. de Ed. D. Hadr. toll.	119
		3 & 14 ff. de Transact.	304 seq.
	Dddd 2	Leges	

INDEX RERUM

<p>Lex i § 4 ff. de peric. & commod. rei vend. 305 seq. 8 §. 2 ff. de pecul. leg. 306 ult. §. 6 ff. quæ in fraud. cred. 306 10 ff. si pars hered. pet. 306 43 ff. de damn. inf. 306 2 C. Commun. de Leg. & fid. 306 seq. 8 C. de pact. conv. 307 18 ff. de V. O. 512 1 §. 13 ff. depos. 512 15 ff. de Leg. 3. 512 seq. 9 C. Theod. de malef. & Math. 513 21 §. 2 ff. quod met. caus. 513 67 ff. de procurat. 513 1 ff. de Solut. 513 3 §. 2 ff. pro socio. 514 82 ff. de jur. dot. 514 1 §. 14 ff. de agnosc. & al. lib. 514 3 §. 1 ff. ubi pupill. educ. 514 9 ff. de serv. export. 515 28 §. 1 ff. de liber. leg. 515 41 §. 10 ff. de fideic. libert. 515 200 §. 3 ff. de Leg. 3. 515 17 §. 1 ff. de adopt. 515 seq. 9 §. 1 ff. de fund. dot. 516 5 §. 3 ff. de extraord. cognit. 516</p>	<p>Lex 3 §. 2 ff. naut. caup. stabul. 517 183 ff. de V. S. 517 Legum explicandarum & emendandarum regula. 304 seq. Legitima parentibus jure Austruaco negata. 403 Lehmanni (Christophori) de pace religiosa Acta publica vulgata. 24 Leibnitii (G. G.) de quadraturis meditationes commendata. 269 Scriptorum Brunsvicensia illustrantium Tomus II & III promissus. 487 Leibnitiana analysis commendata, 267 seq. Leibnitiani calculi in Geometria physica insignis usus. 38 Leones quid in picturis Veterum designent? 371 Leuckfeldii (Jo. Georgii) in historiam Germanicam merita. 54 Lex Naturæ in homine duplex. 469 Cincia explicata. 472 seq. Lexicorum nonnullorum utilitas. 38 seq. Leydekkerus (Jacobus) injustæ contra Actorum Erud. Collectores censura convictus. 405 Liberalia quæ dies olim dicta? 147 Libe-</p>
---	---

NOTABILIORUM.

Liberalitatis in Petro VIII R. Lus. exemplum insigne. 98 seq.	De Linguis Malaica aliisque Orientalibus varia. 436 seq. Americanis varia. 437 seq.
Libertas Ecclesie circa Paschatis celebrationem. 37	Liquorum gravitates tempore aestivo ac hyberno variantes. 233 seq.
Libertatis due species. 62	Loca secundi generis construendi methodus generalis a Craigio inventa. 46
Libertini qui olim dicti? 147	Lockius notatus. 178. 455. 547
Libra Medica non ubique eadem. 229	Locorum communium condendorum methodus. 44
Librae Parisinae & Romanae divisiones, 229. 230	De Locustis (Jobi Ludolfi, sententia examinata. 206
Licetus de Monstris Gallice translatus. 415	Logarithmorum idea in natura sectorum hyperbolicorum fundata. 45 seq.
Lignorum viridum fissura ut impedienda? 318	Logicae utilitas. 61
Lilius notatus. 32	genuina tentamen. 64
Limbus Lunae fluctuans. 347	definitio. 64 seq.
Linguae Graecae veteris ignari, qui hodie in Graecia vivunt. 275	vulgaris indoles. 64
Hebraea praestantia. 398	inutilitas in Theologia asserta. 458
a Latina & Graeca differentia. 398	Longaevitatis cause. 224
pronuntiatio ut corrupta? 399	promissio cur piis facta? 225
Japonice difficultas. 436 seq.	Lucanus & Virgilius inter se comparati. 187
Anglica & Wallica differentia. 253	Pro Lucano Apologia erudita. 187
Ad Linguae radicem foramen observatum. 30	Ludwig (Jo. Petri) in Porusia Regem merita. 298 seq.
Linguas exoticas in ecclasi qui locuti? 142	Ludolfus (Jobus) refutatus. 206 seq.
De Linguis Occidentis & Orientalis varia. 294	

INDEX RERUM

Lumen intellectus quotuplex?	456	Magistratus num subditos ad religionem possit cogere?	44
Luminis propagata celeritas observata.	351	Magistratus jura circa religionem subditorum.	44
divini effectus.	457	Magliabechius (Antonius) in palatium M. Principis Etrurie honorifice deductus.	336
Lunæ theoria optima.	353	Magnesiæ nomen non uni Civitati proprium.	262
limbus fluctuans.	347	De Magnetis declinatione systema Hallejanum confirmatum.	339
incolæ ab Orpheo defensi.	401	De Magnate experimenta instituta.	340
Lunaris atmosphaera num detur?	348	Majestas num immemoriali tempore prescribatur?	267
Lunulæ Hippocratis quadratura.	274	De Maimonide (R. Mose) judicium P. Cunæi.	434
Lusati quos Deos olim coluerint?	91	Malebranchius refutatus.	40 seq.
Lusitanicum stemma Regium illustratum.	97	Malvasia (Carolus Cesar) defensus.	263
Lutherus cur plures profelytos fecerit?	iii	In Manethonem notæ & emendationes promissæ.	59
cum Simone Mago comparatus.	493	Manutium (Paulum) inter & Dion. Lambinum futilis controversia.	173 seq.
num commercium habuerit cum Diabolo?	493	Marcionitæ Evangelii Lucae & Epistolarum Pauli corruptores.	6
Lydiatus refutatus.	27	S. Marcus quomodo in Evangelio consignando versatus sit?	3 seq.
M Abillonii (Joannis) Elogium seu Epitaphium.	381 seq.	Margarethæ, Maximiliani I Imp. filie, fata & epitaphium.	89
Maccabæorum Liber III primo loco collocandus.	60		B. Ma-
Machinarum Hydraulicarum phenomena soluta.	273		
Maculæ in ☽ observatæ.	346		
Mæcenatis in Orbilium libertas.	147		
Magicæ res num naturales?	162		

NOTABILIORUM.

B. Maria Virgo Carminibus celebrata.	95	Medicamenta nimia cur non sumenda?	225
Mariæ Regine Angliæ erga Henricum VIII Patrem odium.	503	Medicus sui ipsius.	223
De Mariæ Stuartæ cede dissertatio.	333	Mediorum motuum in Calendarii correctione usus.	38
Martialis emendatus.	515	Mellis analysis chymica.	343
Martini (Raymundi) liber Purgio fidei examinatus.	23	Mens ut corpori uniatur? materialis asserta.	131 132
Martis & Veneris captura ad rem Chymicam applicata.	335	Mensuræ citriæ quid? rotunde inventor.	335 442
Mascarenas insule nomina & descriptio.	430		seq.
Mathesis ingenium excolit.	40. 41. 454. 455	Menstruus fluxus ex utero derivatus.	33
num Theologo noxia?	59	Mensuræ cavæ Parisienses & Romanæ.	230
Matrimonium contrahere num liceat Eunuchis?	310	Græcorum.	231 seq.
De Matrimonio comprivignorum tractatus.	467	Hebræorum.	232
S. Matthæi Evangelium Ebraicum Hieronymo incognitum.	2	intervallorum apud Romanos, Græcos & Hebræos.	232
Maucroix (Francisci) obitus.	284	Merbitii inventum curiosum.	183
Maxima & minima elucidata.	344 seq.	Mercator (Nicolaus) notatus.	351
Mechanica practica adhuc desideratur.	319	Mercatoris oberati filiis ut exheredatione patris subveniatur.	512
Mechanicæ artes num ad eruditionem spectent?	532	Mercurius cur subsidat in tubis spiritu vini lotis?	339
Medendi methodi axiomata.	372	interdum visus.	347
Medicæ Institutiones.	372	De Messia genuina Judæorum fides quæ?	15
		Metaphysicæ utilitas.	61
		inutilitas in Theologia asserta.	458
		Μετεωρολογίας Pythagorica allegorice explicanda.	245
			Meteo-

INDEX RERUM

Meteori igniti descriptio. 526	Monachorum corruptio in do-
seq.	ctrina & moribus. 278
causa. 527 seq.	Monasteriorum Helvetiae con-
Meursius (Joannes) notatus. 211	gregationis Benedictinae hi-
Micrometrum novum. 346	storia. 201 seq.
Micrometri Heveliani descri-	De Monasteriorum exemptione
ptio. 125 seq.	singularia. 135
Militis Sueci mos orandi. 214	Monstrum bicorporeum in in-
Militaris praxis offensiva illustra-	guinibus connatum. 415
ta. 319	a foemina editum fo-
Milliaris Romani quantitas. 232	tum ferinae mentiens. 417
Millii (Joannis) in edendo N. T.	De Monstris Liceti opus Galli-
labor laudatus. 1. 10 seq.	ce translatum. 415
Ministerii Candidati ex Cypria-	Monzambano (Severinus) pla-
no examinandi. 113	gii insimulatus. 426
Miraculi definitio. 43	In Morbos influxus animi. 223
Miracula ficta. 279	Morkhofii (Dan. Georgii) vita. 293
vera a falsis ut distin-	Morpheus Geometricus promi-
guenda? 43	sus. 423
Miræi (Joannis) Epitaphium. 256	Mors quid? 175
Mirandulanus (Jo. Picus) re-	Mortis simulatae medela. 176
futatus. 59	subitanea preservatio. 177
Mischnam quis primus college-	Mortes subitaneae. 174
rit? 21	Morus (Thomas) in articulo
Missionis divinae criteria. 43	mortis festivus & imperter-
seq.	ritus. 501 seq.
Modestus plagiarium. 425	Mosci num ad studia inepti? 218
Molendinum num quis in suo	Moscorum sacerdotes num vio-
exstruere possit? 121	labiles? 218
Molleri (Laurentii) Chronica	classis quot navium? 219
in Academia Senensi probi-	in Astronomos odium
bita. 249	unde? 219
Monachorum fraudes dete-	Mosco-
ctæ. 278	

NOTABILIORUM.

Moscorum Monarcha reditus.	219	Imperii insignia ad Artem Heraldicam reducta.	219 seq.	In Moscoviam legationum de- scriptarum Auctores recen- siti.	215 seq.	Moses idem ac Moschus.	244	Pythagore familiaris.	244	Mosaicorum librorum veritas asserta.	453	Motus optima medicina.	223.225	♂ & ♀ examinatus.	345 seq.	vertiginis ♂ quantus?	346 seq.	in vacuo quomodo pro- ducendus?	355 seq.	Motus veri in computando Pa- schali adhibendi.	33.36	Mugitum num Diabolus Gos- laria ediderit?	52	De Mugnos (Philadelphi) Laer- tio novo iudicium.	538	Mundus idealis aternus.	167	ut productus?	167	Mundi visibilis illusiones ut e- vitanda?	64	etas ex Scriptura exa- cte erui non potest.	82	topographia ex mente veterum Christianorum.	59	Musci petrificati genesis.	227	Musica instrumentalis in tem- plo num adhibenda?	238	Musica num curet a tarantu- lis morsos?	412 seq.	Musicae effectus in corpus hu- manum.	413	De N Neapoli (Caroli) de Scriptoribus Siculis conatus.	537	Nicolai (Joannes) vindicatus.	431 seq.	Nigritæ sub eodem Tropico di- versicoloris.	463	Nobilitatis gradus apud Saxo- nes quot scutis olim distincti?	266	Notiones primigenie.	163	Notionum distinctarum cause.	163	confusis prerogativa.	164	confusarum ortus.	163	primigeniarum cer- titude unde?	163	usus.	164	Novum Castrum Porusie Re- gi assertum.	299	feudum pure masculinum.	309	Novum Testamentum vide Te- stamentum.		De Novitatis studio dissertatio.	236	Numerandi mos quorundam Indorum.	144
----------------------------	-----	--	----------	--	----------	------------------------	-----	-----------------------	-----	---	-----	------------------------	---------	-------------------	----------	-----------------------	----------	------------------------------------	----------	---	-------	--	----	---	-----	-------------------------	-----	---------------	-----	--	----	--	----	--	----	----------------------------	-----	---	-----	--	----------	--	-----	---	-----	-------------------------------	----------	--	-----	--	-----	----------------------	-----	------------------------------	-----	-----------------------	-----	-------------------	-----	------------------------------------	-----	-------	-----	---	-----	----------------------------	-----	--	--	----------------------------------	-----	-------------------------------------	-----

INDEX RERUM

Numerorum quorundam Indorum nomina.	144	tii præceptor.	146
Numus Clementis Papæ descriptus.	23	Ordinum Religiosorum catalogus.	117
Numi quidam Titi & Trajani suspecti.	27	Origenes cur se ipsum castraverit?	309
De Numis Ebraeis observationes.	14	D' Orleans refutatus.	375
O besitas cadaverum destillationis sanguineæ causa.	501	Orphei doctrina cum Mosaica comparata.	400 seq.
Obvagulatio ad portam quid?	472	Ostorodi (Christophori) vita & errores.	54
Octateuchi codex Alexandrinus Romano præferendus.	194	Ottonum, I, II & III Impp. Danos ad Christianismum perducendi studium.	258
codices MSpti examinati.	196	Ovum mirum.	341
Oculorum vitia optica.	273	P acis Passaviensis, Noviomagensis & Rysvicensis tractatus illustrati.	24
Onera civium retribus proportionanda.	234	Palmatæ vestes antiquis quales?	332
Opifex num. damnum præstet in opificio datum?	121	Pannus, affectus oculi, ut ab ungue differat?	313
Opificiorum Jura explicata.	120 seq.	Panormitæ (Antonii) vita, scripta, obitus, epitaphium.	540 seq.
Opiliones num. infames?	121.	Papa quando non teneatur conciliorum decretis?	37
Opium usus Indis interdictus?	107	Papæ suprematus impugnatus.	111
Opiata ut fluxus sistant?	162	tum in Ecclesiasticis tum in temporalibus assertus.	379
Oraculi responsum eventu probatum.	143. 183	Pro Papæ sede & auctoritate, scripta varia collecta.	386 seq.
artefacti specimen.	183		
Oratores cur ægre orationes descriptas edant?	427 seq.		
Ad Orbes vitreos vi aeris frangendos instrumentum.	355		
Orbilius, Grammaticus, Horatius præceptor.			

Para-

NOTABILIORUM.

Parabolicorum arcuum differentiis recte aequales exhiberi possunt.	46	Patritii Hibernorum Episcopi miracula.	443
comparatio.	47	Peccatum quid? ab Adamo admissum num imputetur posteris?	460.462 546
Parallaxis horizontalis & quantitas?	346	seq.	
fixarum observata.	351	Pecuniae veteris Romanae, Hebraeae & Graecae valor.	232 seq.
Parentibus legitima jure Austriaco negata.	403	Pedis Parisini divisio.	232
Parliamenti Anglicani origo.	375.507	Pedes variarum regionum & urbium comparati.	232
Ad Parliamentum Angliae Diaconi & Archidiaconi olim admissi.	376	Peiferus (David) laudatus.	247
Parfimoniae exemplum laudabile.	428	De Penna ex hereditate capta gaudium Herbergeri.	329
Partium studium cognitioni veritatis adversum.	41	Perceptiones passivae, earumque divisio.	169
Pascha quo die Christus celebraverit?	17 seq.	Perfectio vera num in hac vita attingenda?	460
Paschatis tempus ab Astronomis determinandum?	37	Perficæ linguae veteris reliquias qui illustraverint?	323
Paschalis computus Gregorianus erroneus.	32.33	cum nova comparatio.	323 seq.
Paschalis celebratio jure divino nulli tempori alligata.	37	S. Petrus Apostolus num fuerit Romae?	491 seq.
Passionum animi in sanguinis circulum influxus.	225	quo anno fuerit Romae?	492
Passus Romani magnitudo.	232	Petrus VIII Rex Lusit. ob liberalitatem commendatus.	98.
Patinus (Carolus) plagii insimulatus.	425	post mortem in vitam rediit.	99
Patrifamilias quo jure competit imperium domesticum?	470	Petri Alexioviui Magni Moscorum Ducis laudes.	217 seq.
		justitia singularis.	217

INDEX RERUM

Phænomena universi ubi explicentur? 80	Plantini (Christophori) epitaphium. 257
Phalangii Apuli descriptio. 407 seq.	De Platonis scriptis observata. 55
Philosophia Scholastica notata. 38	De Plutarcho judicium. 428
recentior dogmatibus Pontificiis adversa. 518	Pœlda nomen unde? 330
Phlebotomiæ ridicula administratio. 143	Pœldenses antiquitates illustrata. 330
Phlyctænæ artuum ab oculorum phlyctæna discrepantia. 312	Pœseos origo. 397
cura. 312	Hebrææ ratio. 398
oculi cura. 312	Græcæ usus apud veteres. 400
Physicæ quæstiones num. e Scriptura S. decidende? 82	origo. 400
Physicæ veræ scopus. 165. 166	Poesi rythmica qui & quando primum usi? 398. 399
Physico studio quænam præmittenda? 61	Poetæ Gentilium ob Christianorum zelum deperditi. 400
De Physicis illustribus varia. 295 seq.	De Poetis varia. 294
De Physicis quæstionibus num. judicandum ex Scriptura? 82	Poiret refutatus. 544
Pictores recentes quas veterum tabulas imitati sint? 369	Polygonorum regularium in circulo inscriptio. 47
De Pictoribus & Pictura observationes nonnullæ. 163	Polyseima verborum unde? ? 38
Picturæ principia explicata. 314	Pondera Græcorum & Ebræorum. 230
Pipulum quid? 472	Pontifex Rom. vide Papa.
Piscatoris (Jo. Bapt.) vita. 199 seq.	De Pontificis corona Dissertatio. 237
Piscandi mos apud Indos. 143	Pontificiam religionem deserendi medium. 111
Piscis genus Selav. 204 seq.	Porphyrio notatus. 148
Piscium per pluvias deciduorum exempla. 209 seq.	Portugalicum stemma Regum illustratum. 97
Plagiariorum exempla. 424 seq.	Possessio felonie crimine amittitur. 301
	jurisdictionis ut probetur? 403
	Pos.

NOTABILIORUM.

Possessio immobilium ut probe- tur? 402	Prophetarum novorum in mona- te Cemmeno gesta & por- tenta. 137 seq.
Posibile absolute nil nisi Deus. 165	Prosthaphæreses male hæcenus definitæ. 353
Posibilia prima. 167	Protestantes plebi exosi reddun- tur. 279
Posibilitatis characteres quo- modo eruendi? 165. 166	Protestantium in Gallia resti- tutio prædicta. 140
Potentia Regum subordinata exemplum. 253 seq	Provinciarum Regi Gallie pa- rentium magnitudo. 236
Potiphar num fuerit castratus? 310	Psalmorum cantu aura resonat. 140
Prædæ divisio ut fiat apud Ma- humetanos. 435	recitatio in Eccle- sia Anglicana. 238
Præjudicia ut corrigenda? 65 ut præcavenda? 65	ad cultum publi- cum relatio. 238
Præjudicii criterium. 41	finis. 238
Prælagia conjectandi ars quibus cognita fuerit? 257	Ptolemaici systematis inconve- nientia. 81
De Præscriptione Tractatus Ju- ridicus. 265 seq.	Puerorum & puellarum in Si- lesia ad orandum sub dio confluentium historia. 213
Praxis militaris offensiva illu- strata. 319	zelus num vi coercendus? 215
Preli novi structura. 251	Pufendorffius (Samuel) nota- tus. 260
Presbyteriani in Anglia notati. 113	Pufendorffii (Samuel & Elias) fratres ubi & quo parente nati? 185
Priapus quid designet? 371	Pulverariæ conspirationis autor quis? 506
Principis Walliæ appellatio un- de? 445	Purpura quid? 334
Probatio additionis non fallax. 272	Pyrotechnica optime explicata. 318 seq.
Problema Geometris propofi- tum. 424	
Processus forensis improbatus. 550	
Prophetæ novi in Anglia. 137 in Delphinatu. 141	

INDEX RERUM

Pythagoras num Ezechieli familiaris?	244	Ramelini montis denominatio unde?	51
num libros scripsit?	246	Raphaelis Urbinatis Pictoris laudes.	264
Pythagoræ vita, scripta & obitus.	244 seq.	Ratio num repugnet mysteriis fidei Christiane?	155
De Pythagoræ vita, Jamblichus recognitus.	239	num supra fidem attolenda?	547
commentarius novus A. Dacerii.	240	Rationis præ fide excellentia asserta.	455
Pythagoricæ sectæ præcepta.	245	a fide differentia.	453
fata.	246 seq.	Rationalistæ refutati.	356
Q uadratura circuli & ellipseos quo dato cognoscatur?	274	Ratiociniorum evidentia quomodo conservetur?	66 seq.
Lunulæ Hippocratis.	274	forma.	76 seq.
Quæstiones Physicæ num e Scriptura S. decidenda?	82	Reaccensi Academici Siculi quid?	540
Quæstionum resolutio quomodo instituenda?	68	Rectorum Academiae Lipsiensis catalogus.	237
Querela inofficiosi testamenti quando locum inveniat?	403	Reditus Regis Gallie.	235 seq.
R adicis cubicæ extractio utilis.	272	Regalia minora num subditus acquirat contra Principem?	267
Radices quantitatum ex integris & surdis compositarum extrahendi regula.	521	Ad Regalia num spectet venatio leporum & vulpium?	267
Radicum impossibilium numerum cognoscendi regula.	522	Regula centralis Bakeriana quanti sit pretii?	46
De Ragusæ (Hieronymi) Elogiis Siculorum & Bibliotheca Sicula judicium.	538 seq.	Reineccius (Reinerus) plagii insimulatus.	426
		Religio Christiana num rationi contraria?	453
		num vera?	454
		Religionis Pontificiæ paradoxa descripta.	536
		vera criteria.	453
		Religio.	

NOTABILIORUM.

Religionem Pontificiam dese- rendi medium.	iii	Rodericianæ insule descriptio. 430 seq.
Religionum unio a Jacobo I Rege Angliæ tentata.	507	Rosamundæ Gliffordiæ fata & epitaphium.
Reliquiarum perversus usus.	278	Roswitæ virginis Opera com- mendata.
Remonstrantes oppugnati.	406	de fundatione Eccle- siæ Gandeshamensis carmen promissum.
Respublica quæ optima ex men- te Ciceronis?	508	Rudolphi Habsburgici Imp. de feudis fœminarum sententia.
Retractus jus quando locum habeat?	510 seq.	300
Revelatio cui facultati mentis fiat?	459	Rusticus censum præstans num presumatur ad servitia obli- gatus?
Revelationis definitio.	455	266
divinæ criterium.	459	Rusticorum bona in dubio num emphyteutica, an censitica?
Rex Gallie quos redditus habeat?	235 seq.	266
De Regio titulo Dissertatio.	259 seq.	Rythmus qualis Ebrais usitatus?
Regum potentia subordinata exemplum.	253 seq.	399
in Hibernia consti- tuendorum mos abominan- dus.	254. 444	quomodo e Scripture S. locis plurimis sublatus?
De Regibus subdititiis Disserta- tio.	333	399
Rhenoviense in Helvetia mo- nasterium Rheni augia di- ctum.	203	S Abaudia Duci quis locus in- ter Principes conveniat?
Richardi II Regis Angliæ epi- taphium.	254	249
Richardus III R. Angl. quibus fraudibus ad Regnum per- venerit?	447	Sabina herba.
Riolanus notatus.	550	num Homeri thya.
Rittershusius notatus.	101	335
		Ex Sabina mensæ citreæ olim parata.
		335
		Sacerdotes Rusfici vittam indu- ti inviolabiles.
		218
		Sal inter Regalia ponendum.
		235
		quid sit?
		73
		Sal

INDEX RERUM

Sal fixum & volatile quid? 79	Satyrici male multati exem- plum. 541 seq.
essentiale plantæ virtutem omnem non continet. 78	De Saule per Musicam curato Dissertatio. 236
Salis lixiviosi & essentialis non eadem materia. 78	Scalæ Chronicon unde deno- minetur? 374
Sali non nimia onera imponen- da. 235	Scaliger (Jul. Cæsar) plagii ac- cusatus. 426
Salia ut ab aqua liberentur. 77	Sceptici refutati. 357
diversa ab eadem aqua quomodo solvantur? 77	Sceptrum aquiligerum in mo- numentis veterum quid no- tet? 28
Salium differentia unde. 342	Schismata omnia licito modo precaveri nequeunt. 112
figura. 73	Schismatum cause. 111. 112
differentia. 73	remedia. 112
affectiones. 74	Ex Schismatibus quid contra Ecclesiam concludi possit? 111. 112
solubilitas. 76	Schismaticorum extirpatio illi- cita. 112
effectus. 79	Scholastici notati. 168
Salomonis num sit liber Sapien- tie? 59	De Scholiastis opus promissum. 427
Samaritani num angelos & re- ditum in vitam statuunt? 322	Schurtzfleischii (Conr. Sam.) vita & elogium. 482 seq.
Samaritanorum religio in pe- riochas distincta. 321 seq.	Scortatio num Gentilibus in- terdicta? 152
De Samaritanis Dissertatio. 321	num sit peccatum. 252
Sammarthani fratres notati. 101	Scortatores cur in proprium corpus peccare dicantur? 153
Samothæ quis? 442	In Scotiam num directum domi- nium olim Angli habuerint? 376
Sanctificatio & justificatio num differant? 461	Scriptura S. num contradicat hypothesi Copernicana? 82
Sanguine tincta piscina. 134	Scriptu-
Sanguinis circulatio in foetu. 415	
Sanguineæ lacrymæ. 140	
destillationis causa	
obesitas cadaverum. 501	
Sapientia eruditionis norma. 531	

NOTABILIORUM.

Scriptura S. num sola actio-	De Scripturae S. valore, anti-
num regula. 481	quitate, versionibus &c. dis-
Scripturae S. certitudo demon-	cursor. 497
strata. 459	Sculpturae principia explicata.
veritas unde inno-	314
tescat? 460	Scutis nobilitatis gradus olim
asserta. 357	distincti. 266
Scripturae S. loca illustrata :	Sebastiani Regis Lusitaniae fata.
Gen. III, 14, 15. 325	99. 109
XXIII, 19. 197	שלש Selav piscis genus. 204
Exod. XXVIII, 15. 368	Seligmanni (Gottlob Friderici)
Num. XI, 31. 205 seq.	fata & obitus. 191
Deut. XXIV, 16. 236	calculi. 419
Judic. XIV, 9. 197	Semidiametri Telluris magnitu-
2 Sam. XVII, 28. 116. 117	do. 232
2 Reg. VI, 25. 116	Semperfrey nominis origo. 266
XVII, 29. 322	Senatusconsultum Julianum
XVIII, 11. 19	explicatum. 473
Pf. XVI, 11. 367	Senensis Academiae scripta ab
LXVIII, 8, 9. 15	H. Gigli promissa. 284
LXXVIII, 27. 206	Sensationes non cadunt in cor-
Cantic. I, 17. 334	pus. 64
Jes. XXVIII, 9. 367	Sensationum notio confusa. 62
Jer. XXIII, 24. 205	Sensus gratus creaturae num sit
Ezech. XVIII, 40. 236	peccatum? 460
Amos VI, 5. 195	Sensuum genera. 456
Maleach. I, 11. 80. 81	In Serpentem num ob Proto-
Matth. V, 18. 334	plastorum seductionem cadat
XIII, 31. 533	paena? 326
Luc. XII, 5. 363	Serpente Diabolus ut instrumen-
Joh. VI, vers. ult. 11	to usus in seducendis Proto-
Act. XVII, 28. 59	plastis. 325
1 Cor. VI. 153	Serpentes in India non vene-
1 Joh. V, 7. 11	nati. 108
Hebr. XI, 1. 457	Servitus num praesumatur?
	266

FFFF

Ad

INDEX RERUM

<i>Ad Servitutem obligatus num</i>	<i>Solidarum partium contractili-</i>
<i>presumatur rusticus censum</i>	<i>tas deficiens unde?</i> 161
<i>prestans?</i> 266	<i>Solis stantis miraculum ut ex-</i>
<i>Siberti Regis Anglia epita-</i>	<i>plicatum?</i> 82
<i>phium.</i> 254	<i>symbola quæ veteribus?</i> 370
<i>Siclus Hebraeorum quantus fue-</i>	<i>templi figura qualis?</i> 371
<i>rit?</i> 230. 233	<i>Sophiæ, Petri Moscorum Mo-</i>
<i>Sicula Bibliotheca.</i> 537	<i>narchæ sororis, fata & obi-</i>
<i>Sigilla Persarum Arabumque</i>	<i>tus.</i> 217
<i>ut fingantur?</i> 440	<i>Sophoclis tragiæ Ajax & E-</i>
<i>Signa Algebraica optima.</i> 271	<i>lectra commendate. 149 seq.</i>
<i>Silentium Pythagoricum.</i> 245	<i>Spado nomen unde?</i> 308
<i>Silesiorum pueri ac puella sup-</i>	<i>ab Eunuchis diversis.</i>
<i>plicationes publicas insti-</i>	309
<i>tuunt.</i> 213. 214	<i>Spatia num dentur plusquam</i>
<i>Simon Magus num Græce lin-</i>	<i>infinita?</i> 343
<i>gue studiosior?</i> 491	<i>Spatiorum hyperbolicorum infi-</i>
<i>in Ægyptum profectus,</i>	<i>nitorum quadratura.</i> 343
<i>ut Magiam exerceret.</i> 491	<i>De Spenero (Phil. Jac.) judi-</i>
<i>num suas & meretricis</i>	<i>cium.</i> 543
<i>icones adorari voluerit?</i>	<i>Sphæræ mobilis constructio.</i> 80
491	82
<i>num statuam Romæ</i>	<i>studii utilitas.</i> 80
<i>habuerit?</i> 491	<i>Sphæras armillares juxta hypo-</i>
<i>quas hæreses foverit?</i> 492	<i>thesin Copernicanorum quis</i>
<i>Simonius (Richardus) notatus.</i>	<i>primus construxerit?</i> 83
11. 12	<i>Sphynx quid in monumentis ve-</i>
<i>(Simon) ab Augu-</i>	<i>terum designet?</i> 370
<i>sto El. Sax. commendatus.</i>	<i>Spinosa (Bened.) notatus.</i> 236 *
250	<i>Spinolismi vera origo.</i> 14
<i>Siracides & Ben Sira iidem.</i> 59	<i>Spiritus in regegnis quid?</i> 456
<i>Sixti Pontificis Rom. titulus.</i> 496	<i>quid sit?</i> 365
<i>Societas erudita ut coalescere</i>	<i>Spiritus vini effectus noxii.</i> 341
<i>possit?</i> 173	<i>Stadii quantitas.</i> 232
<i>Societatis Regiæ Anglicanæ in-</i>	<i>Statuas imitandi studium picto-</i>
<i>venta veteribus nota.</i> 426	<i>ribus noxium.</i> 264

Stella

NOTABILIORUM.

Stella nova in Hydra observata.	347	Iovii iudicium.	405
Stellæ in Orione quot observa- ta?	81	Syriaci Novi Test. editiones.	289
nova cur appareant?	347	Syriacum Lexicon novum.	292
Stellarum fixarum catalogus o- ptimus.	81	T Abulæ Rudolphinæ in com- pendium redactæ.	352
Stellatæ Camera in Anglia ini- tia & interitus.	375	Lunares Flamste- dianæ commendatæ.	354
Stephani (Roberti) in edendo sa- cro Codice cura.	9	XII aenæ ab ebore- is diversæ.	471
plagium indi- catum.	426	explicatæ.	471
Stomachus in cavitate thoracis inventus.	341	Tabularum Rudolphinarum prestancia in ♂ confirmata.	346
Strauchii (Joannis) epigram- ma in iconem H. Conringii.	551	Carolinarum fun- damentum & prestancia.	352
Sturmius (Joannes) ab Augusto El. Sax. magni habitus.	250	De la Hire in ♀ prestancia.	347
Subditorum Regis Gallie nu- merus.	236	in ♂	
De Suenone Furcatæ Barba, Rege Dania, Dissertatio.	257	prestancia.	349
Sulphur metallicum quid?	342	Talenti magnitudo.	230
vegetabile quid?	342	Talmud quando compilatam?	22
Sulphuris effectus in mercu- rium.	341	Tangentium methodus Barro- wiana aestimata.	46
Supplicationes extraordinariae puerorum & puellarum in Silesia.	213 seq.	Tantum quod particula elegan- tia.	263
publicæ Italo- rum.	278	Tarantulæ descriptio.	407 seq.
Syllogismorum inutilitas.	67	Tatiani in S. Codicem merita.	7
Symmachus Pentateuchi Sa- maritani interpres.	58	Telauges, Pythagoræ filius, & in schola successor.	246
De Synodo Dordracena B. Ca-		Telluris motus triplex.	80
		Tempestates anni quatuor ut fiant?	81

INDEX RERUM

Templum Salomonis ab Ezechielis templo diversum.	237*	Toga num dicta laticlavia?	148
Tempus optimum Parallaxin observandi.	346	Toledos Jeschu liber explosus.	17
Tempora anni insalubria quæ?	223	Tollius (Cornelius) Vosii amanuensis & plagiarius.	425
Terminorum in ratiociniis dispositio.	67 seq.	Topicorum explanatores.	377
Terræ Noricæ.	227	Tornandi artem qui scriptis illustrarint?	314
Testamenta quid sint?	510	arte præstantes.	315
Testamenti Veteris Interpretes recensiti.	57	artis inventa.	315 seq.
Novi nova editio. 1.		Tornus fingere nequit figuram humanam.	316
lingua Græca		quas figuras fingere possit?	316. 317
vulgari excusi editiones.	275	Torrentius notatus.	146. 147.
Syriaci editiones.	289	Tragici voces laxiori sensu usurpant.	150.
De Testamenti Vet. pseudepigraphis opus promissum.	60	Tranquillitas mentis ad vitam longam conducens.	225
Thecla num Codicem Bibliorum Alexandrinum descripserit?	194	Transubstantiatio impugnata.	111
Theocritus Chius num epistolas reliquerit?	542	Tribuni alii laticlavii, alii angusticlavii.	148.
Theologiam tractandi methodus Poireti oppugnata.	544	Contra Tribus privilegia num dispensare possit Princeps?	121
Theologo num Mathesis noxia?	59	Tridentinorum canonum explicatio Pontifici Romano reservata.	134.
Thumim quid sint?	115 seq.	Trinitatis explicatio.	457
Thya Homeri est Sabina.	335	De Trinitate quæ Judæorum sententia?	13
Thyina ligna quæ?	334	Triturandi mos.	143
Tobias Græce primum scriptus.	60	Tryphonis cum Judæo disputatio quando instituta?	21
Toga qua ætate sumta?	147	Tudor (Owenus) cur securi subjectus?	446
quot fuerit ulnarum?	148		
			Turbo

NOTABILIORUM.

Turbo Venetiis observatus 462	Venenum tarantulae calidum.
quid sit? 465	411
Turbinis generatio & effectus.	qualia,
figura. 465	symptomata concitet? 411
duratio. 465 seq.	Venena narcotica quæ? 161
Turennii laudes. 428	corrosiva quæ? 159
Turkii (Henrici) Fasti Caroli-	Venenorum signa. 162
ni recusati. 54	narcoticorum effe-
A Tyrocinio num excludendi	ctus. 161
e concubitu parentum anti-	corrosivorum effe-
cipato nati? 121	ctus. 159
Tyrrellus (Jacobus) laudatus.	obstruentium effe-
508	ctus. 160
Valesius cur se ipsum ca-	Veneris & Martis captura
straverit? 309	chymice explicata. 335
Valesianorum hæresis. 309	Ventus quid? 464
Vapores nitrosi & sulphurei	Venti post incendia unde? 464
quales? 463, 464	Ventorum causa. 223, 464
Vaporum diversitas. 463	vires in barometra
origo. 463	& corpora humana. 223
Varices quid? 312	diversitas. 464
Vasconum pronuntiatio quo vi-	effectus. 464 seq.
tio laboret? 513	Ver sacrum quodnam Veteribus
Vasis vitrei disruptio mira. 339	dictum? 333
Vasorum ampforum in corpo-	Verba quid sint? 38
re animali præstantia. 224	Verborum genuini significatus
Vellejus Paterculus novis notis	ut eruantur? 38
illustratus. 262	polyseimia unde? 38
Vena umbilicalis ubi desinat? 31	Verberibus parentem excipiens
Venetiani (Antonii) vita, scri-	qua pœna afficiendus? 471
pta & obitus. 541 seq.	Veritatis cognoscendæ impedi-
Venæsectio commendata. 225	menta. 40. 41
Venatio leporum & vulpium	in cognoscendo vero
num ad Regalia spectet? 267	partes. 65
major seu alta num	criterium. 169
prescribatur? 267	

Verita-

INDEX RERUM NOTABILIORUM.

Veritates fundamentales non negligenda.	41	Voces Hebraicae quem habeant significatum primigenium?	85
Veritatum ex notionibus deductio.	164	Voetianorum & Coccejanorum in Belgio nova lites.	378
Vero Imp. num Antonini nomen tributum?	28	Vogtii Calendarium cur in Moscovia prohibitum?	219
Vigintimillia (Joannis) opus de Poetis Bucolicis Siculis.	538	Volitiones activae.	169
Vignolius (Joan.) laudatus.	26	Volendi potentia hominis in quo consistat?	365
Vini usus nimis nocivus.	225	Volsæus Cardinalis, autor divorcii Henrici VIII R. A. cum Catharina.	499
Vina salubria quae?	225	Voluntas quid? quomodo moveatur? num a desiderio felicitatis distinguenda?	62 362 363
Virgilius & Lucanus inter se comparati.	187	Urethrae virilis foramina.	30
Virgilii Maronis obitus.	147	Urim quid?	115 seq.
Virgineum florem decerpere Indis indecorum.	109	Uteri duo.	415
Virium centralium ratio ad gravitatem absolutam.	343 seq.	Uteri cervix rugosa & valvulis debetur.	31
Visio rerum in Deo asserta.	178	In Uteri cervice vesicula quid?	32
Vita longa quomodo acquiritur?	223	W alliae Principis appellatio unde?	445
quid sit?	175.224	VVallica lingua quantum ab Anglica differat?	253
In Vitis eruditorum scribendis quid observandum?	184	VVangerogensis insula commendata.	85
Unguis a panno, oculi affectu, differentia.	303	VVardus (Sethus) notatus.	352
Unicornu fossile ad regnum animale redactum.	228	VVeigeliæ consilia de emendatione Calendarii.	38
Unio ecclesiastica habere potest causas culpabiles.	110	VVerla num eadem ac Goslaria?	50
major in Ecclesia Anglicana, quam in Romana.	111	VVidmanstadius (Jo. Alb.) laudatus.	289
Unionis mentis cum corpore proprietates.	131	VVilhelmus Malmesburiensis notatus.	52
Voces Hebraicae propriae res corporales denotant.	85	In VWoodstock labyrinthus.	253
		X enodochia Italorum descripta.	279
		Ximenii Cardinalis parsimonia laudata.	428